4V.6

A. 6.659

14.

Digitized by Google

Digitized by Google

APPARATUS
BIBLICUS,

SIVE MANUDUCTIO

AD SACRAM SCRIPTURAM,

Tum clarius, tum facilius intelligendam.

AUCTORE

R. P. BERNARDO LAMY,

Congregationis Oratorii Presbytero.

EDITIO SECUNDA VENETA

Juxta noviſſimam Lugdunensem cæteris auctiorem addita: nunc primùm Auctoris Vita in ſynopſim redacta.

CUM FIGURIS ÆNEIS.



Apud Laurentium Baſilium

VENETIIS, MDCCXXXIII.

Apud Laurentium Baſilium.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

VITA
AUCTORIS
IN COMPENDIUM
redacta;

EX AMPLIORI,

QUÆ OPERI DE TABERNACULO FOEDERIS
Pariſiis in fol. anno 1720. impreſſo præfigitur.

B*ernardus Lamy Cœnomani anno ſalutis* 1640. *menſe Junio natus eſt. Parentes ejus Alanus Lamy Dominus de la Fontaine, & Maria Maſnier filium ſuum linguas addiſcere, arteſque liberaliores excolere impulerunt; quod illi ſtudium primis quidem annis non multum arriſit, ut ipſe teſtatur in primo circa ſcientias colloquio. Aſt ubi primum litteræ ei ſapere cœperunt, in Collegio Cœnomanenſi Patrum Congregationis Oratorii D. N. J. C. ſtudiis operam dedit; quibus ducibus mirum quantum ſive in pietate, ſive in ſcientiis profecerit.*

Annum agens XVIII. *Congregationem Oratorii ingreſſus totum ſe Deo, & Eccleſiæ mancipavit. Cœnomano Pariſios profectus domum Inſtitutionis anno* 1658. *ingreditur, ubi religioſis acquirendis virtutibus totus incubuit; quæ eas in ejus animo radices egerunt, ut multiplices per diverſa vitæ illius ſpatia fructus protulerint.*

Fuit ille apprime ingenuus, ac veritatis amans, ac

tam felici preditus ingenio, ut ad ſcientias ſingulas natus crederetur; eoſque in ſingulis fecit proventus, ut de quacumque illum conſuleres, omnem illi operam inſumpſiſſe videretur, quod ampliſſimo teſtimonio confirmat D. Du Pin Biblioth. Scriptor. Eccleſ. tom. 5. p. 347.

Hæc tamen ſtudia illum à pii Sacerdotis officiis minime retardabant. Animum ſuum ſacris meditationibus quotidie paſcebat, ſingulis diebus incruentum offerebat Sacrificium, excipiendis confeſſionibus frequenter vacabat, divinæ legis lectioni & precibus certis diei noctiſque horis incumbebat.

Ea fuit modeſtia, ut aliorum de libris ſuis judicia grato animo exciperet, eoſque ex eorum opinione vel a nævis levioribus perpurgaret. Contentionem tam in ſcriptis, quam in colloquiis fugiebat; & ſiquando quorundam opiniones reprehenderet, in eorum errores tantum, non in ipſos invehebatur. Neminem primus aggreſſus eſt, ac laceſſitus intra modeſtæ defenſionis limites ſemper ſtetit; nihil magis veritus, quam tuendæ veritatis titulo a caritate deflectere.

Paupertatis amans divitias ſemper ſprevit. Tota illius ſupellex Bibliotheca, non tam librorum numero, quam delectu æſtimanda. Laboris adeo patiens fuit, ut omnia fere itinera ſua pedes confecerit. Modeſtiam, temperantiam, in dictis, in veſtibus, in omni denique ſupellectili ſpirabat. Verum divitias licet nullas, aut perexiguas poſſederit, multa tamen tum ad inopes ſublevandos, tum ad templa exornanda contulit; adeo ingenioſa eſt caritas, quam non in corpora modo, ſed & in animos exercebat.

Quantum in alios miſericors, tantum in ſeipſum auſterus fuit. Corpus vigiliis, jejuniiſque domabat, cubabat ſemper veſtitus, variiſque inſuper modis in ſe pie ſæviebat. Verum ſicuti laborum ſtudioſus fuit, ita eos aſſidue celare ſatagebat.

Hæc

Hæc tanti viri indoles fuit, hi mores. Nunc vitæ illius curſum, ac ſtudiorum partes ſtrictim percurram.

Peracto Lutetiæ Inſtitutionis anno, in Salmurienſi Collegio a P. Carolo de la Fontenelle Philoſophiam biennio audiit; & inde Vindocinum ad humaniores litteras docendum eſt miſſus. Tum anno 1664. *in Juliacenſem Academiam commigravit, ibique Humanitatem, ac Rhetoricam docuit. Tandem ad ſacrum Presbyteratus ordinem evectus eſt anno* 1667. *Paulo poſt in Cœnomanenſi Collegio per duos annos juventutis educationi præfuit; hinc Salmurium petiit anno* 1669. *& ſub PP. Andrea Martin, & Joanne le Porc S. Theologiæ duobus annis vacavit, ſtatimque ibidem Philoſophiam biennio docuit; moxque Andegavi eandem palæſtram emenſus eſt. Dum vero curſum alium aggreditur, ineunte anno* 1676. *Superiorum juſſu ex Andegavo Gratianopolim advocatur.*

Huic Eccleſiæ præerat Eminentiſſimus Card. le Camus, qui Bernardum Lamy in curarum munerumque partem recepit, eoque in ſua Diœceſis viſitatione in primis eſt uſus. Innumeros ille in hoc curriculo exanthlavit labores, ubique verbum Dei prædicans, Religionis elementa populos edocens, nulla non adiens per montes per nives pericula, vixque vel nocte quieſcens. Gratianopolim reverſo Clericorum inſtituendorum à ſapientiſſimo Præſule provincia demandata eſt. Hanc impigre adminiſtravit, tuncque ad comparandam Scripturæ ſacræ intelligentiam ſtudium omne convertit, atque in Clericorum gratiam evulgavit Apparatum ad Biblia ſacra, in quo de Hebræorum gente, legibus, ritibus, variiſque ad Bibliorum intelligentiam ſpectantibus, tabulis XX. diſpoſitum, *in fol.* Gratianopoli 1687. *Hoc opus ab omnibus laudatum avideque exceptum eſt. Hunc librum D. Franciſcus Boyer, ut fidelibus omnibus prodeſſet, e Latino in Gallicum ſermonem*

tranſtulit. Prodiit Lugduni hoc titulo Introduction à la lecture de l' Ecriture ſainte, Lyon, 1689. *in* 12.

Non primus hic fuit eruditionis ſuæ fructus; ſed plures jam ante libros emiſerat in vario ſcientiarum genere, ac primo quidem Rhetoricam gallice ſcriptam ſub hoc titulo: L' Art de parler. Paris, 1675. *in* 12. *Eruditorum omnium judicio hic liber probatus eſt, de eoque heic liceat ampliſſimum P. Nicolai Malebranche elogium adnectere, qui ad amicum quemdam ſcripſit his verbis:* Si tibi deeſt ars dicendi, manca eſt tua bibliotheca, deeſt tibi liber exquiſitiſſimus, omnibuſque ſuis numeris abſolutus. *Attamen heic obiter fatendum eſt P. Lamy opera ſua, ut plurimum antequam ea publici juris faceret, non ſatis elucrubaſſe; verum ſecundis curis forma meliore donata, perfectioraque prodierunt.*

Tribus ab hoc opere annis, edidit Nouvelles Reflexions ſur l'art poetique, Paris, 1678. *in* 12. *Hunc libellum magno judicio conſcriptum dicit D. Ellies Du Pin.*

Anno altero edidit Traite de mechanique, de l'equilibre des ſolides & des liqueurs *in* 12. Paris, 1679. *& anno ſequenti* Traite de la grandeur en general, qui comprend l'Arithmetique, l'Algebre & l'Analyſe, *in* 12. Paris, 1680. *quem Tractatum, dum pedes e Gratianopoli Pariſios peteret, confecit. Poſt quinquennium emiſit* Elemens de Geometrie, *in* 8. Paris, 1685. *Anno vero* 1701. *prodiit Pariſiis* Traite de Perſpective, où ſont contenus les fondemens de la Peinture, *in* 8. *His operibus, quæ methodo & perſpicuitate maxime commendantur, magnum tibi apud eruditos nomen peperit.*

Antequam Geomatria elementa vulgaret, jam prodierant Entretiens ſur les ſciences, dans les quelles on apprend comment on ſe doit ſervir des ſciences pour

ſe fai-

ſe faire l'eſprit juſte & le coeur droit, *in* 12. Lyon, 1684. *In eo libro dirigendorum ſtudiorum methodum tradit, quæ maxime illius judicium Lectoribus commendat.*

Moralia deinde colloquia conſcripſit, quorum hic titulus: Demonſtration ou preuves evidentes de la verite & la ſaintete de la Morale Chretienne, premier & ſecond entretien, 2. *vol.* Paris, 1688. *in* 12. *quibus tria alia adjecit Rothomagi impreſſa annis* 1706. 1709. *&* 1711. *In eo opere totius moralis Chriſtianæ principia exponit, ac vera Religionis certitudinem adverſus Atheos Epicureoſque demonſtrat.*

Jam de illius ad ſacram ſcripturam Manuductione verba fecimus. Dum hic liber in Gallicam linguam a D. Boyer tranſlatus prælo ſubdebatur, primigenius illius Auctor Pariſiis typis committebat Harmoniam ſeu concordiam quatuor Evangeliſtarum, in qua vera ſeries actuum ac ſermonum Domini noſtri Jeſu Chriſti, hoc eſt, vera vitæ ejus hiſtoria: adjecta locis novi ordinis ratione, 1689. *in* 12. *In eo opere tres potiſſimum opiniones probandas ſuſcepit, quæ lites illi plurimas peperere.*

1. *Probare nititur bis in carcerem miſſum fuiſſe S. Joannem Baptiſtam, primum quidem Hieroſolymis juſſu magni Synedrii, denuo Herodis juſſu in arce Machæruntis in Galilæa.*

2. *Negat Chriſtum in ultima cœna agnum Paſchalem cum diſcipulis manducaſſe, immo mortuum fuiſſe affirmat eo ipſo die, quo Judæi Paſcha ex lege manducarunt. Hanc opinionem ultro amplexi ſunt magnæ eruditionis viri, inter quos Illuſtriſſ. Boſſuetus Meldenſium Epiſcopus.*

3. *Stabilire nititur Mariam Magdalenam eandem eſſe ac Peccatricem & Mariam ſororem Marthæ & Lazari.*

Has opiniones confirmare aggreſſus eſt Epiſtola ad

† 4 *R. P.*

R. P. Fourrè Pariſiis anno 1690. in 12. impreſſa hoc titulo: Lettre au R. P. F. P. de l'O. dans la quelle on eclaircit quelques points de la nouvelle harmonie des Evangiles. Argumens pour les deux priſons de S. Jean. Argumens qui prouvent que J. C. dans la derniere Cene, dans la quelle il inſtitua le Sacrement de l'Euchariſtie, n'a pas mangé l'Agneau Paſchal. De la Magdelaine. *At fuit hoc claſſicum canere.*

Primus in illum ſigna movit D. Bulteau, opinionem de duplici B. Joannis carcere nullatenus recipiendam eſſe conclamans. Verum ita P. Lamy cenſoris objectiones ſolvit, ut victor ex prælio redierit, judice D. Ellies Du Pin in Biblioth. Auctor. Eccleſ. XVII. *ſeculi.*

Eodem anno 1690. Joannes Plenud duas diſſertationes Gallico idiomate conſcriptas edidit. Prima duplicem B. Joannis carcerem impugnabat; altera Chriſtum pridie mortis ſuæ Paſcha manducaſſe contendebat. Sebaſtianus quoque le Nain D. de Tillemont utramque P. Lamy opinionem duabus notis tomo primo Commentariorum ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam impugnavit; nota nimirum 26. in vitam D. N. J. & in D. Joannis Bapt. hiſtoriam nota 9.

Cum vero tot adverſariis vidit impeti ſuum de Paſchate ſyſtema, quæſtionem denuo tractare, ac penitius ſcrutari inſtituit; quod peregit libello Gallice ſcripto, cui titulus. Traite hiſtorique de l'ancienne Paque des Juifs, avec de nouvelles preuves des deux priſons de S. Jean Baptiſte, *&c.* Rouen, *&* Paris, 1693. *in* 12.

D. Tillemontius Auctoris argumentis minime ceſſit; immo Epiſtolam ſcripſit, qua illa fluxo nixa fundamento oſtendat. Extat hæc Epiſtola ad calcem tomi ſecundi Commentar. in Hiſtoriam Eccleſiaſt. At R. P. Joannes Harduinus Soc. Jeſu novum ſyſtema ex-

cogitavit, Judaos nempe per duos dies Paſcha immolaſſe: quod vulgavit Pariſiis, anno 1693. *ſub hoc titulo:* Diſſertatio de ultimo Chriſti Paſchate. *Hoc tamen ſyſtema nullus e litigantibus amplexus eſt.*

R. P. Michael Mauduit Evangeliorum Analyſim anno 1693. *Pariſiis publicavit, inſerta diſſertatione, qua Patris Lamy de ultimo Chriſti Paſchate ſententiam elevare tentat; contenditque Chriſtum luna* XIV. *die Jovis Paſcha immolaſſe, Judaos vero luna* XV. *die Veneris.*

Singulis his adverſariis ſeorſim reſpondit P. Lamy, quas reſponſiones Gallice conſcriptas anno 1693. *vulgavit ſub hoc titulo:* Suite du Traite hiſtorique de l'ancienne Paque des Juifs.

Inter hac P. Harduinus emiſit in lucem colloquium, in quo pracipua capita ſua Diſſertationis gallice redduntur, ac novis ratiociniis confirmantur. Hoc colloquium in 40. *diario eruditorum anni* 1693. *refellit P. Lamy. D. Pienud pariter in* 4. *diario anni* 1695. *reſponſionem edidit ad eam, quam adverſus ejus Diſſertationem P. Lamy vulgaverat. Huic aliam P. Lamy oppoſuit, quam in diario* 12. *ejuſdem anni reperies.*

P. Gabriel Daniel e Soc. Jeſu dum Lodovici Leonis Mutinenſis librum, De utriuſque Agni typici & veri immolationis legitimo tempore, *e latino in gallicum vertit, aſſutis ad Auctorem notis in Bernardi Lamy ſyſtema excurrit, qui novi hoſtis incurſus nova Diſſertatione repulit.*

R. P. Paulus Yvo Pezron Ciſtercienſis Hiſtoriæ *ſua* Evangelicæ *Diſſertationem attexuit, in qua dum ad Harduini opinionem accedit, Patris Lamy ſententiam videtur impetere.*

D. Carolus Vitaſſe in Tractatu de Euchariſtia quaſtionem de ultimo Chriſti Paſchate agitans communem ſententiam pro virili propugnat, adverſaque Bernardi Lamy argumenta tentat elevare.

Doctiſ-

Doctiſſimi hi viri licet Auctoris noſtri ſententiam aperte non impetiſſent, quintam tamen partem ille addidit Tractatui de antiquo Judæorum Paſchate, in qua eorum argumenta evertere nititur, ſuamque opinionem magis ſtabilire. Huic reſponſioni Epiſtolam oppoſuit D. Vitaſſe in diario erudit. anni 1696. *cui P. Lamy in eodem diario duas alias Epiſtolas objecit: ac denuo in diario anni* 1697. *novam uterque Epiſtolam imprimi curavit, in qua varie agitur de Marcionis hæreſi circa ultimam Chriſti Cœnam.*

Poſt tot conflictus prælium redintegrat P. D. Gabriel Beſſin Benedictinus, qui Rothomagi anno 1697. *edidit* Reflexions ſur le nouveau Syſteme du Pere Lamy. *Hujus adverſarii ictus repulit ille duabus Epiſtolis in diariis* 40. & 41. *anno ſequente vulgatis hocce titulo*: Sixieme ſuite du Traite hiſtorique de la Paque.

Poſt tot exanthlatos labores pro Concordia ſua Evangelica, eam rurſus doctis auctam commentariis auctor noſter vulgavit Pariſiis duobus tomis in 4. *anno* 1699. *Eodem anno D. Anquetin Rector Eccleſiæ Lionenſis Diſſertationem emiſit, qua contendit Mariam Magdalenam aliam eſſe ac Mariam ſororem Marthæ, & neutram fuiſſe Peccatricem. Hanc diſſertationem confutare aggreſſus eſt, P. Lamy duabus epiſtolis quæ eo ipſo anno prodierunt ſub hoc titulo:* Defenſe de l'ancien ſentiment de l'Egliſe Latine touchant l'Office de Sainte Magdelaine, ou ſuite de la Diſſertation latine ſur le meme ſujet imprimee dans le Commentaire ſur la concorde Evangelique. *His epiſtolis alias oppoſuit D. Anquetin ſub hoc titulo.* Lettres d'un Eccleſiaſtique de Rouen. *Siluit quidem P. Lamy, verum ſententiam haud mutavit.*

Interea doctiſſimus Auctor inter ipſum tot hoſtium conflictum Apparatum Biblicum ſeu Manuductionem ad ſacram Scripturam tum clarius, tum facilius intelligen-

ligendam, Lugduni *publicavit*, *anno* 1696. *in* 8. *Hic liber ab Abbate de Bellegarde in Gallicum translatus, impreſſus eſt Pariſiis*, 1697. *in* 8. *Sed cum hac verſio eo inſcio vulgata eſſet, aliam ab amico ſuo D. Boyer elaboratam approbavit, eamque multis in locis auxit, correxitque. Prodiit hæc Lugduni, anno* 1699. *in* 4. *Additamenta gallica in latinum Apparatum intulit, eumque rurſus auxit, & correxit; qui vulgatus eſt Jenæ* 1709. *& Amſtelodami anno ſequente. Hanc editionem ſecutus eſt D. Boyer in nova editione Gallica, quæ Lugduni anno* 1709. *prodiit. Denique anno* 1715. *Latinam editionem cæteris auctiorem in publicum emittere parabat P. Lamy, at morte præventus eam abſolvere non potuit; quod opus deinde D. Auctoris amiciſſimus perfecit, ediditque Lugduni anno* 1723. *in* 4.

Præter hæc Hiſtoriam Theologiæ ſcholaſticæ latine ſcripſit, in qua quo tempore quæque opinio nata ſit, quis eam invexerit, ſcrutatur. Huic Tractatui Bibliothecam Theologorum ſcholaſticorum, ſeu indicem librorum ab eiſdem de Theologia editorum ordine chronologico attexere volebat, ſed aliis ſtudiis ab eo opere impeditus eſt; ſiquidem Tractatum de J. C. homine Deo, cujus in ſuis ſcriptis meminit, eodem tempore meditabatur.

Tandem poſt ejus obitum Opus, cui triginta annos inſudarat, Templi ſcilicet Salomonici deſcriptio, anno 1720. *Pariſiis prodiit. Hoc antea ter quaterve exſcripſit, ſemperque in melius mutavit; aneaſque tabulas, quæ ipſi inſunt, à doctiſſimis ſculpturæ, picturæve viris effingi curavit.*

Tot librorum ſcribendorum inter Sacerdotalis vitæ labores copiam illi fecit firma cum mentis tum corporis valetudo, quam ſat conſtantem expertus eſt ad annum vitæ 74. *quo illius animum affecit mœror ingens, ex quo corporis quoque ſecuta eſt ægritudo. Hujus mœroris cauſam paucis ſubjiciam.*

Qui-

Digitized by Google

Quidam juvenis perlectis aliquot P. Lamy opuſculis falſæ religionis errores ejurandi conſilium iniit, eumque adire, ejuſque monita expoſcere cœpit, quibus obſequens miros in pietate ac ſcientiis progreſſus fecit. At juvenis vix anno uno aut altero elapſo ad errores priſtinos rediit; quam ob rem tantus Patris Lamy animum mœror invaſit, dum pereuntem juvenis animam miſeratur, ut corpus quoque paulatim mœrore tabeſceret.

Exeunte Januario anni 1715. ingraveſcente morbo de ejus ſalute deſperandum fuit. Inter has corporis anguſtias, ut culcita uteretur, nam ſuper paleas cubabat, & cilicium, quo ſemper induebatur, deponeret, vix tum Superiores obtinuere. Die Januarii 29. cum e vena pulmonaris ruptione ſanguinem plurimum excreaſſet, deficientibus viribus Eccleſiæ Sacramenta enixe petiit, hiſque pie ſuſceptis eo ipſo die ex hac vita commigravit. Bibliothecam ſuam tres in partes diviſam Cœnomani, Pariſiis, Rothomagi, Domibus Oratorii legavit. Liceat heic apponere, quod de tanto viro inquit D. Ellies Du Pin: Doctus erat, at ſimul modeſtus, magnoque judicio præditus. Linguas plurimas callebat, artes omnes ac ſcientias pervaſerat, maxime vero Scripturæ ſacræ intelligentiam fuerat adeptus. Mens illi prompta ad omnes artes, atque elocutio facilis. Puro ſermone ſcribebat tum gallice, tum latine, & in ſuis ſcriptis conjecturas ac ratiocinia intendebat, ſed non ultra metas. *Huic felicitatem adprecare, Lector, ejuſque elucrubrationibus fruere.*

PRÆ-

PRÆFATIO.

QUid eſt autem Scriptura, niſi quædam Epiſtola omnipotentis Dei ad creaturam ſuam. His verbis Gregorii Magni lib. 4. Ep. 39. & ſequentibus, te pie Lector, compellabo. *Stude ergo, quæſo, & quotidie Creatoris tui verba meditare, diſce cor Dei in Verbis Dei.* Faſtidire enim tantum Dei munus non ſolùm negligentia eſſet, ſed maximum crimen. *Qui aſſidua meditatione coluit ſanctas Scripturas*, inquit Divus Bernardus, *habet ſignum ſuæ prædeſtinationis, quod & Dominus aſſeruit dicens, qui ex Deo eſt, verba Dei audit.* Quæ lectio majorem voluptatem parere poſſet? neque enim ſanum gaudere poſſumus, ut utar verbis S. Auguſtini, niſi de ſpe, nempè regni cœleſtis. Hujus autem regni myſterium nobis explicant Scripturæ, viam ad illud aperiunt, & donec hanc viam emenſi fuerimus, prægustandas cœleſtes delicias præbent: *ut per patientiam & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus.* Rom. cap. 15.

Sed cui alteri ſtudio, quàm ſacrorum Codicum vir Theologus utiliori opera incumbere poteſt? Multùm falluntur, qui rerum inutilium ſtudiis occupantur. Hoc errore non pauci laborant. Quis enim ex iis qui ſtudio Theologico per tot annos diſtinentur, vanas, ne dicam ineptas quæſtiones non potiùs verſet animo aut agitet in Scholis, quàm

paſcat

paſcat mentem lectione Scripturarum; quibus ſedulam operam impendiſſe videtur ſibi, cùm horis ſubciſivis in unum aut alterum caput oculos parùm attentos conjecerit. Veritatem omnes ſtudendo inquirimus, ſed neſcio qua vertigine abrepti, aliis quàm quibus eundum erat itineribus, ad eam currimus. Non inſiſtimus veſtigiis ſanctorum Patrum, per quorum manus traditæ ſunt nobis Scripturæ; & earum verus ſenſus ad nos pervenit. Illi ſpretis fontibus non ſectabantur rivos. Ex Scripturis fortiora, quibus adversùs Hæreticos pugnarent; petebant tela & pabulum paſcendis fidelibus Chriſtianis. Sumamus in manus Chryſoſtomum, Gregorios, Baſilium, Ambroſium, Auguſtinum, advertemus hos Doctores plenos cibo cœleſtis doctrinæ eructare verbum bonum.

Magno itaque dolore afficitur animus, quòd cum homines diſtringantur variis curis, quibus revocantur à ſtudio veritatis, cui cognoſcendæ, & colendæ facti ſumus; attamen quod ſupereſt temporis tricis, & apinis impendunt: diſputant de lana caprina: unde tot Theologaſtri. Neque enim dixerim Theologum, qui in quacunque quæſtione non ſcrutatus ſit, ex quibus Scripturarum locis huic quæſtioni lux affulgere poſſit, & quis circa illa loca ſit unanimis Conciliorum & Patrum conſenſus. Indè, inquam, tot Sophiſtæ & Declamatores occupaverunt pulpita Sacra. Etenim nunquam eum virum æſtimaverim Concionatorem Verbi Di-

bì Divini, quod nunquam ore uſurpat; exordio promittens expoſitionem Scripturarum, reliquâ autem oratione nugans, & vanis ſermocinationibus ſtudens Auditorem ſuum delectare. Sic populus inani cibo paſcitur; fraudatus ſolido; & verſatur in tenebris ignorantiæ; nam aliundè quàm ex ſacris Concionibus ſcientiam ſalutis non accipit, qui literis vacare non poteſt.

Eorum autem qui arti Concionatoriæ animum adjungunt, & Scripturas Sacras negligunt, ideò pejor mihi videtur error; quòd ex ditiori penu non illis ſuppetere poſſit materies, quam nec ſingulos dies concionando exhaurirent, ſi bene percepiſſent animo & memoria complecterentur, tum ſenſum, tum verba ſacrorum Codicum. Quot enim egregiis dictis, quot præclaris facinoribus, quot exemplis, ſimilitudinibus, parabolis, quæ adminicula ſunt & præſidia Oratorum, abundant illi Codices? Sed non ſolùm veram doctrinam & omnem dicendi materiam ſuppeditant, verùm etiam ornamenta, quibus pondus, vis, & decor adduntur orationi. Ubi enim major in docendo perſpicuitas juncta cum brevitate, quàm in Evangelio? Quis Oratori in carpendis hominum vitiis vehementior, quàm Prophetæ? Quis ad movendum, & flectendum magis aptus quàm Paulus? Undè decor ille Poeticus qui efflorescere debet in Oratione, faciliùs conciliatur quàm ex Pſalmis Davidicis? Ubi denique major copia ſententiarum quàm in libris Salomonis?

Sed

Sed fruſtrà neceſſitas & pretium ſtudii ſacrarum Litterarum nunc demonſtrantur illi, quos voluptates emolliunt, deterret labor, niſi huic ſtudio ſternatur via compendioſa & facilis. Ideò ex multis voluminibus quæ cum labore evolvuntur, comparantur magno pretio, nec paſſim occurrunt, excerpſeram quæ ad intelligendas Scripturas neceſſaria erant, & arte contraxeram in tabulis illa proponens, ut uno intuitu cognoſcerentur quæ alioqui longo, & difficili ſtudio quaſi ſparſa diverſis locis perveſtiganda eſſent. Verùm ob tabularum anguſtiam pleraque quæ alicujus utilitatis ſunt, non complexus eram; aut quantum neceſſarium eſt, non potueram explicare.

Itaque quamquam prioribus hiſce tabulis maneat ſuum pretium, nec uſus ſpernendus ſit, ut quæ præcipua ſunt, contracta ponantur ob oculos, novum opus aggreſſus ſum tunc temporis cùm otio magis abundarem, & librorum copià locupletior eſſem, quàm olim cùm edidi has Tabulas. Multa ergo quæ illis deerant adjunxi huicce novo Operi; & ut multa paucis dicam, omnibus locupletavi quæ advertebam in Apparatu Biblico deſiderari.

Salus ex Judæis eſt, ait Dominus *Joan. c. 4.* quia ſcilicet repromiſſio facta erat ad Abraham, Iſaac & Jacob Patres Judeorum de Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui ex illis ortus, in Judæa natus eſt, & ſalutis quam per eum conſecuti ſumus, opus, perfecit. Igitur res Judæorum perſpectas habere quamplurimùm intereſt, ut intelligantur Scripturæ in quibus

quæ

quæ Chriſti ſunt, continentur, ſive de eo prę-nuntiata à conſtitutione mundi, ſive ab eo completa temporibus præordinatis. Etenim Scriptores ſacri, quod ab omnibus fieri ſolet, cùm Hebræis primitùs ſcriberent, mores eorum, ritus, conſuetudines, & ſimilia quæ omnibus nota erant, non ſatagebant explicare. Hæc igitur aliundè petenda quàm ex ſacris Codicibus. Ego verò nec labori, nec ſumptui peperci in comparandis evolvendiſque libris, ex quibus rerum Judaicarum certam cognitionem conſequerer. Prima pars Operis ſingula explicat quæ quoquomodo ſpectant Judæos; Genus eorum, Origines, Hiſtoriam, Religionem, Sacrificia, Loca ſacra, Tabernaculum, Templum, Synagogas, Feſta, perſonas Sacras, Sacerdotes, Levitas, Politiam, leges tum ſcriptas, tum ore traditas, Magiſtratus, Tribunalia, pœnas civiles & Eccleſiaſticas, antiquos & hodiernos eorum ritus circa res tum Religioſas, tum domeſticas, circa veſtes, cibos, ædes, ortum, matrimonium, funera, luctus. Etiam de variis Sectis ſermo fit. De menſuris temporum, de Kalendario, de ponderibus, de menſuris cavis, & longis.

Pleraque, fateor, nonniſi breviter perſtringo. Avidus autem doctrinæ Lector expeteret ut ſingula quæque excuterem, non illa nudè proponendo, ſed demonſtrando apertis teſtimoniis, & ubique allegatis Auctoribus. Verùm majoris molis volumen, ne dicam plura volumina compegiſſem; quæ procul dubio faſtidirent quibus ſcribo, & manuductione

† opus

opus eſt. Optant enim habere ducem præeuntem qui citra negotium eos deducat in Lectionem Sacri Codicis, nec eos diù moretur in veſtibulo. Hìc tamen indigitabo fontes de quibus ipſe potavi, undè qui ſunt ſtudioſi, & ipſi potare poſſunt & plenè ſitim reſtinguere.

Poſt ipſum Codicem Sacrum nulli alii Auctores certioris utilitatis ſunt ad res Judæorum cognoſcendas quàm Philo, & Joſephus. Deinde *Miſnaiot*, nimirum liber ille, quo continetur id omne quod Judæi traditione acceperant à majoribus ſuis, & ceperunt ſcriptis mandare poſtquam Templum everſum eſt, & patrio Solo ejecti, timebant ne memoria prorſus excideret. *Miſnaiot*, variis Gloſſis & Commentariis, ut ſuo loco dicetur, fuere expoſita: ex quibus crevere volumina, quibus conſtat illa collectio, quam Talmud appellant. Maimonides in Opere quod *Manum Fortem* inſcripſit, dilucidè ſimul & breviter totam doctrinam Talmudis expoſuit. Cui licitum eſt ipſum Talmud, aut illud opus Maimonidis adire ſine interprete, poteſt carere cæteris libris per quos res Judaicæ nuper innotuere Chriſtianis; & quibus utor pro meis. Sed ne videar horum librorum Auctoribus ſuam laudem ſuffurari, indicabo qui illi ſint Auctores per quos profecerim, ut & illis fruantur quibus otium ſuppetet & locupletes Bibliothecæ reſeratæ ſunt. Poſſem illos in diverſas claſſes diſtribuere. Prima contineret qui Linguam Hebræam excoluere, & in Libros Judæorum viam patefecerunt anteà præcluſam. Altera claſſis eſſet eorum qui Inter-

terpretati ſunt Miſnajot, & diverſos Talmudis tractatus, tum & libros veterum & recentium Rabbinorum; à quibus tota doctrina Talmudica vel ex parte elucidata eſt. Ad tertiam claſſem revocarem eos qui in genere res Judaicas exponendas ſuſceperunt, vel aliquot peculiares Tractatus de illis ediderunt. Sed Bibliographiam edendam non ſuſcipio, ideò prout memoriæ occurrent hoſce Auctores recenſebo.

Sebaſtianus Munſterus primus poſt Joannem Reuclinum inter Chriſtianos ſtudium litterarum Hebraicarum excitavit; aliquot Rabbinos Latinè reddidit. Ante illum tamen non penitùs res Judæorum ignotæ erant, ut videre eſt in Pugione fidei Raymundi Martini, quod Opus Petrus Galatinus ferè totum exſcripſit. Paulus Riccius initio ſuperioris ſæculi aliquot loca Talmudis interpretatus fuerat. Tunc cœperunt ſtudia Hebraica vigere; & innumeri viri hiſce ſtudiis clari quos non vacat omnes recenſere. Sed non prætermittam ſilentio Sanctem Pagninum qui Theſaurum Linguæ ſanctæ compoſuit, Franciſcum Vatablum; Leonem Juda; Paulum Fagium, Franciſcum Junium, Tremellium, Ariam Montanum Auctorem hujus Biblici Apparatus qui editus eſt cum Bibliis Regiis Polyglottis Antuerpienſibus, Genebrardum, Andream Maſium, Joannem Mercerum, Druſium, Hugonem Grotium, Ludovicum de Dieu, Sixtinum Amama, Simeonem de Muis & innumeros alios. Præter Commentarios quos illi ediderunt in ſacrum Codicem, in quibus

res Judaicas illuſtrant, plerique ex illis etiam nonnullos Rabbinos interpretati ſunt.

Poſtquam patefactum eſt quot uberes fructus percipi poſſent ex Lectione Talmudis, mirum eſt quanto ſtudio plerique incubuerint ſcrutandis Judæorum Libris. Magnam facem prætulere Buxtorfii Pater, & filius. Utriuſque multa ſunt Opera quæ omnia utilia ſunt. Conſtantinus l'Empereur ſtudia Hebraica maxime promovit. Tractatus Talmudicos integros inde habuimus Latina Lingua donatos à Coccio, à Sebaſtiano Schmidio, à Joanne Henrico Ottone, à Chriſtophoro Vagenſelio, à Seringhamio, à Peringero, & aliis jam nominatis Auctoribus, v. c. à Conſtantino l'Empereur.

Operis autem inſignis Maimonidis quod inſcriptum eſt *Manus fortis*, partes aliquas reddidere Latinè Dionyſius Voſſius, Vorſtius, Humphridus Prideaux, Georgius Gentius, Joſephus Voiſin, Ludovicus de Veil, Karpſovius. Alii alios Tractatus interpretati ſunt. Pocockius prefationes Commentariorum quos Maimonides in Miſnajot Arabicè ſcripſerat, in Latinam Linguam reddidit.

Memoriæ occurrunt innumeri alii Scriptorum Rabbinorum Interpretes, Philippus d'Aquin, Gauminus, Uchtmanus, Rittangelius. Didici ex diverſis Librorum Catalogis Taylerum, Ulmanum Hilpertum nonnullos Tractatus ſive Talmudis, ſive Maimonidis interpretatos eſſe.

Hi viri Hebraica Eruditione inſignes quos nominavi ſpeciales libros de rebus Judaicis ſcripſe-

ſcripſerunt, aut in notis quibus Auctores Hebræos illuſtrarunt, multa quæ ad ritus & mores Gentis pertinent inſeruere. Magnum Dictionarium Talmudicum Buxtorfii Theſaurus eſt antiquitatis Judaicæ. Libellum aureum de Synagoga Judaica edidit; ubi videre eſt omnes hodiernos ritus Judæorum, ex quibus veteres æſtimari poſſunt. Filius ejus diverſos Tractatus compoſuit utiles; de Arca, de Azymo, de Lotione Manuum, de Sponſalibus. Arias Montanus antiquitates Hebraicas expoſuit qui tractatus continetur in Apparatu ſuo Biblico. Conſtantinus l'Empereur ubique in ſuis notis ad Auctores Hebræos quos plures Latina Lingua donavit, differit de rebus Hebraicis. Sebaſtianus Schmidius Librum de Paſchate publicavit refertum ſcientia. Notæ Pocokii in præfationes Maimonidis à ſe verſas multam Eruditionem continent. Dignus laude Vagenſeilius in notis ſuis ad verſionem Sota & in confutatione librorum quos *Tela ignea Satanæ* inſcripſit.

Sigonius de Republica Hebræorum librum elegantem concinnavit nuper editum Helmſtadii cum copioſis notis Joannis Nicolai. Cornelius Berttamus pariter de Republica Hebræorum ſcripſit; cujus librum Conſtantinus l'Empereur ſuis notis auxit.

Cunæus eandem materiam tractavit ſicut & Menochius & Flavius Illyricus in *Clavi Scripturæ*, Leuſdenius in ſuo Hebræo. Hottingerus ſcripſit de legibus Hebræorum ſicut & Spencerus qui cùm originem rituum hujus Gentis accerſere vellet ex Ægypto, nu-

per egregiè confutatus eſt à Vvithio. De jure regio Hebræorum ſcripſit Vvielmus Schikardus cujus Opus plurimi fit. Rebus Judaicis in lucem vindicandis præcipuam operam impendit Seldenus in Tractatibus diverſis, de jure naturali, in libris de Synedriis, in uxore Hebraica & ſucceſſionibus, in libro de anno Civili, in libro de Nummis. Duo volumina Ligfooti ferè integra occupantur in Talmude exponendo. Thomas Goduinus in ſuo Moiſe & Aaron ſuſcepit omnes antiquitates Judaicas breviter explicandas; Pfeifferus ſelectas: Leo Mutinenſis hodiernos ritus Judæorum explicat. Hunc Gallicè loquentem induxit Richardus Simon, & notis illuſtravit.

Innumeri ſunt Scriptores qui aliquas partes rerum Judaicarum tractant, alii doctrinam ut Hoornebek libro de convincendis Judæis, & Hulſius in Theologia Judaica. Vitringa in ſuis obſervationibus ſacris diſſerit de Archiſynagogo. Adverſùs hunc ſcripſit Rhenferdius librum Hebraica doctrina refertum. Braunius miræ eruditionis libros edidit de Veſtitu Sacerdotum Hebræorum. Outramus ſcripſit de Sacrificiis. Gomarus de Poeſi, Gejerus de luctu, Bynæus de Calceis. Legi quinque volumina Bibliothecæ Rabbinicæ Julii Bartolocci. Henricus Otho Lexicum Rabbinicum compoſuit in quo multa que res Judæorum ſpectant feliciter explicat. Ferè prætermiſeram Joſephum Voiſin, cujus præter verſiones habemus librum de Jubilæo, de Lege divina, & notas in Pugionem fidei ſicut & Theologiam Judaicam.

Innumeri ſunt alii Scriptores qui etiamſi

dedi-

dedita opera non diſſerant de rebus Hebræorum, aliud agendo illas non rarò explicant, ut Joſephus Scaliger, Hugo Grotius, utrique Capelli, Clopenburgus, Altingius, & alii. Samuelis Bocharti Opus de Sacris animalibus, exhibeo contractum in tertia parte noſtri Apparatus. Pleraque ad Judaicos ritus attinentia in hocce Opere tractat. Sacra ejus Geographia mihi utilis fuit. Ribera ſcripſit de Tabernaculo & Templo, diligentiùs Villapandus, qui urbem Hieroſolymam deſcripſit, & de menſuris Hebraicis diſſeruit; unde lux nobis affulſit ſicut & ex libris Serrarii, Bonfrerii.

Ex tot, inquam, Auctorum floribus puta, Lector, Mellificium noſtrum collectum. Pleraque autem, quæ hic delibamus, ſcito à nobis alibi diligentiùs & fuſiùs pertractata. Etenim in libris de Templo Jeroſolymitano, quibus ab annis pluribus inſudavi, & qui nunc prælo committuntur, retego fundamenta quibus innixus definio valorem veterum Nummorum, longitudinem menſurarum, pondus & capacitatem vaſorum quibus Hebræi utebantur. Tabernaculum Moſaicum cum ſuppellectili ſua & omni ſuo cultu fusè deſcripſi ſermone, & figuris. Ita de Urbe Jeroſolyma, & Templo Salomonico, Pauca inſerui huicce Apparatui, ſpem potiùs ut facerem, quàm ut implerem deſiderium hæc cognoſcendi. In iiſdem libris de Templo fusè diſſerui de Sacrificiis, de Feſtis, de Menſuris temporum, de Kalend. Judaico. Prætereà in Tractatu de Paſchate multa quæ ſpectarent Ritus Judaicos expoſui & comprobavi non ſpernendis argu-

† 4 men-

mentis. Denique in commentariis quos edidi in Harmoniam quatuor Evangeliſtarum, res Judaicas ubi occaſio ſe dedit non ſine certis ſuis probationibus elucidavi.

Conſtat tribus partibus præſens Opus. Prima pars rerum Judaicarum cognitionem indit; quæ neceſſaria eſt ut Biblia intelligantur. Pars autem ſecunda de ipſis Bibliis tota eſt. Ibi Hiſtoriam eorum quæ Bibliis contigerint proſequor. Inde diſcet curioſus Lector cum voluptate, quibus olim characteribus exarata ſint; an illa puncta quæ nunc in texti Hebræo ſubjiciuntur conſonantibus litteris, recens vel antiquum inventum ſit; quando & à quibus in Græcam Linguam verſus ſit textus Hebræus, & quidquid circa Verſiones Græcas memoratum eſt antiquis monumentis. Quæ ſint illæ editiones celebres quarum Eſdras, Origenes, Maſſoretæ feruntur Authores, & ſimilia. Adjunximus explicationem idiotiſmorum ſeu proprietatum Linguæ Hebraicæ; quas proprietates quantum interſit non ignorare nemo non videt.

Hæc uberiùs pertractata occurrunt in Apparatu Bibliorum Polyglottorum Londinenſium; qui inſtar Bibliothecæ eſt, ſed & compluribus aliis libris adjutus ſum.

Paucis doceo quibus & quot Libris conſtent Biblia. Quale ſit cujuſque Libri argumentum; à quibus & qua Lingua ſcriptus: quæ ſit ejus auctoritas.

Hæc Sixtus Senenſis copiosè & erudite proſecutus eſt in Bibliotheca ſua ſancta. Similiter & Alphonſus Salmero, & complures alii.

alii. Theologorum eſt de Libris canonicis diſſerere. In hanc operam multi incubuerunt. Argumenta cujuſque Libri habes in Biblia, quam vir pius, & eruditus procuravit elegantibus Typis Antonii Vitrè. Nolui enumerare omnes Scripturæ ſacræ interpretes, quod ante aliquot annos ſatis diligenter fecit Crovæus Anglus. Singulis diebus luculenta Opera in lucem prodeunt. Singulari ſtudio Bibliothecarii pervolvendi unde boni libri cognoſcantur.

Ne aliquid deeſſet noſtro Apparatui ex iis quæ deſiderari animadvertebam à ſtudioſis, tertia parte eum auxi; de qua non opus eſt ut verba faciam; quæ enim ſcripta compilavi ingenuè declaravi ſuis locis. Experieris, Lector, opus noſtrum perpetui Interpretis vices ſupplere. Nam etiam aliud agendo compluribus Scripturarum locis lucem interdum infero. Opus quidem haberes linguis originalibus, quas ſaltem ut delibare velles te hortarer. Sed ſi otium non tibi ſuppetit aut deterret labor, compara diverſas Verſiones, quarum varietas utcumque ſuccurrit ignorantiæ Linguarum originalium. Etenim dum veritatis fontem plures Interpretes conantur eruere, & quiſque eam exprimit pro ſua facundia, faciunt ut iſta veritas clariùs luceat.

Non decet hic pluribus diſſerere de ſtudio Sacrarum Litterarum, & hùc afferre quæ infra occurrent. Utinam iſto noſtro labore ſic ſubleveris qui illo non dedignaberis uti, ut Biblia cum voluptate perlegas, & verè & ex animo dicas Magni Auguſtini verbis Deum alloquentis: *ſint caſtæ deliciæ meæ Scripturæ tuæ.*

LIBRORUM
ET CAPITUM
ISTIUS
VOLUMINIS SERIES.

LIBER PRIMUS.

Caput I. HEbræis, ut dicit Apoſtolus, credita ſunt eloquia Dei, id eſt ſcriptura; ad cujus ergo intelligentiam intereſt ſcire qui fuerint Hebræi: unde illis origo & nomen. Horum diviſio in Tribus, & familias. Qui nati, qui facti Hebræi. Alienigenæ aſciſcebantur in eorum gentem circumciſione. pag. 1

II. *Res Hebræorum per ætates ſuas digeſtæ* 14

Prima ætas mundi à creatione mundi ad diluvium. 16

Secunda ætas à diluvio ad vocationem Abrahæ. 18

Tertia ætas à vocatione Abrahæ ad Exodum ab Ægypto. 19

Quarta ætas ab Exodo ad conſtructionem Templi. 26

Quinta ætas à conſtructione Templi ad finem captivitatis Babylonicæ. 32

Sexta ætas à libertate donata per Cyrum ad Chriſtum natum. 43

Noviſſima mundi ætas, quæ contemplata ſunt de Chriſto edita vaticinia, à Chriſto nato uſque ad everſionem Templi. 49

III. *Totius orbis terrarum deſcriptio brevis, Terræ autem Iſrael paulò fuſior, & Urbis ſanctæ & ædificiorum ejus. Tum diſſeritur de loco paradiſi, & ubi fuerit Ophir, unde tot opes Salomoni advehebantur.* 54

IV. *De*

IV. *De locis ſacris. Primum de Tabernaculo quod in deſerto in medio caſtrorum Moyſes erexit juxta exemplar quod ei in monte Sinai monſtratum eſt. De Templo Hieroſolymitano, tum & de Synagogis in quibus Judæi vacabant precibus & lectioni Scripturarum,* 87
V. *De temporis menſuris apud Hebræos, de horis, diebus, hebdomadibus, menſibus, annis, jubilæis.* 101
Kalendarium Judaicum, 112
VI. *De Judæorum feſtis,* 129
VII. *In feſtis diebus colebatur Deus potiſſimum ſacrificiis, quorum finis erat annunciare mortem Chriſti. Natura, ſpecies, ritus eorum exponuntur. Simul diſſeritur de oblationibus, donis, primitiis, decimis.* 144
VIII. *De Templi miniſtris, de Levitis, de Sacerdotibus, de ſummo Sacerdote Dei, & veſtibus ejus, de Ephod, & in eo Urim & Thummim. De aliis perſonis ſacris, Nazaræis, Rechabitis, Prophetis.* 166
IX. *De Judæorum Doctoribus; de ſectis inter eos, nempe Phariſæorum, Sadducæorum, & aliorum; tum & de perſonis Schiſmaticis. De Samaritanis.* 186
X. *Dogmata fidei Judæorum & praxes religioſæ.* 204
XI. *Reſpublica Judæorum Theocratia erat; quippe Deus præſes ejus. Habuit tamen diverſos diverſis temporibus Magiſtratus & Principes, penes quos fuit ejus regimen.* 220
XII. *De diverſis Reipublicæ Hebræorum Tribunalibus. De magno Synedrio. Ejus locus erat in Templo; ubi judicatus eſt reus mortis; qui & more Romano crucifixus eſt. De pœnis quæ reis infligebantur, ſimul & excommunicationibus.* 229
XIII. *De Hebræorum legibus primariis, quæ Noacho, Abrahæ, Moyſi datæ ſunt; tum de ſecundariis, quas ipſi Judæi obſervant, ne peccent in primarias. De Miſchna & Talmude, quo illas complectuntur.* 250
XIV. *Conſuetudines, ritus, mores tum veterum, tum hodier-*

hodiernorum Judæorum circa res civiles, ortum; vitam, matrimonia, veſtes, cibos, potum, ſupellectilia, artes, mortem, ſepulturam. 269
XV. *De ponderibus & nummis, de quibus in ſacra Scriptura fit mentio.* 285
XVI. *De menſuris cavis & longis, de quibus in ſacra Scriptura fit mentio.* 298

LIBER SECUNDUS.

Cap. I. *De Scriptura ſacra. Quibus nominibus inſignitur codex, quo illa continetur. Sermo eſt divinus quo nos Deus compellat. Non alius æque certus eſt, & qui magis omnis dubitationis cauſas precidat.* 310
II. *Enumerantur libri quibus conſtat ſermo divinus, & cujuſque libri brevis texitur hiſtoria.* 314
III. *De diviſione librorum Sacrorum. De diſtinctione ſectionum majorum, capitulorum, verſuum. De antiquis diviſionibus veteris Teſtamenti, ut ſpatio anno per omne ſabbatum in Synagogis legeretur.* 332
IV. *A quibus, quo tempore, & qua lingua ſinguli libri ſacri ſcripti ſunt.* 339
V. *Quæ cujuſque libri ſacri ſit autoritas, ſive qui canonici cenſeantur; qui Deuteronomici; qui Apocryphi.* 349
VI. *De lingua Hebræa, in qua primum ſcripti ſunt libri ſacri. De antiquitate hujus linguæ. Hebræus codex olim ſcribebatur ſine punctis vocalibus.* 360
VII. *De alphabeto Hebræo. Formam litterarum Hebræarum prodeſt non ignorare.* 371
VIII. *De idiotiſmis ſive proprietatibus linguæ ſanctæ. Unde tanta diverſitas inter eadem nomina, quibus Græci & Latini interpretes expreſſerunt nomina propria Hebræorum.* 374
IV. *De integritate & autoritate Hebræi codicis; de ſtudio quo Judæi Maſſoretæ eum incorruptum ſervare ſate-*

ſategerunt. De Maſſora & cabala, quæ id præſtiterunt. 381

V. De Hebræi codicis antiquis verſionibus Græcis: de verſione quæ dicitur LXX. ſeniorum; & de cæteris. 394

XI. De verſionibus Latinis, ea præcipuè quæ nunc Vulgata dicitur. 406

XII. De pentateucho Samaritano; Paraphraſibus Chaldaicis; tum de cæteris ſacri codicis verſionibus, quoque tempore, & quaque lingua elaboratis. 415

XIII. De editionibus Bibliorum præcipuis; de Hexaplis antiquis Origenis; & aliis noviſſimis Polyglottis. 423

XIV. De variis Scripturæ ſacræ exponendæ modis; ſive de diverſis ſenſibus ejus. 433

XV. De præcipuis regulis in exponenda ſacra Scriptura ſervandis. 439

XVI. De variis ad expoſitionem Scripturarum ſuſceptis operibus, & de claris ejus expoſitoribus. 445

XVII. De ſcripturarum Chronologia, & Harmonia. 451

LIBER TERTIUS.

Cap. I. De exoticis, id eſt extraneis rebus, quarum cognitio ſacris Scripturis intelligendis ſubſervit. Primum de falſis Numinibus, quorum illæ mentionem faciunt. De veri Dei & falſorum Deorum nominibus. 473

II. De animalibus ſacris, quorum ſcilicet mentio fit in ſacra Scriptura; & quorum proprietates notas habere intereſt ad eamdem Scripturam intelligendam. 507

III. De re herbaria, frumentis, leguminibus, arboribus, fructibus & plantis ſacri Codicis. 542

IV. De gemmis ſive pretioſis lapidibus, de quibus loquitur Scriptura. 509

V. De cæteris rebus naturalibus, quæ cœlo & terra continentur; de cœlo, de metallis; de re veſtiaria & ciba-

cibaria; de aromatibus; quorum omnium prænotionem aliquam habere utile eſt ad ſacras Scripturas intelligendas. 586

VI. *De morbis quorum mentio fit in ſacro Codice.* 612

VII. *De Theatris, ludis Gentilium, de re Gymnaſtica, ſive Athletica; Athletarum moribus, exercitiis, præmiis; unde crebræ comparationes petuntur in ſacro Codice. Nonnulla etiam de veteri militia & de re navali.* 627

VIII. *Exponuntur pleraque nomina quorum etymum, ſive veram originem ſcrutari intereſt ad rerum ſacrarum veritatem cognoſceudam.* 644

IX. *De partitione Codicis ſacri; qua integer ex ordine legi poſſit ſpatio annuo.* 666

Finis ſeries Librorum & Capitum.

JU-

JUDICIUM

Magiſtri Pauli DE COHADE, *Doctoris, Socii Sorbonici, Officialis Metropolitani; & Cuſtodis Sanctæ Crucis in Eccleſiâ Lugdunenſi.*

QUantum faciam, quantum amem Apparatum hunc Biblicum, ita notum eſſe arbitror, ut res non egeat argumentis; amoris autem mei cauſæ ſunt Authoris excellens ingenium, præſtantia in omni genere Litterarum, comprehenſio Sacræ & profanæ vetuſtatis, deinde, valor ac pretium operis, in quo tria occurrunt commendatione digniſſima; neceſſitas, ſuavitas & dignitas; dignitatem oſtendit argumenti majeſtas, ſuavitatem mira varietas, neceſſitatem explicatio rerum ad intelligentiam utriuſque Teſtamenti attinentium, quâ neglecta cæſpitet aut magnis impedimentis lector detineatur prorſus oporteat; eam ob rem eruditam hanc Iſagogem diſtributam melius, diligentius fuſiuſque pertractatam dignam puto nova luce, novo prælo, novo idiomate, novis præconiis. Datum Lugduni die vigeſimâ ſexta Septembris, anno milleſimo ſeptingenteſimo decimo quarto.

DE COHADE.

NOI

NOI REFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approbazione del *P. Fra Tommaſo Maria Gennari Inquiſitore*, nel Libro intitolato: *Apparatus Biblicus, ſive Manuductio ad Sacram Scripturam. Auctore P. Bernardo Lamy*, non v'eſſer cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro; niente contro Prencipi, e buoni coſtumi, concedemo Licenza a *Lorenzo Baſeggio Stampatore*, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Publiche Librerie di Venezia, e di Padova.

Data 10. Ottobre 1732.

(
(Alviſe Piſani Kav. Proc. Reform.
(Pietro Grimani Kav. Proc. Reform.

Agoſtino Gadaldini Segretario.

Adi 26. Novembre 1732.

Regiſtrato nel Magiſtrato degl' Illuſtriſſimi ed Eccellentiſſimi Signori Eſecutori contro la Beſtemmia.

Angelo Legrenzi Segretario.

APPA-

APPARATUS BIBLICUS, SIVE MANUDUCTIO AD SACRAM SCRIPTURAM.

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Hebræis, ut dicit Apoſtolus, credita ſunt eloquia Dei, id eſt Scriptura; ad cujus ergo intelligentiam intereſt ſcire qui fuerint Hebræi: Unde illis origo & nomen. Horum diviſio in Tribus, & familias. Qui nati, qui facti Hebræi. Alienigenæ aſciſcebantur in eorum gentem circumciſione.

IN id incumbimus, hanc-ce ad Sacras Scripturas Manuductionem adornantes, ut rerum, quas voluit Deus eſſe apparatum Incarnationis J. C. D. N. veram & claram cognitionem ſubjiciamus. Ergo cùm Reſpublica, quæ ex poſteris Abrahæ, Iſaac & Jacob, ſcilicet ex Hebræis coaluit, typus ſit chriſtianæ Eccleſiæ, hoc eſt, pii illius cœtus, qui à Chriſto cogendus erat, propiùs iſta reſ-

publica ſpectanda eſt. De ipſa autem gente protinus in genere differendum, ingerendo animis generalem notionem, quam perfectiorem ſequentibus capitibus reddemus; omnes ejus, ut ita dicam, lineas ducendo; nempe exponendo regimen ejus, leges, Religionem, mores, conſuetudineſque. Hæc omnia diligenter expendere operæ pretium eſt: ut enim in Republica Hebræa nihil temerè inſtitutum eſt, ſed omnia cauſa Chriſti; ita ipſis Hebræis omnia contigerunt, ut ait Apoſtolus (1. *Cor. cap.* 10.) in figuris ejuſdem Chriſti. In Hebræorum autem gente alii nati erant Hebræi, alii facti, ſive aſciti genti Hebraicæ. In his qui naſcebantur Hebræi, tria conſiderare licet, originem, nomen, & ordinem, ſeu gentis diviſionem in certas Tribus, ſive claſſes.

Hebræi originem ducebant à Sem, qui in Scriptura nominatur primus inter filios Noe. Arphaxad enim Sem natus genuit Sale, qui fuit pater Heber, ex quo genitus eſt Phaleg pater Ragau, à quo Sarug, qui fuit pater Nachor. Ille genuit Thare patrem Abrahæ (*Gen.* 11.) Abraham ex ancilla ſua Agar habuit Iſmaelem, quem circumcidit cum omni domo ſua. In eo tamen non reputatum eſt illi ſemen (*Gen.* 16. *&* 17.) ſed in Iſaac, quem centenarius ſuſcepit ex Sara nonaginta annos nata (*Gen.* 21.) Scilicet ex Iſaac oriunda erat benedicta illa proles, multiplicanda tanquam arena maris. Propterea qui priùs dicebatur *Abram*, id eſt, *pater excelſus*, ex duabus vocibus Hebræis *ab* pater, & *ram* excelſus, poſtea dictus eſt *Abraham;* quod nomen idem ſonat ac *pater multi populi* AB-RAB-HAM (*Gen.* 17.)

Iſaac genuit Eſau & Jacob. Eſau fuit primogenitus. Appellatus eſt *Edom*, id eſt, *rufus*, quòd coctionem rufam pretio primogenituræ ſuæ emiſſet à fratre ſuo minori Jacobo, qui ſic illi benedictionem ſubripuit, ut infrà dicetur, & evaſit primogenitus & hæres.

hæres. Ab Eſau ſive Edom orti ſunt Idumæi. Jacob duodecim filios genuit, quorum nomina ſunt, Ruben, Simeon, Levi, Juda, Iſſachar, Zabulon, Dan, Joſeph, Benjamin, Nephthali, Gad, & Aſer. Hi fuere patres gentis illius, cui benedixit Deus, ſua eloquia credidit, & promiſſiones de Meſſia venturo (*Gen.* 29. & 30.)

His tribus Abraham, Iſaac, & Jacob definitur origo gentis. Neque enim ſufficit dicere Judæorum caput eſſe Abraham; cùm & Iſmaelitarum ſit parens; ſicut Judæos habere patrem Iſaacum; quoniam & ab Iſaac ſint Idumæi: ideò ſæpè ſæpiùs nominantur ſimul Abraham, Iſaac, & Jacob, quando de Patribus Judæorum ſermo fit.

Ab Heber, à quo originem ducebant, ut ſuprà dictum eſt, & cujus lingua utebantur, dicti ſunt *Hebrei*; niſi fortè veriſimilius ſit ſic nuncupatos à verbo Hebræo *Havar*, id eſt, *tranſivit*; quia Abraham à Deo vocatus ex terra Chaldæorum tranſivit flumen Euphratem, & venit in terram Chanaan (*Gen.* 11. & 12.) Hebræi verò *Iſraelitæ* dicti ſunt à patre Jacob, qui appellabatur Iſrael; quod nomen ſignificat *prævalentem Deo*. Sic eum ipſe Deus dignatus eſt appellare, poſtquàm cum eo fortiter luctatus eſt (*Gen.* 32.) Hoc nomine poſteri Jacob diſtincti ſunt à filiis Eſau, qui de nomine ejus *Edom* nominati ſunt *Idumæi*.

Tertiò illi de quibus ſermonem inſtituimus, nomen acceperunt à Tribu Juda, nimirùm dicti ſunt *Judæi* tribus de cauſis. Primò, quia reges ex eâ fuere. Secundò, quia ex eâ Meſſias debuit naſci. Tertiò, quia illa Tribus omnium maximè florens & integra, duce Zorobabele ex captivitate Babylonicâ rediit (1. *Eſdræ* 8.) Nam Tribus Benjamin ferè deleta fuerat in bello, quod adversùs eam cæteræ Tribus Iſrael geſſerunt (*Judic.* 20.) Decem verò Tribus, quæ ſchiſmate erant avulſæ à Tribu Juda, captivæ abductæ à

Salmanazar (4. *Reg.* 17.) nunquam redierunt & quaſi evanuerunt: ſoli verò Judæi ex gente Hebræa ſuperfuerunt, qui populus cenſeri poſſent: nam quidam de aliis Tribubus reverſi ſunt pauci numero, qui Tribui Juda ſeſe adjungentes, de nomine ejus omnes appellati ſunt *Judæi.*

Protinus ac lapſus eſt Adam, omnium hominum parens, promiſit illi Deus futurum ejus lapſus Reparatorem. Selegit autem Judæos ſibi in populum, in quo oſtenderet & ſignificaret quid eſſet geſturus per illum Reparatorem, qui Hebræis dictus eſt *Meſſias*, id eſt, *unctus*, ideò à Græcis appellatus *Chriſtus*, quod eſt nomen ejuſdem ſignificationis. Tanto operi, quo reſtauranda erat humana natura, voluit Deus quaſi præludere per quater mille annos, magno apparatu excitans hominum animos, ut eſſent idonei excipiendo Meſſiæ ſive Chriſto. Quia ergo ad hoc ſelegit Judæos, quibus ſua judicia, & quæ erat geſturus, manifeſtaret; ideò per excellentiam vocati ſunt *Populus Dei.* Cæteri homines vocantur *Goim* Græcè *Ethnici*, hoc eſt, *Gentiles*, qui & appellantur *incircumciſi*, per oppoſitionem Judæis qui mares ſuos omnes circumcidebant.

Neceſſe erat ut Populus ille Dei aliqua diverſitate noſceretur, *&* præferret viſibilibus ſignis alium populum, nempe Chriſtianum, qui aliquando futurus erat Deo devinctior ſincera cordis dilectione; & quem ſibi cordi eſſe demonſtraturus erat Deus perpetuis & conſpicuis donis Spiritus ſancti. Cùm, inquam, populus Iſraeliticus populi Chriſtiani eſſet quaſi emblema, congruebat ut conſignaretur caro ejus. Pro tali ſigno præcepit Deus abſciſſionem præputii, nimirùm pelliculæ, quæ tegit partem corporis, pudoris cauſa non nominandam. Nota illa indicabat aliquando Chriſtianos reſciſſuros omnia carnis ſuæ inutilia & nociva deſideria; præputium autem impunè reſcindi po-

di poteſt octavò à nativitatis die. Præterea ea pars carnis videbatur mortificanda, qua communicatur labes primi parentis ad poſteros ejus omnes, qui via carnis naſcuntur. Hac conditione circumciſionis pepigit Deus pactum cum Abraham; ſcilicet ut omnes poſteri ejus circumciderentur. Placabatur autem Deus ſanguine circumciſionis, quatenus figurabat ſanguinem Chriſti. Permiſit Deus ut ſeptem dies à nativitate natus infans incircumciſus maneret; quia ante diem ſeptimum propter infirmitatem maximè periculo obnoxius eſt. Veriſimile eſt plures Iſraelitas fuiſſe incircumciſos uſque ad tempus Paſchatis primi, quod Moyſes celebrandum curavit ipſo die, quo ex Ægypto profectus eſt: neque enim licebat viro incircumciſo edere Agnum Paſchalem (*Exod.* 12. 48.) Ideò ante illud Paſcha generalis circumciſio ſaltem maximæ partis Iſraelitarum peracta fuit; ut colligitur ex eo quod poſtea juſſit Deus populum circumcidi, cùm ingreſſus eſt terram Promiſſionis. Facta ergo erat anteà generalis circumciſio, ut puto, per triduum tenebrarum quibus involuta eſt Ægyptus. Ex circumciſione enim æger futurus erat uſque ad diem tertium, quo dolor eſt graviſſimus (*Gen.* 34. 25.) Adultorum gravior circumciſio; ideò cùm Moyſes circumcidiſſet filium ſuum, ſive Sephora uxor ejus, & ſic multum dolorem procreaſſet proli ſuæ, ſuccenſens marito ſuo: *Sponſus ſanguinum tu mihi es*, inquit illa (*Exod.* 14. 15.

Quoniam umbram fugat veritas, æquum fuit ut, poſtquam Meſſiæ vultus terrarum orbi affulſiſſet, eæ imagines tollerentur, in quibus fuerat olim myſterii hujus occulta quædam ſignificatio. Itaque poſt mortem Chriſti vim ſuam perdidit circumciſio; nec etiam iis qui ex prophanis gentibus illum venerati ſunt, præputia ponere neceſſe fuit, ut eccleſiæ ſacris initiarentur; nec Judæis officiebat, quod recutiti eſſent, ut Paulus docet ad Corinthios ſcribens capite ſepti-

 mo pri-

mo primæ Epiſtolæ: *Circumciſus aliquis vocatus eſt? Non adducat præputium. In præputio aliquis vocatus eſt? Non circumcidatur. Circumciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt, ſed obſervatio mandatorum Dei.* Enimverò illo ævo quidam malè ſuperſtitioſi, ex Judaiſmo in Chriſtianiſmum tranſeuntes, uſque adeò nulla Judaici ritus ſupereſſe veſtigia in corpore ſuo voluere, ut præputia quæ infantes amiſerant, jam repararent viri, ad eam rem medicorum uſi opera; quæ fuit profectò nimis anxia religio: jure igitur eam culpavit Apoſtolus. Videre eſt apud Joſephum in Antiquitatibus (*Lib.* 12. *cap.* 6.) quomodo apoſtatæ Judæi relictis moribus patriis obtinuerant ab Antiocho, ut gymnaſium Hieroſolymis, ſive locum extruerent, in quo more Græcorum nudi luctarentur; ne autem nudi diſſimiles Græcis viderentur, abſcondebant, inquit Joſephus, circumciſionem; quod aliter facere non poterant quàm adducendo præputia. B. Hieronymus illum locum Apoſtoli de cælibatu & de conjugio interpretatur. *Eo*, inquit, *tempore quo vocatus es & credidiſti, ſi circumciſus, hoc eſt, cœlebs eras, noli ducere uxorem, id eſt, noli adducere præputium, ne circumciſionis & pudicitiæ libertatem oneres ſarcina nuptiarum. Rurſum ſi in præputio quis vocatus eſt, ne circumcidatur, Habebas uxorem cum credidiſti? Noli fidem putare cauſam diſſidii. In pace enim vocati ſumus.* Ibi Hieronymus, ut oſtendat Pauli locum non eſſe verbo tenùs, aut ſine allegoria explicandum, diſertè ait, haud eſſe poteſtatis noſtræ præputium adducere poſt circumciſionem. Nos, inquit Cunæus, non opponemus Hieronymo illuſtrium medicorum conſenſum, qui fieri id poſſe affirmant, quod negat ille. Satis illum redarguit tot hiſtoriarum fides: Scriptor Machabæorum (*Lib.* 1. *cap.* 1. *v.* 16.) & Flavius Joſephus.

Circumciſio per quadraginta annos, dum in Arabum

bum deſertis errabant Hebræi, omiſſa eſt, quia cùm ſæpiùs movenda caſtra eſſent, ægrorum imbecillitas ex recenti vulnere moram injeciſſet profectioni. Nec tunc temporis illa in carne nota neceſſaria erat; quòd in vaſtiſſimis illis locis nullæ erant gentes, quibus miſceretur ſacer Populus. Attamen, quoniam circumciſos proſequebatur ſingularis quædam Numinis benignitas, utique valdè infelices videri poſſunt, quos in ſolitudine natos fati vis extinxit acerbo funere. Sed, inquit Cunæus, nobis Sacri Codicis contextum acriùs inſpectantibus, nulla adhuc reperta ratio eſt, cur in deſerto crederemus aliquos periiſſe, qui nati ibidem eſſent. Illud conſtat eorum omnium, quos ex Ægypto Moſes eduxit, neminem, exceptis duobus, in Palæſtinam veniſſe. Itaque quod ſummus populi ductor Joſue, cùm Jordanem tranſiiſſet, Iſraelitas denuò circumcidiſſe memoratur, id ad eos pertinet qui circumciſi nondum fuere, quia nati in deſerto erant. Repetita tamen circumciſio dicitur, quia revocabatur mos, qui uſurpatus olim in Ægypto, ac dein intermiſſus, poſtea penitùs abierat in deſuetudinem; neque enim circumciſionis ulla fit mentio in deſerto: quare priùs quàm paſcha populus comederet in terra Chanaan, neceſſe fuit ut circumcideretur; quod Joſue fecit, ut ipſe narrat capite quinto. Tunc cùm circumciſio adminiſtrata eſt in Galgala, dixit Dominus ad Joſue, ***Hodie abſtuli opprobrium Ægypti à vobis, vocatumque eſt nomen loci illius Galgala***, id eſt, ***revolutio***, quia revolutum eſt opprobrium ab Iſrael. Quo autem ſenſu præputium poterat dici opprobrium Ægypti, reſpondent qui putant hiſce diebus Ægyptios circumcidiſſe genitalia, præputium æquè his populis ac Iſraeliticis viſum fuiſſe rem pudendam; ſed viri docti probant non ſtatim ab Ægyptis admiſſam circumciſionem. Ergo ſic accipiendus ille locus, quaſi diceret: à vobis abſtuli malam notam,

quâ ſimiles eratis Ægyptiis, & ideò mihi exoſi; quare dicebant filii Jacob Sichimitis (*Gen.* 34. 14.) *Non poſſumus facere quod petiſtis, nec dare ſororem noſtram homini incircumciſo: quod illicitum eſt & nefarium apud nos*. Joſephus (*Antiquit. l.* 5. *cap.* 1.) vult circumciſionem in Galgâlis fuiſſe ſignum recuperatæ libertatis, quòd perfectè tunc exierint ex Ægyptiaca ſervitute.

Cunctæ animantes, cùm recens natæ ſunt, quia incertum adhuc eſt, an vita illis vitalis ſit, ante octavum diem vix in cenſu animantium æſtimantur. Præterea nondum ſpurcities diffluxit, quæ ex utero illis, atque ex partu credita eſt adhæreſcere. Ea cauſa eſt cur ex hoc genere mactari victimas ſibi vetuerit Deus, cui ingrâtum eſt quicquid ſemiperfectum aut impurum eſt. Extat edictum Levitici (*Levit. cap.* 22. *verſic.* 27.) *Bos, ovis, & capra cùm genita fuerint, ſeptem diebus erunt ſub ubere matris ſuæ. Die autem octavo & deinceps offerri poterunt Domino*. Igitur quoniam etiam circumciſio velut quoddam ſolemne ſacrum fuit, per quod puerorum ſurgentem ſpem conſecrabant Numini, planè oportuit hic eandem opportuni temporis legem eſſe. Placuit auctem octavus dies, non ob arcanam vim quę in numero eſſet; ſed quia nec ante peragi ſacet ille ritus potuit, & ut diutiùs differretur, neceſſe haud fuit. Quòd ſi dies poſt octavum quivis alius ex parentum fuiſſet delectus libitu, jam metus erat ne ſupinitate hominum & ſocordia quotidie res in deterius iret. Ita enim fit in vita. Primùm prolatatio & ignaviæ quædam dulcedo allubeſcit: mox contemptio ſuccedit atque neglectus. Ipſe Sabbati dies, ſi octavus à natali eſſet, non exceptus fuit, quamvis ab omni alio opere continerent tunc manus ſuas Judæi; Deus enim, cùm legem dedit Abrahamo de circumciſione, mortem interminatus fuerat cuicumque viro Iſraelitæ, cujus caro non fuiſſet cir-

circumciſa octavo die, quam forſan tum incircumciſus, tum pater ejus ſubibat. Angelus enim Domini occurrens Moyſi, cùm reverteretur in Ægyptum, voluit tum prolem ejus, tum eum ipſum interficere: ſed Sephora uxor ejus tulit illicò acutiſſimam petram, & circumcidit præputium filii ſui (*Exod.* 4.)

Revertamur ad cœptum ſermonem de diviſione totius gentis in Tribus duodecim, quot erant filii Jacob, & ſingularum Tribuum in cognationes & familias. Etiamſi qui ortum ducebant ex Levi, quem genuerat Jacob, non numerarentur inter Tribus, non ideò minùs duodecim Tribus erant. Manaſſe enim & Ephraim, duo filii Joſeph, qui filius erat Jacob, conſtituebant duas Tribus. Filii autem Levi ſoli Deo vacabant, diviſi in tres cognationes; Gerſonitarum, à Gerſon filio Levi primogenito; Caathitarum, à Caath altero filio Levi; Meraritarum, à Merari tertio filio Levi. Porrò Caath ſecundus filius Levi genuit Amram, qui ipſe ſuſcepit Aaronem & Moyſem. Moyſes fuit ductor populi Dei: Aaron verò Dei ſummus Sacerdos filios habuit Nadab & Abiu, Eleazarum & Ithamarum. Mortuis Nadab & Abiu, ad ſuperſtites duos filios Aaronis Eleazarum & Ithamarum ſacerdotium pertinuit. Horum prolem David diviſit in viginti quatuor familias ſive claſſes, quæ ſuis vicibus à ſabbato ad ſabbatum obirent munera ſacerdotalia per octo dies. Filii Eleazari conſtituerunt ſexdecim claſſes ſacerdotum: octo alias filii Ithamari (*Paralip.* 24.) Harum viginti quatuor claſſium ſubjiciuntur nomina ab eo accepta qui familiæ caput fuit.

E L E A Z A R I

1. Joiarib.
2. Jedei.
3. Harim.
4. Seorim.
5. Melchia.
6. Maiman.
7. Accos.

7. Accos.	12. Jacim,
8. Abia.	13. Hoppha.
9. Jeſua.	14. Isbaab.
10. Sechenia.	15. Belga.
11. Eliaſib.	16. Emmer.

I T H A M A R I

17. Heſir.	21. Jachin.
18. Apheſes.	22. Gamul.
19. Pheteia.	23. Dalaiau.
20. Hezechiel.	24. Maaziau.

Cæteri filii Jacob dividebantur in haſce cognationes.

Tribus Ruben in Henocitas, Phalluitas, Heſronitas, Charmitas.

Tribus Simeon in Namaelitas, Jaminitas, Jachinitas, Zareitas, Saulitas.

Tribus Gad in Sophonitas, Aggitas, Sunitas, Oznitas, Heritas, Aroditas, Arielitas.

Tribus Juda in Selaitas, Phareſitas, Zareitas, Heſronitas, Hamulitas.

Tribus Iſſachar in Tholaitas, Phuaitas, Jaſubitas, Semranitas.

Tribus Zabulon in Sareditas, Elonitas, Jalelitas,

Tribus Joſeph primùm, ut diximus, dividebatur in duas familias Manaſſe & Ephraim. Manaſſe verò familia ſubdividebatur in Machiritas, Galaaditas, Jezeritas, Heleciras, Afrielitas, Sechemitas; Ephraim autem in Suthalaitas, Becheritas, Thehenitas, Heranitas.

Tribus Benjamin in Belaitas, Asbelitas, Ahiramitas, Suphamitas, Hereditas, Noemitas.

Tribus Dan in Suhamitas.

Tribus Aſer in Jemnaitas, Jeſſuitas, Brieitas, Heberitas, Melchielitas.

Tri-

Tribus Nephtali, in Jeſielitas, Gunitas, Jeſeritas, Sellenitas.

Hi omnes ortum ſuum ducebant ex Abrahamo; qui ergo naſcebantur Hebræi. Jam de his agamus qui fiebant, ſcilicet amplectendo inſtituta Hebræorum. Hinc nata diſtinctio Hebræorum factorum, & Hebræorum ex Hebræis, ſive Judæorum originariorum, qui Abrahamidæ erant ſecundùm carnem, Paulus ſcribens ad Philippenſes (*cap.3. v. 5.*) ut ſe Judæis commendaret aiebat. *Circumciſus octavo die, ex genere Iſrael, de Tribu Beniamin, Hebreus ex Hebrais, ſecundùm legem Phariſaus.*

Non admittebantur in eccleſiam ſive in cœtum Iſraelitarum eunuchi (*Deut.* 23.) Qui autem non excludebantur ſolebant dici *Proſelyti*. Vox græca eſt, quæ *advenam* ſignificat, Hebræis *gher* eſt *peregrinus, advena*. Chaldæis & Syris *gheiora*; undè LXX. Interpretes fecerunt *γειώρας*: quo nomine hi & Juſtinus martyr appellant proſelytos. Non omnes proſelytos ſive advenas Judæi adigebant ad circumciſionem. Duplex erat proſelytorum genus. Alii dicebantur *Berith*, id eſt, *Fœderis*, qui ſe adigebant univerſæ legi *Moſaica*. Alii appellabantur *Toſchab*, id eſt, *habitationis, domicilii*, ſive, ut loquuntur Judæi, *porta*; qui nempe intra portas Judæorum commorabantur, ſed non amplectebantur omnes leges eorum. Tenebantur tamen lege ſabbati (*Exod.* 20. 10.) & his omnibus legibus quibus Thalmudici, id eſt, Judæorum doctores putant Noachum aſtrinxiſſe filios ſuos, verbi cauſa, non colere idola, abſtinere à ſanguine. Quæ fuerint illa Noachidarum præcepta exponemus ſuo loco. Sinere non poterant Judæi ut in eorum terris ſine ulla lege viverent advenæ: in conſortium ſuum admittere non poterant eum qui his ſaltem præceptis non pareret. Nam, inquit Maimonides: (*Tract. de proſelyt. cap.*3.) *Tenemur interficere omnes gentiles, qui nolunt*

reci-

recipere præcepta Noachidis data, ſi ſint ſub poteſtate noſtra. Moſes magiſter noſter legem & præcepta nullis tradidit niſi Iſraëlitis (ſicut dictum eſt legem præcepit nobis Moſes, hereditatem congregationi Jacobi) iiſque omnibus qui vellent proſelyti fieri è cæteris gentibus terræ; nam dictum eſt, ſicut vos, ſic erit proſelytus. Si quis verò noluerit legem & præcepta in ſe ſuſcipere, non cogent eum; at verò juſſit Moſes à Deo ipſo edoctus ut cogeremus unumquemque, qui in mundum venerit, ſuſcipere in ſe præcepta Noachidis data, & quicumque ea in ſe non ſuſcipiet, interficietur; qui verò ea in ſe ſuſceperit, vocatur proſelytus domicilii in quocumque loco. Obligatur autem ea in ſe ſuſcipere coram tribus viris doctis.

Exponit Maimonides (*Cap.* 2.) quis propriè dicebatur proſelytus domicilii, ſive portæ. *Quis eſt*, inquit, *proſelytus domicilii? Is gentilis eſt, qui in ſe ſuſcipit à cultu idolorum abſtinere, & cætera obſervare præcepta, quæ præcipiuntur filiis Noe, nec circumciditur nec baptizatur. Quin ecce admittunt eum veluti unum ex piis è gentibus mundi. Quare autem vocatur proſelytus domicilii? Quia licitum eſt nobis ei domicilium præbere inter nos in territorio Iſraëlitico.* Capite ſequenti idem Judæus de piis Gentibus, de quibus toties fit ſermo in ſacro Codice, ſic ſtatuit. *Quicumque in ſe ſuſcepit ſeptem præcepta Noachidarum, & in iis obſervandis cautus eſt, ecce ille eſt, ex piis è Gentibus mundi, & portionem habet in ſæculo futuro, ſi modò ille ſuſcipiat ea & obſervet*. Ex illis proſelytis portæ habentur Naaman Syrus, eunuchus Candacis Reginæ, Cornelius, & alii qui dicebantur Græcè *ἐυσεβεῖς viri pii*, à Latino interprete *viri religioſi* (*Act.* 10. 2.)

Proſelyti *berith*, fœderis, ſive juſtitiæ, ut loquuntur Judæi, amplectebantur totam legem Moyſis, & habebantur veluti indigenæ, ſive orti ex gente ipſa.

Sic

Sic Achior (*Judith.* 44.) appoſitus eſt ad populum Iſrael. *Juſtitiæ* appellabantur, quia juſti erant, incedentes in omnibus Dei mandatis. Circuibant mare & aridam Judæi, ut facerent tales proſelytos, augendæ gentis cauſa. Tribus autem rebus fiebant proſelyti juſtitiæ. Sanguine circumciſionis, qui appellabatur ſanguis fœderis; circumcideretur enim neceſſe erat juxta mandatum datum Abrahæ: quod omnis maſculus non circumciſus periret de populo (*Gen.* 17.) Circumciſio autem erat veluti ſigillum, qua quis obſignatus ſtatim Judæus fiebat, & ideò adſtrictus legibus, quibus omnes Judæi tenebantur. Ideò Paulus aiebat Galatis. (*c.* 5. *v.* 3.) *Teſtificor autem rursùs omni homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt univerſæ legis faciendæ.* Sic, inquam, quiſquis ſe præbebat circumcidendum, mancipabatur Judaiſmo, *Et ſic in perpetuum*, loquitur Maimonides (*Cap.* 1. *dicti tract.*) *quotieſcumque aliquis Gentilis voluerit in fœdus intrare, & ſtationem habere ſub alis divinæ majeſtatis, ſuſcipereque in ſe jugum legis, opus eſt ei circumciſione.*

Poſt ſanatum circumciſionis vulnus, qui ambibat proſelytus juſtitiæ dici, baptizandus ſive abluendus erat coram ſaltem tribus viris inter Judæos primariis; in quorum præſentia inter lavandum profitebatur ſe anteactam vitam abominari; non ambitione, non avaritia petere baptiſmum, ſed amore legis Moſaicæ, cujus gravioribus mandatis priùs imbuebatur. Etiam ſpondebat ſe deinceps piè caſtèque victurum, Deum veneraturum, ejuſque mandatis futurum obedientem. His ritibus Gentes & ipſi Judæi admiſſi ſunt in eccleſiam Chriſtianam, quando voluerunt in ea fieri proſelyti; quos ergo ritus operæ pretium eſt animadvertere, ſi quidem non prorſus diverſis adminiſtrabant Apoſtoli baptiſmum Chriſtianum. Denique proſelytus, ubi circumciſus & baptizatus fuerat, ſacrificium offerebat. Cùm mulier alienigena in eccleſiam Judæam admit-

admittebatur, circumciſio quidem omittebatur, cætera verò fiebant.

Veluti infans, qui ex matris alvo recens naſcitur, proſelytus habebatur. *Gentilis*, inquit. Maimonides, *qui proſelytus fit, uti & ſervus qui manumittitur; habendus eſt tanquam infans recens natus, omneſque conſanguinei quos habuit, dum Gentilis fuerat, vel dum adhuc ſervus fuerat, jam deſinunt haberi pro ſanguineis illius.* Indè Dominus mirabatur, quod Nicodemus, magiſter in Iſrael, non caperet quod dicebat: *Niſi quis renatus fuerit denuo, &c.* (*Joan.* 3. *cap.* 3. *v.* 3.) cùm ex conſuetudinibus Judæorum in iis quæ ſpectabant proſelytos, debuiſſet cognoſcere, quomodo quis denuò naſci & infans fieri poſſet. Non prætermittam quæ Maimonides inſuper refert de ratione, qua admitterentur proſelyti; neque enim injucundum eſſe poteſt lectori advertere originem apertam rituum antiquorum baptiſmi Chriſtiani; quos præceſſere Judaici ritus, certè à Chriſto & ab Apoſtolis non omnes pariter deleti, ſed correcti. *Quomodo admittent proſelytum*, inquit Maimonides, *hiſ-ce diebus*? Reſpondet, *cùm venerit ut initiaretur, & inquiſiverint de eo, & non invenerint aliquam cauſam iniquam converſionis illius, dicent illi: quid percepiſti in nobis, quòd venis ut fias proſelytus? Nonne cognoſcis quòd Iſraelitæ hiſce temporibus ſint doloribus afflicti, & exagitati, & extorres, & diſſipati, & quòd afflictiones continuò ingerantur iis? ſi reſpondeat, hæc cognoſco, nec tamen dignus ego qui accipiar inter illos, ſtatim illum admittent, & fundamenta Religionis ei nota facient, qualia ſunt unitas Dei, & prohibitio idololatriæ, & de his prolixè agent.*

Præcepta tum graviora tum leviora declarabant, & jam indicabant pœnas præceptorum omiſſorum hiſ-ce verbis quæ ſunt Maimonidis. *Scito tu quod priùs quàm accederes ad Religionem hanc; ſi comederes adipem,*

pem, non puniendus eras pœna excisionis; nec, ſi prophanares Sabbatum, puniendus eras pœna lapidationis; ſed jam, poſtquam Proſelytus factus ſis, ſi comedas adipem, puniendus es pœna exciſionis, & ſi prophanes ſabbatum, puniendus es pœna lapidationis. Sed non eum multis gravabunt, nec ſollicitè ei incutient minutiora, ne forte in cauſa ſint ut depellant eum, avertantque à via recta ad viam iniquam: nam in initio non trahunt hominem niſi mollibus benevolentiæ verbis, uti in Scriptura dicitur: funibus hominis traham eos, & poſtea, vinculis charitatis. Sicut notas ei faciunt præceptorum pœnas, ſic etiam ei nota facient præceptorum præmia, & declarabunt ei quod ex obſervatione horum præceptorum acquiret vitam æternam in mundo futuro. Et quòd nemo ſit perfectè juſtus, niſi vir ſapiens qui obſervat hæc præcepta, etiam & cognoſcit ea.

Dicent etiam ei: Scito tu quòd mundus futurus non reſervetur niſi juſtis, iique ſunt Iſraelitæ, & quoad hoc quod obſervas Iſraelitas in afflictionibus eſſe in hoc mundo, ideò eſt quòd felicitas mundi futuri reſervetur iis; nam non poſſunt multa felicitate frui in hoc mundo ſicut Gentes terræ, ne fortè ſuperbiat animus eorum, iique in errores abducantur, & perdant præmium ſæculi futuri, juxta id quod dicitur: impinguatus eſt Jeshuron & recalcitravit. Deuter. cap. 32. 15. in Vulgata, *incraſſatus eſt dilectus & recalcitravit.* Judæi omnes & Græci per *Jeshuron* intelligunt Jacob, Iſraelem quem dilexit Deus. De origine hujus-ce vocis, tum & de propria ejus ſignificatione non conſtat. Redeamus ad Maimonidem qui pergit loqui. *Et prolixè agent de hac re, ut amorem in eo excitent. Si verò reſiliat & non velit proſelytiſmum in ſe ſuſcipere, abeat in viam ſuam; ſed ſi ſuſcipiat, non morabuntur eum quin ſtatim eum circumcidant; & ſi priùs circumciſus fuiſſet, eliciunt ab eo ſanguinem fœderis ex præeuntis ſcilicet circumciſionis cicatrice, & tum morabuntur eum donec*

ſanetur

ſanetur vulnus illius, & deinde baptizabunt illum. Et Triumviri ſtabunt ſurſum juxta eum, notaque ei facient aliqua præcepta leviora, & aliqua graviora ſecunda vice, dum ipſe adhuc ſtat in aquis; ſed ſi fœmina ſit quæ initiatur, fœminæ eam collocabunt in aquis collo tenus, & judices ſtabunt extra, & nota facient ei aliqua præcepta leviora & aliqua graviora, dum ipſa adhuc eſt in aquis; poſtquam verò baptizata ſit coram illis, avertent facies ſuas & egredientur, ne videant eam cùm aſcendit ex aquis. Inde ritibus antiquis baptiſmi Chriſtiani multa lux accedit.

Apud Judæos erant ſervi, ex gentibus quas vicerant, vel ex illis qui ſe pretio ultrò mancipaſſent: propria ſervorum munera ſunt, inquiunt Judæi, ut ſolvant Domino calceamentum ſuum, aut illud induant; ex quo more venit illa formula ad exprimendam magiſtri dignitatem: *Cujus ego non ſum dignus ut ſolvam ejus corrigiam calceamenti* (*Joan. c.* 1. *verſ.* 27.) Qui luſcum fecerat ſervum aut ancillam, pro oculo dimittebat liberos; ſimiliter ſi iis dentem excuſſiſſet. Lex non ſinebat tradi domino ſuo qui ſe recepiſſet in terram Iſrael & Iſraelitiſmum ſuſcepiſſet (*Exod. cap.* 21. *v.* 26. *&* 27. *Deut.* 23. 15.) Poſtquam ſervi manumiſſi fuerant, *libertini* dicebantur. Ut iſta generalis notio Gentis Hebræorum clarior fiat, protinus Gentis Hiſtoriam ſubjiciam, res omnes ejus digerendo per ætates ſuas.

CAPUT II.

Res Hebræorum per ætates ſuas digeſtæ.

TEmpus ab Adam primo hominum parente, ſive ſpatium illud annorum qui effluxerunt à creatione mundi ad ortum D. N. J. C. ſolet dividi in ſex ætates, quæ ſimul collectæ efficiunt quater mille annos.

Deum

Deum eſſe tum innata interior ejus notio docet, tum exterior mundus, quem non niſi ab auctore potentiſſimo, infinito, æterno, nimirùm à Deo (ea eſt enim ſignificatio hujus vocis *Deus*) conſtat nec creari, nec ſervari potuiſſe creatum. Deum unum eſſe, mundus ille unus partium ſuarum concordia demonſtrat. Sed non ſolitarius eſt Deus: in una enim ejus natura tres eſſe perſonas numero diſtinctas, Patrem, Verbum æterna generatione Patris Filium, & Spiritum, ipſe cui de ſe credere dignum eſt, declarat in Scripturis, quas ſacras dicimus, quia certò ſcimus ab illo nobis traditas. Filius autem Dei in illis Scripturis, quæ Græcis litteris exaratæ ſunt, appellatur λόγος, quod nomen *ſermonem* quidem & *verbum*, ſed præterea *rationem*, & *ſapientiam* denotat; ut quoties Latina vox VERBUM occurrit in Scripturis, ubi de Filio Dei agitur, non deceat cogitare ſermonem prolatitium, ſed ſummam Dei rationem ſive ſapientiam. Tertia perſona dicitur SPIRITUS, qui Patrem Verbumque conjungit.

Trinitatis divinæ mens humana non obſcuram imaginem præfert. Una quidem eſt; ſed non ideò minus multiplex fœcunditate ſua, facultates habens diſtinctas. Neque enim voluntas cognitio eſt, nec cognitio voluntas; undè æſtimare poſſumus unitati non obſtare fœcunditatem. Quod ſi mens noſtra tantùm præſtet corporibus, ut anguſti corporis concluſa carcere, tamen, ut ita dicam, totum mundum complectatur, cujus innumeras partes claris, diſtinctis, diverſiſque cogitationibus intra ſe verſare poteſt, non mirum ſi ipſe Deus mente humana præſtantior, ſimul unus ſit natura, & perſonarum numero trinus; ſi, inquam, habeat ſapientiam, quæ Verbum ſit ejus, & Spiritum, qui Patris & Filii amor dici poſſit.

Hæc quidem non aſſequimur cognitione clara; altiora enim ſunt. Nec etiam pleraque quæ ſenſibus

B ſub-

ſubjiciuntur, noſtræ ſubduntur cognitioni. Non ergò dico nos ex rebus notis intelligere poſſe Deum eſſe trinum, ſed ipſa quæ experimur, evincere quam fidem habemus de Trinitate, rationis quidem captum ſuperare, ſed huic non adverſari. Certum eſt eam perfectam felicitatem, qua Deus in hoc conſortio Verbi ſui & Spiritus, hoc eſt, cognitionis & amoris fruitur, nos utcumque habere compertam experimento: major enim voluptas eſſe non poteſt, quàm quæ ex perfecta cognitione & ſummo amore percipitur; quę voluptas cogitari non poteſt in Deo ſolitario. Quæ autem in creaturis finita & manca, in Deo ſumma & perfecta ſunt: ut ex humanis liceat conjectare divina; ſed non credere ſimilia. Satius eſt fidem adhibere Scripturis, per quas ipſe Deus declarat quæ de ſe eſſe ſentienda voluit.

Sacra Scriptura enarrat originem mundi, quem & ipſi ethnici ſcriptores fatentur cœpiſſe, vetuſta traditione edocti; idque probant ex incrementis artium quas videbant nuperis ſæculis adinventas, aut expolitas: undè conſtabat recens eſſe genus humanum.

A quo autem vel qua re impelli potuerit Deus, ut mundum conderet in tempore, ipſe æternus, non deprehendimus; nulla enim re indiga eſt divina natura, & ſolus ipſe ſe dignus eſt Deus: niſi putemus eum intuitum eſſe Verbum ſuum, humana carne induendum, & in mundano opere ſacrificium hujus carnis oblaturum. Non alia res eſt digna Deo quàm ipſe Deus. Propter gloriam nominis ſui mundum è nihilo eduxit, in quo coleretur ſacrificiis; ſed omnia ſacrificia, quæcumque ſint, pretium habere non potuerunt, niſi quatenus ſacrificium quod de ſe Verbum oblaturum erat, adumbrarent. Ergo Deus per Verbum ſuum, qui ſapientia ejus eſt, creavit in tempore mundum, reſtaurandum ab eodem Verbo, cùm perditus eſt. Nec minori ſapientia hæc reſtauratio facta eſt, quãm

quàm prima mundi creatio, de qua primùm ſermo faciendus.

Deus, cælo & terra primùm creatis, Adamum & Evam formavit, quos in paradiſo, nempe in loco voluptatis collocavit; undè eos expulit, cùm perſuaſione diaboli, qui formam ſerpentis induerat, ex arbore vetita fructum decerpſiſſent. Continuò Adam & Eva obnoxii facti ſunt morbis & morti, compulſi veſci pane in ſudore vultus ſui, qui creati fuerant immortales in omni bonorum copia. Attamen ſtatim ac lapſi ſunt, promiſit illis Deus ex ſemine eorum naſciturum Redemptorem, quem Hebræi lingua ſua appellaverunt MESSIAM, Græci CHRISTUM, quæ duo nomina idem ſonant quod Latinis *unctus*. Olim qui obituri erant aliquod inſigne munus, ad illud unctione conſecrabantur. Ille Chriſtus eſt ipſum Dei Verbum, Filius ejus: idcircò non mirum ab eo ſervatos homines quos fecerat; & cùm ab æterno Deus de Deo, futurus eſſet in tempore homo ſecundùm carnem, non mirum eſt, inquam, ſi omnia quæ poſterioribus ſæculis contigerunt, inſervierint ei tum prænunciando, tum ſignificando ortui ejus. Qui Chriſtum haberet pro homine mero, dotibus quidem prædito, ſed non alterius naturæ quàm quæ noſtra eſt; an crederet, quod tamen conſtat, hæc omnia quæ veteres Scripturæ referunt, Patriarcharum acta & dicta, omnem religionis Judaicæ cultum, ritus, ſacrificia, omnia, inquam, Chriſto mero homini adumbrando ordinata & inſtituta fuiſſe à Deo? Itaque ad intelligentiam veterum Scripturarum conſequendam, neceſſarium primò eſt intelligere Jeſum, quem vita ejus & miracula demonſtravere eſſe Chriſtum Adamo promiſſum, hominem quidem eſſe, ſed & pariter verè Deum.

Sex dierum ſpatio cùm opus mundanum Deus abſolviſſet, ſeptimo die quievit, qui dies deinceps ap-

pellatus eſt *Sabbatum*, id eſt, *dies quietis*, omnibus ferè gentibus antiquis ſacer: ideò cùm legem de hujus diei quiete Deus poneret Iſraeli, præcipit tantùm ut fieret memoria ejus (*Exod.* 20. 8.) *Memento ut diem ſabbati ſanctifices*; nempe quieſcendo, ſicut hactenus vidiſti obſervatum.

Protinus patuit primi hominum parentis corruptam eſſe ſobolem, & egere ſervatore, qui non ſolùm paupertati, ſed & moribus corruptis mederetur. Cùm enim homo tam brevis ſit ævi, dolores quos in terra patitur magnopere reformidare, aut gaudia quæ perſentit magni facere non debet; omnia enim quę finem habent, parvi facienda ſunt. Verùm cùm pravi mores æterna felicitate excludant; neque enim fieri poteſt ſub Deo juſto, ut mali in æternum felices ſint, egebant homines Chriſto, à quo non ſolùm imbuerentur doctrina, ſed cujus gratia ſanaretur voluntas eorum, quam eſſe à Deo averſam, & ideò perverſam, protinus compertum eſt. Etenim Cain filius Adam & Evæ, invidia motus, occidit Abelem fratrem ſuum, cujus ſacrificium fuerat Deo acceptum magis: Deus enim igne cælitus miſſo illud incenderat. Hocce autem Abelis homicidium manibus fraternis patratum ſignificabat futurum ut Chriſtus aliquando occideretur ab ipſis ſuis fratribus Judæis, quibus ſe probaturus erat acceptiſſimum Deo. Scriptura non memorat rerum initio alios Adæ filios quàm Abelem & Cainum, id eſt, non plures nominat, ſed relinquit cogitandos. Jam incolebatur terra, nec à paucis. Cainus terram arabat, Abel paſcebat greges, & uterque indigebant adminiſtris. Statim poſt cædem Abelis, dicebat Cainus ad Deum: *Omnis igitur qui invenerit me, occidet me*; hoc indicat Cainum & Abelem non fuiſſe ſolos terræ incolas. Statim Cain ædificavit urbem, quæ numerum incolarum ſupponit. Ergo quod dicit Scriptura poſt mortem Abelis cognoviſſe

noviſſe Adam uxorem ſuam, & ei ſemen Seth poſitum pro Abel, non ſic intelligendum quaſi non antea multos alios filios procreaſſet, quos Moyſes ſilentio prætermiſit, quia non omnium hominum, ſed Patriarcharum ſeriem ſuſcipiebat texendam.

Cain cognovit uxorem (*Geneſ.* 4.) quæ peperit Henoch, ille Irad, hic Maviael, à quo Mathuſael, qui genuit Lamech, qui duas uxores accepit (ita introduxit polygamiam) quibus videtur fuiſſe exoſus, & petitus inſidiis, undè dicebat ad illas: *Auſcultate ſermonem meum: quoniam occidi virum, &c.* ſons poteſt habere hunc ſenſum, *Num occidi virum:* nempe. An conſcius ſum cædis Abelis, propter quod ſcelus odio me habetis. Ut deterreret eas à malo facinore quod cogitabant, dicit: *Septuplum ultio dabitur de Cain, de Lamech verò ſeptuagies ſepties.*

Tum Cain, tum Seth, quem Deus dederat Adæ pro Abele, multùm excreverant poſteri. Sethi progenies reputata eſt ſancta, & filiorum Dei nomen meruit. Sed cùm illi filii Dei malo exemplo Lamechi iniere matrimonia cum filiabus hominum, ſive ſtirpe Caini, carnales evaſerunt. Itaque hominibus ſceleratioribus factis, Deus coactus eſt mundum diluvio perdere, uno excepto Noe, cum familia ſua, qui juſſu Dei arcam ingentem fabricavit, qua ſervavit omnium animalium ſpecies, ne aquis perirent. Hæc arca ty- 1656
pus ſive imago fuit Eccleſiæ, quæ à Chriſto congreganda erat, ſervatura paucos homines, ſi cæterorum hominum pereuntium advertatur multitudo ingens; undè Chriſtus ſæpiùs dixit ſalutem eſſe paucorum. Sed & Eccleſia quamquam munda, complexura erat homines malos, paleam cum frumento ut in area, bonos & malos piſces ut in ſagena; ſicut in arcam intraverunt animalia munda & immunda. Ab Adamo ad diluvium tranſacta eſt prima ætas, quæ fuit annorum mille ſexentorum & quinquaginta ſex.

A tribus filiis Noe, Sem, Cham & Japhet, orti ſunt omnes populi. Qui ab eis proximè nati ſunt, antequam in diverſas abirent regiones, de turri excelſa ædificanda inierunt conſilium, quod turbavit Deus, ſic confundens linguas, ut unuſquiſque non audiret linguam proximi ſui, cùm priùs terra eſſet labii unius. Tunc homines penitùs Deum deſeruere, & ſervierunt diis alienis.

Ars Dei infirmata fuiſſet, & malitia diaboli viciſſet Dei ſapientiam, ſi omnes homines, quos ut coleretur fecerat, prorſus ad peccandum declinaſſent. Peccatum ergo permiſerat, quia huic eluendo naſciturus erat Chriſtus, aſſerturus divinæ Majeſtati decus multò majus quàm quod illi dedecus inferre diabolus voluerat, homines in peccatum inducens.

Tanta autem res eſt Deus factus homo, morte ſua iram Dei Patris placans, & in homine imaginem Dei peccato deletam renovans, ſive iterùm hominem condens: tanta, inquam, res non ſine prævio apparatu terris oſtendenda erat. Hanc ergo voluit Deus à ſæculorum initio, donec adventaret dies præſtitutus, in figuris præmonſtrare, & repræſentare quæ aliquando fierent. Ad hoc neceſſe erat ut dum omne genus hominum in vitium rueret, gentem eligeret numeroſam, cui leges & ritus præſcriberentur, quibus promiſſus Chriſtus, dignitas ejus, opera, vita, mors, doctrina prænuntiarentur, & ſignificarentur. Quæ gens dum expectaret promiſſum ſervatorem, impleret totum orbem eadem expectatione; ut huic excipiendo aliquando homines benè præparati eſſent.

2083 Igitur Deus vocavit Abraham ex Ur Chaldæorum gente idololatra, ut eum conſtitueret caput hujus gentis quam ſepoſiturus erat ſibi in populum fidelem & peculiarem. Duplex Abrahæ vocatio diſtinguenda; prima cum patre ſuo Thare ex Ur Chaldæorum,

rum, ubi, juxta Joſue cap. 24. Thare & Nachor, dum ibi habitabant ſervierant diis alienis. Laban ortus ex Nachor, qui remanſerat in Meſopotamia adorabat idola, quæ Rachel filia ejus ſubfurata eſt (*Geneſ.* 31.)

Deus ex Ur Chaldæorum regione idololatrica Thare eduxit, cum filio Abram, & Loth nepote, quem Aran frater Abram ſuſceperat. Thare commoratus eſt in urbe Haran, quæ erat via in terram Chanaan, & ibi mortuus eſt. Indè Abram (quæ eſt ſecunda ejus vocatio) à Deo juſſus eſt exire cum cognatione ſua, & pergere iter in terram Chanaan.

Quando Deus ſecundò vocavit Abram, ſpem illi fecit fœcundæ prolis, & ex ejus ſemine naſciturum Meſſiam promiſit, tum & terram Chanaan, in quam ſtatim Deo obediens, relicta cognatione ſua, venit cum Sara uxore, & Loth fratris ſui Aran filio; ſed & intelligens feracitate hujus terræ innui à Deo feliciorem in cœlis manſionem, ut peregrinus in ea ſub tabernaculis habitavit, non aliam deligens fixam ſedem, quàm locum ſepulchro.

Cùm regio multo pecori alendo non ſufficeret, Loth ſe ſe recepit Sodomam, qua direpta à Codorlahomor, cùm & ipſe Loth abductus eſſet captivus, Abraham armatis ſuis ſervis, eum & populum liberavit. Redeunti Abrahæ à cæde Codorlahomor occurrit Melchiſedech, juxta cujus ordinem Meſſias futurus erat ſacerdos. Melchiſedech typus Chriſti benedixit Abrahæ, & ab eo recepit decimas, quippe à Chriſto Judæi ſacerdotes benedicendi.

Deus renovavit Abrahæ promiſſionem de numeroſa prole; ideò vocavit eum *Abraham*, hoc eſt, *Patrem multorum populorum*, cùm priùs appellaretur *Abram*; id eſt, *pater excelſus*. JEHOVA, ſive ſummus Deus, qui in Scriptura dicitur dignatus Abrahamum familiari colloquio ſuo, ipſum erat Dei Verbum,

qui ab hiſce temporibus præludebat incarnationi ſuæ. Quanquam enim tunc carnem non ſic aſſumebat; ut jam fieret homo; in imagine tamen carnis, ſive veræ, ſive apparentis conſpicuum Patriarchis ſe præbebat, ut omnis antiquitas credidit. Verbum inquam, erat unus ex tribus Angelis qui apparuerunt Abrahæ, qui promiſit illi de lumbis ejus carnem ſe ſumpturum. Hunc verò ut Jehovam, id eſt, Deum ſummum Abraham adoravit, pro Deo habuit, & ejus colloquio gaviſus eſt; ad quod alludens, ut opinor, Chriſtus ajebat in Evangelio Joannis (8. 56.) *Abraham pater veſter exultavit ut videret diem meum; vidit, & gaviſus eſt.*

Verbum Dei ſic aſſumere carnem noſtram, & familiari cum hominibus uti colloquio, non mirum videretur, ſi adverteremus illud intra nos ſemper eſſe, intimo noſtro intimius. Etenim interiùs nobiſcum loquitur, admonet, docet, arguit; quippe lux eſt omnem illuminans hominem, qua rectum iniquo ſecernimus, qua pungimur conſcii pravi facinoris, & recreamur cùm ſumus boni.

Deus edens exempla tremendorum ſuppliciorum, quibus ſcelera mundi aliquando igne æterno plecteret, Sodomam ob nefarias libidines ſuorum incolarum conſumpſit igne cæleſti; ex quo incendio ſolus Loth ereptus eſt cum uxore & utraque filia. Sic confirmabat Deus paucos multis pereuntibus ſervandos, qui aures præberent iis quos miſſurus erat, à quibus ſubducerentur è medio cœtu virorum corruptorum, quemadmodum ab Angelis ex peritura civitate Loth eductus eſt. Horum contra mandatum cùm uxor ejus poſt ſe reſpexiſſet, in ſtatuam ſalis verſa eſt, æternum monumentum corruptum ſæculum citò & procul fugiendum, nec moras nectendas, versùs illud oculos retorquendo, & repetendo deſideriis. Loth & duæ filiæ ejus ſe receperunt in ſpeluncam juxta Segor:

gor:

gor: Filiæ exiſtimantes humanum genus interiiſse, inebriati patris appetierunt concubitum; undè duo populi Moab & Ammon nati ſunt.

Abrahæ ex ancilla natus eſt Iſmael, à quo Iſmae- 2094
litæ, gens effera, & quæ hactenus Deo exoſa fuit: undè conſtitit non prodeſse cuiquam habere ſanctam originem, naſci ſcilicet parentibus ſanctis, quorum virtutem moribus non referat. Iſmael primogenitus Abrahæ non ejus heres fuit; ut Judæi, prima Abrahæ proles benedictionum Dei, ſemini Abrahæ promiſsarum, non fuere heredes.

Præceptum de circumciſione accipit Abraham, & 2107
ſe ipſe circumcidit & Iſmaelem filium cum omnibus maſculis vernaculis. Deindè ei licèt ſeni centum annorum ex Sara etiam effæta natus eſt, juxta promiſſiones divinas, Iſaac, in quo benedicendæ erant omnes gentes, quia ſcilicet ex ſemine ejus oriturus erat Meſſias. Id omne quod fiebat in Abrahamo & in populo ex eo gignendo, typus erat, id eſt, rudis forma rerum, ut diximus, ſub Chriſto peragendarum. Ideò Deus, ut omnia quæ Chriſtum ſpectant oſtenderet miraculum eſse, etiam miraculis plenum eſse voluit id quod præmittebat in typum Chriſti orituri. Voluit, inquam, ex viro ſene & ex muliere effæta enaſci prolem, in qua erant gentes benedicendæ: ſimul ut ſignificaret, quemadmodum cœlum & terras è nihilo eduxerat, ita pariter ex non aptis hominibus efformaturum ſe eſse gentem ſanctam.

Ab illa lege de circumciſione quam dedit Deus Abrahamo, tempus quod Judæi appellant legis, & cùm de duratione mundi loquuntur, numerandum eſt. Dicunt priora duo annorum millia tranſacta ſine lege; jam enim circumcirca abierant cùm Abraham juſsus eſt ſe & familiam circumcidere. Poſt hanc legem circumciſionis præteriere alii anni bis mille,

ut nos

ut nos Chriſtiani credimus, uſque ad Chriſtum, poſt cujus ortum current & alii bis mille, quibus exactis, nempe poſt ſex annorum millia quibus mundus durabit, juxta opinionem Judæorum, omnia conſummabuntur.

2135 Iſmaelem cum Agar matre juſſu Dei domo ſua expulit, poſt quàm ei natus eſt Iſaac; neque enim heres futurus erat hic ancillæ filius, ſed Iſaac, qui cùm typus eſſet Chriſti præcipuus, Deus in eo præmonſtravit exemplum rei, qua non alia magis attonitos homines facere poteſt, mortis ſcilicet, cui ipſe addicturus erat JESUM CHRISTUM filium ſuum unigenitum. Præcepit enim Abrahæ ut Iſaac quem ſuſceperat & diligebat, ſuis ipſe manibus mactaret: ſed quoniam Iſaac imago tantùm fuit, oblatus quidem eſt, ſed non mactatus; Deus enim ipſe, qui juſſerat mactandum, patris fidem explorans, prohibuit per angelum ne faceret.

2148 Poſtea Abraham accerſivit ex Meſopotamia Rebeccam filiam Bathuel, qui ex Nachor fratre ſuo ortum ducebat, & hanc dedit uxorem filio ſuo Iſaac.

2168 Ex Rebecca gemello partu nati ſunt Eſau & Jacob, qui cùm in utero matris colluctarentur nondum nati, illa à Deo, quem conſuluerat, reſponſum accepit duarum diſſidentium gentium auctores ex ipſa prodituros. Hæc colluctatio præludium fuit belli quod futurum erat inter Judæos, qui ex Jacob orti ſunt, & gentes, quarum pater dici poteſt Eſau, ex quo orti Idumæi. Gentes protinus Evangelio aures præbendo præripuerunt benedictiones Judæis promiſſas; quos ſic fraudaverunt alioquin ſibi debita hereditate.

2183 Abraham 175. annos natus mortuus eſt.

2245 Eſau fame preſſus vendidit primogenita ſuo fratri Jacob, qui licèt natu minor, indè habuit jus in benedictiones fratris ſui; idcircò illi benedictionem patris

Iſaac

Iſaac ob ſenium caligantis ſubripuit, matris conſilio ſuas operiens manus hædinis pellibus, ut pro fratre qui villoſus erat haberetur. Ars illa iram Eſau in Jacobum concitavit, quam ut declinaret fugit ad Laban fratrem Rebeccæ. In itinere apparuit Jacobo Deus, à quo ex ſummitate ſcalæ quæ cœlos à terra attingebat, rurſus certior factus eſt de Meſſia naſcituro ex ipſius ſemine. A Laban poſtulavit filiam ejus Rachelem, 2252
pro qua noctu ſubmiſſa eſt ei Lia, ſoror Rachelis major natu; ſed & poſtea Rachelem in uxorem accepit. Ex utraque, tum ex utriuſque ancilla duodecim mares filios ſuſcepit. Filii Liæ: primogenitus Ruben, & Simeon, & Levi & Judas, & Iſſachar, & Zabulon. Filii Rachel: Joſeph & Benjamin. Filii Balæ ancillæ Rachelis: Dan & Nephtali. Filii Zelphæ ancillæ Liæ, Gad & Aſer. Hi duodecim filii cenſentur gentis Patriarchæ; ab iis enim ortæ duodecim tribus, in quas gens Hebræorum diviſa eſt.

Beneficia quibus Deus cumulavit Jacob moverunt 2265
invidiam avunculo ſuo Laban: fugere ergo ab eo coactus eſt Jacob, cum uxoribus ſuis, & prole, & pecoribus. Huic fugienti ne malum inferret à Deo prohibitus eſt Laban. Iterùm viſus eſt ei Angelus, cum quo luctans prævaluit; & ideò dictus eſt *Iſrael*, hoc eſt, *vir Dei*, nempe *vir fortis*. Quem priùs placaverat muneribus, Eſau invenit benignum in patriam reverſus.

Filii Jacob Joſephum fratrem, quem ægrè ferebant 2275
eſſe patri cariorem, vendiderunt mercatoribus. Quis in eo non advertat Jeſum Chriſtum ab ipſis Judæis fratribus traditum alienis gentibus, nempe Romanis: à quo tamen qui ad eum accedere voluerunt, ſervati ſunt; ut fratres à Joſepho ipſo, quem ſic malè exceperant. A mercatoribus, quibus illum vendiderant, ductus eſt in Ægyptum, ubi ſervivit Putipharæ, à cujus uxore de vi pudicitiæ illata falsò accuſatus in carce-

carcerem conjectus eſt. Sagax poſtea habitus ſomniorum interpres, è carcere advocatus eſt in aulam Pharaonis Regis, ut interpretaretur ſomnium ejus, quo ſignificavit famem portendi poſt ſeptem annos fertiles, quæ per ſteriles annos totidem eſſet duratura.

2288 Paulò ante mortuus fuerat Iſaac, annos natus centum & octoginta. A Joſepho per fertiles annos collecta frumenti copia, ubi obtigerunt anni ſteriles, quoniam alibi non ſuppetebat frumentum, in Ægyptum deſcenderunt fratres ejus, quos habere ſe pro exploratoribus cùm aliquandiu finxiſſet, his tandem ſe manifeſtum fecit, patremque ſuum Jacob cum tota familia accerſivit in Ægyptum. Omnes animæ domus Jacob, quæ ingreſſæ ſunt in Ægyptum, fuere ſeptuaginta (*Geneſ.* 46. 27.) Hoc & adſtruitur in Deuteronomio (*Deut.* 10. 22.) Græca verſio in utroque loco addit quinque animas, quem numerum Lucas expreſſit in Actis (*Act.* 7. 14.)

2315 Poſt aliquot annos mortuus eſt Jacob, priùs edens vaticinium celebre de tempore quo oriturus eſſet Meſſias, nempe cùm auferretur ſceptrum de Juda ſive deficeret Reſpublica Judæorum, quam formaverat Deus ut in illa ederet apparatum, vaticinia, typos Chriſti ſui venturi; quæ ideò debebat diſſilire, poſt adventum Chriſti jam inutilis facta.

2369 Moritur pariter Joſeph. Sic autem crevere poſteri Jacob, ut infra ducentos annos ex LXX. animabus, quibuſcum in Ægyptum venit, plus quàm ſexies centena millia animarum ex eis prognata numerarentur. Hoc invidiam in eos concitavit, eo præſertim, cui placebat Joſeph, defuncto rege. Duram igitur ſervitutem experti ſunt Hebræi; ex qua tandem per Moyſem Deus eos liberavit, & in terram quam promiſerat deduxit.

Juſſerat Pharao ut omnis proles maſcula Hebræorum ſtatim enecaretur recens nata. Id mandatum fue-

rat

rat obſtetricibus, quibus, quòd non paruerint tam crudeli mandato, ideò Deus *ædificavit domos*, id eſt, prolem dedit (*Exod.* 1.21.) Sunt qui credant permiſſum eis ut conjugio cum Iſraelitis jungerentur. Poſtea omni populo præcepit Pharao ut proles maſcula Hebræorum projiceretur in flumen. Cùm per tres menſes poſt partum occultaſſent Moyſem parentes ejus, tandem metu Regis eum aquis expoſuerunt, ex quibus eductus ab ipſa filia Regis, cui parvulus placuit. Hunc illa educavit in ipſa aula Regia, quam aſpernatus, ſtatim ac adolevit, fugit in ſolitudinem. Ibi à Deo, qui eum ex rubo ardenti alloquebatur, juſſus eſt populum liberare ex Ægypto, & uti adjutore fratre ſuo Aarone, qui ſacerdotio poſtea præfectus eſt.

Mandatum Dei quod acceperat Moyſes ſignificavit in portentis Pharaoni, qui tandem poſt inſignes plagas dimiſit Hebræos ut irent quò eos vocabat Deus. Sed tantam rem non decet ſic paucis verbis perſtringere. Modus quo ex Ægyptiaca ſervitute Hebræus populus liberatus eſt, vaticinium & figura fuit liberationis per Chriſtum à Dæmonum jugo, quod ſervitus Ægyptiaca repræſentabat.

Præcepit Deus Moyſi ut decima-quarta die menſis Niſan ad veſperam ab omnibus Iſraelitis immolaretur agnus, cujus ſanguine quiſque aſpergeret poſtes domus ſuæ. Mandatum implevere Judæi. Proxima nocte tranſiit angelus Domini per domos Ægyptiorum, omneſque eorum primogenitos interfecit, ſolis abſtinens ædibus quibus illitus erat agni ſanguis. Agnus ille typus erat Chriſti, cujus ſanguine quicumque non irroratur, à morte æterna immunis eſſe non poteſt. Rei quæ beneficium mortis Chriſti tam clarè prænuntiabat, præcepit Deus renovari memoriam, ſive de ea feſtum ſolemne, quod *Paſcha* dictum eſt, ſingulis annis celebrari, eo die, & ea hora, qua verus Agnus ſcilicet Jeſus Chriſtus poſtea in cruce immolatus eſt.

Cùm

Cùm Iſraelitæ accincti more peregrinantium carnem Agni comediſſent, juſſu Pharaonis, cujus primogenito angelus non pepercerat, exierunt ex Ægypto.
2513 His mare Rubrum viam aperuit recedens, & reverſum obruit Ægyptios, qui mutato conſilio Hebræos revocare in ſervitutem volebant.

Ingreſſos eremum Iſraelitas, cùm jam per triduum iter agerent, aquæ penuria urgebat; neque enim quam repererant, ea ob amaritudinem uſui eſſe poterat. Tunc impotentis populi contumacia apparuit, jamque in Moyſen ferebatur, cùm ille edoctus à Deo lignum aquis intulit, cujus hæc vis fuit, ut dulcem ſaporem aquæ redderet: Sic ligni, cui Chriſtus affixus eſt, recordatio leviores quas patimur ærumnas facere poteſt. Poſtea idem populus famem conquerens Moyſem increpabat, Ægypti ſervitium cum ſaturitate ventris deſiderans. Tum grex coturnicum supernè miſſus, caſtra opplevit. Poſtero die animadvertunt qui extra caſtra proceſſerant, oppletum ſolum quapiam re, in modum coriandri ſeminis, glacialis albedinis, ut crebro hybernis menſibus ſuperductis pruinis terram tegi videmus. De qua re cum Iſraelitæ ſciſcitarentur *Manhu*? nempè *Quid eſt hoc*? inde illa, qua pro pane uſi ſunt per quadraginta annos, dicta eſt *Manna*. In libro tertio iterum de manna differemus, & de nominis ejus etymo. Singulis diebus manè quiſque colligebat quantùm in unum diem pro numero ſingulis ſatis eſſet: ſexto tamen die, quia Sabbato id non liceret, duplum colligebant. Cæteris verò diebus, qui in poſterum diem conſulentes, plus quàm præceperat Deus, colligebant, videbant hæc repoſita fætore diro in vermes efferveſcentia; cùm die ſexto in ſabbatum reſervata integra permanerent. Manna de cælo defluens ſignabat illam cæleſtem alimoniam, qua paſcuntur Chriſtiani participes Corporis Chriſti.

Inde progreſſus populus cùm aquæ penuria tentaretur,

taretur, ægrè ab exitio ducis temperabat. Tum Moyſes, mandante Domino apud locum, cui Oreb nomen eſt, virgâ petram percutiens, largam aquæ copiam præbuit. Deus exemplo præmonſtrans in hac mortalis vitæ peregrinatione quietem haud expectandam, ſivit ut incurſionibus Amalechitarum populus perturbaretur. Adversùs hos copias in prælium eduxit Moyſes; præcipiens Joſue miniſtro ſuo; ut cum electis viris adversùs eos pugnaret: ipſe interim cum Aaron oravit in monte. Quoties manus levabat, vincebat Iſraël; qui ſtatim cedebat victus; ubi præ laſſitudine Moyſes manus remittebat.

Jetro ſacerdos Madianites filiam ſuam nomine Sephoram uxorem dederat Moſi; quando Regis Ægypti aulam deſerens ſe in ſolitudinem recepit. Proficiſcente in Ægyptum viro, Sephora domi reſederat: cognitis verò rebus quæ per Moyſem gerebantur, Jetro cum illâ ad eum venit. Hujus conſilio Moyſes ordines populi diſtribuit. Tribunos, Centurioneſque & Decuriones præficiens, neceſſarium diſciplinæ ritum poſteris tradidit. Jetro in patriam regreſſus eſt.

Tandem tertio menſe poſtquam ex Ægypto egreſſi erant Iſraelitæ, ad montem Sinai pervenerunt. Ibi Dominus Moyſem monuit ut populus ſanctificaretur, auditurus Dei voces. Ubi Deus monti inſtitit, tubarum clangoribus aer perſonuit, & crebra cœli fulgura emicuere. Moyſes & Aaron in montis cacumine ſoli erant; populus circa ima montis conſtitit, Moyſes interiorem nubem, quæ circa Dominum ſteterat, ingreſſus, quadraginta diebus totidemque noctibus fuit cum Domino. Ergo morante diutius, & deſperato ejus reditu, populus compulit Aaronem ut vitulum aureum conflaret. Interea Moyſes à colloquio Dei regrediens cum duabus tabulis lapideis, quibus Deus manu ſuâ exaraverat præcipua ex mandatis ſuis, ubi advertit populum Dei immemorem eſſe, & luxui &

ſacri-

ſacrilegio deditum, tabulas confregit, indignam eſſe gentem exiſtimans cui lex Domini traderetur. Inſuper Levitas ad ſe aggregavit, eiſdemque præcepit, ut gladiis diſtrictis populum cæderent. Quo impetu viginti tria millia virorum perempta ſunt. Alias verò ſimiles tabulas pro his quas confregerat, paravit juſſu Dei Moyſes.

Ergo Iſrael legem accepit à Deo in monte Sinai, & formam religioſi cultus quo volebat coli. Siquidem legem à natura nobis inditam peccatum deleverat, ſive à Deo averſi & converſi ad creaturas non ampliùs audiremus Deum, nos interiori ſermone compellantem, ideo voluit in tabulis lapideis quæ carnis oculis legerentur, auribus audirentur, ſcribi ſumma & præcipua ſua mandata. Hæc ut præſentia eſſent, & ea quiſque calleret tanquam decem digitos ſuos, ad denarium numerum revocavit. Cætera crimina quæ vetita non exprimuntur in Decalogo, nempe in illo denario numero mandatorum, ore prohibuit Deus, & ſcribenda curavit in Libris ſacris.

Præterea Deus in monte Sinai Moyſi monſtravit exemplar Tabernaculi, in quo cultus illi exhiberetur, donec ſolidum templum in quieta ſede figeretur. Juxta hoc exemplar Tabernaculum paravit Moyſes, inſtruxitque neceſſaria ſupellectili. De hoc-ce tabernaculo ſermo fiet uberior.

Quadraginta annis populus erravit in deſerto, duce Deo; quatenus nubes incubans Tabernaculo viam quæ illis tenenda eſſet monſtrabat. Nec ulla res vitæ neceſſaria deerat. Eos fluentes ex petra aquæ ſequebantur. Toto hoc-ce tempore veſtimenta eorum perſeveraverunt non detrita vetuſtate; quod qui fieret, novit Deus. Quærunt aliqui an puerorum veſtimenta cum ætate creſcerent. Circa hæc quæ quis homo noſcere non poteſt, fruſtra tempus teritur. Licet autem populus Iſrael tot excitaretur beneficiis ad obediendum

Deo,

Deo, Manna cæleſti cibo paſceretur; tamen ſæpe in Moyſen & in Deum rebellis fuit. Ideo Deus iratus immiſit ſerpentes, quorum morſu multi periere. Sed & admonuit Moyſen ut æneum ſerpentem erigeret, quem qui aſpexere, protinus ſanati ſunt à vulnere ſerpentum, quos æneus ſerpens forma ſua referebat. Sic Chriſtus, ut Apoſtolus loquitur, de ſimilitudine damnavit peccatum, & in cruce exaltatum ſi quis eum fide aſpiciat, à lethifero morſu ſerpentis, nempe Diaboli, qui ſub forma ſerpentis Adamum deceperat, protinùs ſanatur.

Moyſes intelligens vicinam eſſe terram quam ſibi 2514
promiſerat Deus, exploratores in eam miſit, qui renuntiarunt felicem omni copia regionem, in teſtimonium referentes racemum miræ formæ. Sed ſimul ſignificabant gentibus fortiſſimis habitari, & oppida muris munita validis. Quod ubi populo compertum, magna mentes omnium inceſſit formido, eoque mali ventum, ut, ſpreto Moyſis imperio, ducem ſibi conſtituere pararent, cujus ductu Ægyptum reverterentur.

Tunc Joſue & Caleb qui inter exploratores fuerant veſtibus conſciſſis, flentes populum obteſtantur, ne exploratoribus credant, formidoloſa referentibus, ſe quoque cum his fuiſſe, nihil autem metuendum in ſolo illo reperiſſe: promiſſis Dei confidere oportere, hoſteſque prædæ potiùs fore quàm exitio. In iſta imagine Iſraelis videre eſt homines difficultatibus in adipiſcendo regno cœlorum ſubeundis abſterreri ab ipſo regno. Delectantur potiùs Ægypti ſervitute, videlicet modicis & brevibus voluptatibus, quæ intra multos dolores hic interdum occurrunt; unde fit ut pauci in cœlum perveniant. Soli Joſue & Caleb ex omnibus qui ex Ægypto exierant, ingreſſi ſunt terram promiſſam.

Aaron moritur in vertice montis Horeb: nec me- 2552

tuit ingredi terram promiſſam, quia conflaſſet vitulum aureum.

2553 Iſraelitæ tempore peregrinationis ſuæ laceſſiti ſunt à multis gentibus, præcipuè à Moabitis, à quorum rege advocatus Balaam Propheta ut Iſraelitis malediceret, loco maledictionis, de Meſſia, qui ut ſtella oriturus eſſet ex Jacob, vaticinium protulit.

Moyſes tot defatigatus laboribus, & longæ peregrinationis moras ægrè ferens, quaſi incredulus, Deo diſplicuit; unde mortuus eſt in deſerto, conſpecta eminùs terra promiſſa. Attamen Scriptura in Numeris cap. XII. cauſam aliam aſſignat, quæ & Aaronem complectitur. *Dixitque Dominus ad Moyſem & Aaron: quia non credidiſtis mihi ut ſanctificaretis me coram filiis Iſrael, non introducetis hos populos in terram quam dabo eis.* Quia ſcilicet quaſi diffidentes bis percuſſerint rupem ex qua exituras aquas Deus promiſerat.

2554 Iſraelitæ in terram promiſſam duce Joſue, quem ex mandato Dei elegerat Moyſes ſibi ſucceſſorem, quadrageſimo poſt Exodum anno ingreſſi ſunt. Lacte & melle illa abundans figurabat cœlum & cœli delicias, quarum fient participes quos verus Joſue, nimirùm Chriſtus, Ægyptiaca ſervitute ſive diaboli jugo liberatos in cœlum deduxerit, poſtquam in hoc mundo, tanquam peregrini, ſine rerum mundanarum affectu, omnibus ſuis deſideriis cœlum patriam quæſiverint.

Jordanis autem flumen tranſitum cùm prohiberet, neque navium copia pro tempore eſſet, neque vadari poſſet fluvius, qui tunc pleno alveo ferebatur, Joſue arcam præferri à Sacerdotibus, eoſdemque flumine conſiſtere juſſit. Quo facto quaſi inciſus eſt Jordanis; ita per ſiccum copiæ traductæ. Urbis Jericho, quæ ingredientibus terram occurrebat, & expugnationi haud facilis erat, muri ac turres ſponte ceci-

ceciderunt, poſtquam ſepties Arca fœderis circumlata eſt. Quos exploratores Joſue miſerat Jericho excepit hoſpitio Rahab; & occultavit, cùm eos advertiſſet rex Jericho; & occidere vellet. Gabaonitæ, gens valida, ultro ſe Iſraelitis dediderunt. Uno impetu urbes plurimas cepit Joſue; & eorum reges interfecit. Diviſo per Tribus duodecim Iſraelitarum captivo ſolo, pace ſumma Hebræi perfruebantur.

Joſue mortuo, populus ſine duce agebat. Sed cùm 2563
adversùs Chananæos bellandum eſſet, dux belli Judas fuit, id eſt, Tribus Juda. Hujus ductu res proſperè geſtæ ſunt: domi militiæque ſummum otium. Populus aut ſubactis aut per deditionem acceptis gentibus imperitabat. Inde, ut ſemper fieri ſolet ſecundis rebus, morum diſciplinæque immemor, matrimonia ex victis aſſumere, paulatimque externos mores trahere, ac mox profano ritu idolis ſacrificare, occœpit (adeo cuncta cum externis ſocietas pernicioſa eſt) quæ Deus longè ante proſpiciens; ſalubri Hebræos reſponſo inſtruxerat devictas gentes ut internecioni darent. Sed plebs cupidà dominandi imperare victis cum pernicie malebat.

Per hæc tempora, adversùs Benjamitas bellum civile fuit, ad ulciſcendam injuriam, quam illi intulerant uxori Levitæ, ſtupro eam opprimentes, ita ut ipſa animam efflaverit. Tribus Benjamin tunc ferro ferè abſumpta, certè multum imminuta eſt.

Cùm omnis Iſrael relicto Deo idola coleret, de- 2599
ſtitutus divino auxilio, à rege Meſopotamiæ victus, octo annorum captivitatem pertulit, donec Othoniel duce in libertatem reſtitutus, per annos quadraginta rerum potitus eſt. Hoc-ce longo pacis intervallo corrupti rurſum Iſraelitæ, idola coluere. Mox adfuit pœna peccantibus. Ab Eglone enim rege Moabitarum devicti duodeviginti annis ſervierunt, do-

nec Aod inſtinctu Dei regem hoſtium dolo interemit, contractoque tumultuario exercitu libertatem armis vindicavit, quam poſſederunt per octoginta annos, numerandos à quiete ſibi ab Othoniele reſtituta.

2680 Poſt Aod, Samgar defendit Iſraelem, & adversùs Allophylos congreſſus ſecundo eventu prælium fecit. Rurſumque Hebræos ſectantes idola rex Chananæorum Jabin nomine ſubjugavit, graviſſimamque in eos per viginti annos dominationem exercuit, donec priſtinum Debora mulier ſtatum reddidit: adeo nil ſpei in eorum ducibus erat, ut muliebri auxilio

2719 defenderentur. Sub hac duce vel judice quadraginta annis Hebræi fuerunt. Rurſumque ob peccata Madianitis traditi, duro imperio habebantur, afflictique malo ſervitutis divinum auxilium imploraverunt. Ita ſemper in ſecundis rebus immemores cœleſtium beneficiorum Idolis ſupplicabant, in adverſis Deo.

2759 Igitur cùm eis Madianitæ dominarentur, converſi ad Dominum, miſericordiam ſolitam flagitaverunt, & impetraverunt. Gedeone duce vicerunt Madianitas, & jugum eorum excuſſerunt.

Abimelec Gedeonis patris, fratribus ſeptuaginta interemptis, imperium occupavit; ſed poſt triennium ſaxo à muliere ictus periit. Huic ſucceſſit Thola.

2772 Poſt hunc Jair, ſub quo populus relicto domino idolis ſe mancipavit: ob idque ſubactus eſt ab Ammoniis, à quibus illum Jephte liberavit. Votum ille nuncupaverat, quo devoverat quidquid ſibi primum ex proſpera pugna revertenti obvium eſſet. Cùm reverteretur victor, obvia ei facta eſt filia ejus, quam ideo Deo conſecravit morti addicens, vel, ut quidam opinantur, aſtringens perpetuæ virginitatis lege.

Poſt Jephte, judices Iſraelis fuerunt Abeſan: poſt hunc Ahialon; & deinde Abdon. Rursùm Iſraelitæ ad idola converſi ſubjecti ſunt Philiſtæis, à quibus vindicati ſunt auxilio Samſonis, qui miro robore inclitus

clitus fuit. Ceſſit tamen illecebris mulierculæ, cujus 2850
amore captus, incidit in manus Philiſtæorum. Protinùs privatus eſt oculis; attamen, ſimiliter ac Chriſtus, cujus fuit typus, moriendo ipſos hoſtes ſuos vicit; cùm enim Philiſtæi omnes epularentur in templo, quod duabus fulciebatur columnis, & adduci juſſiſſent Samſonem, ut ludibrium daret, ille ductus inter columnas, has disjecit, & templi ruina ſe & Philiſtæos obruit, ſuo ſepultus triumpho.

Poſt Samſonem, Eli judex fuit & Pontifex. Sunt 2887
viri docti, qui conjungunt viginti annos Samſonis cum viginti primis annis ex quadraginta per quos Eli judicavit Iſrael. Filii autem Eli, Ophni & Phinees, malis ſuis moribus cùm iram Dei in ſe concitaſſent & in Iſraelem, à Philiſtæis victi ſunt & occiſi. Arca quam ſecum in caſtra portaverant, capta eſt; quod cùm reſciviſſet Eli, decidens è ſolio ſuo, mortuus eſt, fracta cervice. Philiſtæi preſſi malis quę immiſerat Deus, arcam remiſere.

Poſt Eli Samuel, quem Anna Elcanæ uxor hactenus ſterilis impetraverat, & conſecraverat Deo, judicavit Hebræos; qui cùm regem ſibi conſtitui poſtulaſſent, SAULEM in regem eorum inunxit. Ille 2909
cùm Deo diſplicuiſſet, Samuel juſſu Dei unxit DA- 2934
VIDEM, licèt adhuc maximè juvenem; à quo tamen gigas Goliath in ſingulari certamine interfectus eſt, & profligati ſunt Philiſtæi, quibuſcum perpetuum bellum Hebræi hactenùs geſſerant. Tantæ victoriæ moverunt invidiam Sauli in Davidem, cujus mortem cùm ſæpiùs Saul molitus eſſet, ille fugere coactus eſt, deliteſcens, & exilium mutans uſque ad mortem Saulis, quo mortuo regnavit.

Sub Davide res Iſraelis floruere; ſed ille inter pro- 2949
ſpera adulterii crimine ſe reum fecit cum Bethſabee uxore Uriæ, quem interficiendum curavit, cùm hoc adulterium aliter latere non poſſet. Tam grande pec-

catum cinere & lacrymis expiavit. Itaque Deus illi renovavit toties datam promiſſionem de futuro orbis Redemptore, qui de ejus ſemine naſciturus eſ-
2990 ſet. Rebus ſumma pace compoſitis, obdormivit. SALOMON ejus filius regni habenas ſumpſit in manus; & quod in mente habuerat pater ejus, ſed prohibitus fuerat à Deo, Templum extruxit in monte Moria; cùm hactenus pro Templo fuiſſet illud Tabernaculum, quod ex pellibus conſuerat Moyſes. Abſolutum eſt Templum tertio millenario à creatione Mundi.

3000 Salomonis regnum pacificum fuit; ſed ille ab opibus in luxum & vitia delapſus, cùm adversùs interdictum Dei ex alienigenis conjugia ſumpſiſſet, ſimul & falſas religiones mulierum quas duxerat amplexus eſt. Ideò Dominus graviter increpito pœnam denuntiavit, nempe fore ut regnum ex parte majore ademptum filio, perveniret in manus ſervi illius; quod accidit. Succeſſit enim ei ROBOAM filius ejus, ſub quo ſciſſum eſt regnum in duas partes à Jeroboam, qui decem tribus abductas à Juda & Benjamin rexit, conflatis & erectis in Samaria aureis vitulis, qui pro diis haberentur. Hac re cavens ne Tribus ſibi ſubditæ reverterentur Jeruſalem, religionis cauſa. Sola ergo Tribus Juda paruit Roboam cum reliquis Tribus Benjamin; quæ occiſione fuerat ferè deleta in bello quod adversùs eam geſſerant aliæ Tribus, ut dictum eſt. Ideò regnum Roboam appellatum eſt *Juda*, aliud verò *Iſraelis*.

REGES JUDA.	*REGES ISRAEL.*
3029 I. Roboam regnavit annis 17.	I. Jeroboam regnavit annis 22.
3046 II. Abia patri Roboam ſuccedit, anno Jeroboami	II. Na-

mi decimo octavo ineunte: regnavit annis tribus.

III. Aza filius Abiæ patri ſuccedit anno vigeſimo Jeroboami completo: regnavit annis 41. 3043

II. Nadab regnat vivo adhuc patre ſuo Jeroboam, qui percuſſus à Deo præeſſe non poterat. 3050

III. Baaza cædit Nadabam, & deſtruit domum Jeroboam, qui adhuc ſuperſtes vivebat. 3051

Hoc-ce anno Aza univerſalem reformationem inſtituit ex conſilio Azariæ Prophetę. 3063

IV. Ela patri ſuccedit. 3074

V. Zamri regnum occupat. 3075

VI. Amri à pòpulo rex conſtituitur, parte modica Thebnin ſequente. 3079

Mortuo æmulo Thebni, ſolus regnare incipit Amri.

VII. Achab filius Amri regnare incipit qui cultum Baalis idoli Sidoniorum in Iſraelem introducit, eoque cumulat idololatriam aureorum vitulorum. Duxit Jezabelem uxorem, quæ impia fuit mulier, curans interficiendum Nabot, ut vineam ejus poſſideret. 3086

C 4 Aza

Aza ex pedibus diù cùm ægrotaſſet tandem moritur.

3090 IV. Joſaphat patri ſuccedit, anno quarto Achabi deſinente.

3092 Joſaphat anno tertio regni ſui mittit Sacerdotes, Principes, & Levitas, qui docerent in civitatibus Juda. (3. *Paral.* 17. 7.)

3112 V. Joſaphat jam ſenior Joram regni conſortem ſtatuit, Jorami

Temporibus Achab deſperatiſſimis, & Ochoſię, & Jorami claruit propheta Elias, qui claudit cœlum, ut nulla pluvia decidat ſpatio trium annorum & ſex menſium, donec jugulentur ſacerdotes Baal; & inde imbrium abundè eſt. Alitur à corvo. Viduam alit Sareptanam. Suſcitat puerum mortuum; cædit aliquot prophetarum greges: ignem cœlo deducit. Primus Elias gentium propheta jejunat quadraginta dies & noctes: videt Dominum ubi illum Moyſes viderat. Vocatus eſt ad inungendum Hazael in regem Sy-

3106 VIII. Achab Ochoſiam filium conſtituit proregem.

3108 IX. Joram Achabi filius ſuccedit Ochoſiæ fratri.

Iſraeli.

Iſraelitici anno quinto.

VI. Ochoſias, patre morbo graviter laborante, prorex conſtituitur, & anno ſequenti in regnum ſucceſſit, anno 12. Jorami filii Achab.

VII. Athalia regnum occupat, & ut ſola regnaret regiam ſtirpem enecat. Furori ejus ſubducitur Joas filius, & clam educatur.

VIII. Joas ſeptennis puer à Joiada Sacerdote productus in Téplo inungitur in regem anno Jehu ſeptimo; & Athalia mater occiditur. Per omne tempus quo vixit Joiada ſacerdos, fuit religioſus Joas, at eo è vivis ſubla-

riæ, afflicturum Iſraelem propter idololatriam, & ad inungendum Jehu in regem Iſraelis, deſtructurum domum Achab, & ad inungendum Eliſæum prophetię ſucceſſorem.

3118

X. Jehu ab uno ex prophetis unctus regnat, & ſequitur idololatriam Jeroboami. 3120

3126

Moritur Jehu.

	to Dei oblitus eſt.		
3148	Zacharias Sacerdos & Propheta inter Templum & altare occiſus eſt.		XI. Joachas patri ſuccedit.
3163		Jonas Propheta prædicit regnum ab oppreſſione Syrorum per Jeroboamum II. vindicandum. (4. *Reg.* 14. 25.)	XII. Joas à patre regni particeps admittitur.
3165	IX. Amaſias patri ſuccedit, anno Joaſi regis Iſrael ſecundo completo.		
3168			XIII. Jeroboamus II. à patre ad bellum profecturo in regni conſortium aſſumitur.
3195	X. Ozias ſive Azarias, patre per conjurationem interfecto, regnum accipit, anno vigeſimo ſeptimo Jeroboami II.	In diebus Ozię, Joatham, Achas, & Ezechię regum Juda, atque Jeroboami II. regis Iſrael Propheta Oſee per integrum ſæculum prophetavit.	
3217		Sub iiſdem Regibus prophetavit Joel. Amos anno Oziæ XXIII. prophetare incepit. Cœpit & prophetare Iſaias res Meſſiæ, pręcipuè	Mortuo Jeroboamo II. in pręceps ruere omnia, & ad anarchiam undecim annorum res deducta eſt.

XI. Jeoa-

mortem ejus vaticiniis deſcribens, ut non tam prophetam quàm hiſtoricum ejus agat. Abdias fuit Oſee, Amoſo & Iſaiæ æqualis.

Jonas juſſus à Domino prędicare Ninivitis quòd niſi reſipiſcerent & pœnitentiam agerent omnes eſſent perituri, ut illud mandatum declinaret, navim conſcendit, quam ne tempeſtas everteret, projectus eſt in mare à nautis; patuit enim eum cauſam eſſe tempeſtatis, quæ illicò ſedata eſt. Exceptus autem ventre ceti, poſt tres dies ejectus eſt in littus. Typus manifeſtus Chriſti, qui tribus diebus jacuit in ſepulchro, cùm tempeſtatem quã mũdus omnis con-

XIV. Zacha- 3232
rias quartus & poſtremus è ſtirpe Jehu regnavit anno 38. Oſiæ ſex menſibus.

XV. Sellhum, 3233
cùm interfeciſſet Zachariam, anno 39. Oziæ, regnavit menſe unico.

XVI. Manahem Sellhum occidit, & per undecim ferè menſes de regni poſſeſſione contendit, tandemque auxilium ferente Phule rege Aſsyriorum regnare cœpit pacificè, ann. XXXIX. completo Oziæ regis Juda.

XVII. Phaceia 3243
patri Manahemo ſuccedit anno L. Oziæ.

XVIII. Phacee 3245
filius Romeliæ, interempto Phaceia, regnat, anno LII. Oziæ.

cutiebatur, morte ſua compeſcuiſſet.

3246 XI. Joatham, mortuo patre Ozia, regnum ſuſcipit, anno 2. Phacee.

Sub Joatham & duobus ejus ſucceſſoribus Michæas Moraſtites prophetavit.

3251 Urbis Romæ jacta ſunt fundamenta.

3262 XII. Achas patri Joathamo ſuccedit, anno 17. Phacee completo.

3265 XIX. Ozea filius Elæ, interfecto Phacee, regnum invadit, anno 4. Achas: turbis intervenientibus hoc-ce potiri non potuit niſi anno 12. Achaſi deſinente.

3273

3277 XIII. Ezechias ab Achaſo patre regni conſors efficitur, qui inde ab anno 3. Oſeę Regis Iſrael completo regnavit.

Cum

Salmanaſar Rex Aſſyrius anno Ezechiæ 6. Oſeæ 9. obſedit Samariam, & poſt obſidionem trium annorum capit, & decem Tribus in captivitatem abducit, atque hìc finis fuit regni Iſrael. 3283

Poſt abductas decem Tribus Nahum prophetat, ut conſolatio eſſet tam his qui jam captivi erant, quàm his qui obſidebantur ab hoſtibus.

Ex lethali vulnere decumbenti Ezechiæ Iſaias prorogationem regni in 15. annos, & liberationem è manu Aſſyriorum ſigno mirabili umbræ ſolaris retrò actæ dato denuntiat. 3291

Cum jugum Aſſyriorum excuſſiſſet Ezechias, anno ejus XIV. ad finem tendente, Sennacherib qui patri Salmanaſaro ſucceſſerat, regnum Judææ invadit; ſed ab Angelo deletus eſt exercitus ejus, occiſis nempe 185. millibus hominum una nocte. In Aſſyriam reverſus à duobus filiis occiditur.

XIV. Manaſſes morienti Ezechiæ, bono patri, impius ſuccedit filius annorum 12. tantùm natus; anniſque 55. Hieroſolymis regnat. 3306

Prin-

3327 Principes exercitus regis Aſſyriæ è Samaria, quò novos colonos induxerant, in vicinam Judæam progreſſi, Manaſſem in vepretis quibuſdam latitantem ceperunt, & compedibus vinctum Babylonem abduxerunt.

3361 XV. Amon impius patri Manaſſi ſuccedit, & regnat biennio.

3363 XVI. Joſias octennis puer Amoni patri per domeſticorum proditionem occiſo ſuccedit: regnat annis 31.

3375 Anno Joſiæ regni 13. Jeremias adhuc puer ad propheticum munus à Deo vocatur.

Ei adjunguntur Sophonias, Baruch, & alii.

Holda quoque Prophetis ſub Joſia floruit. (4. *Reg* 22. *v.* 14.

3378 Nabopolaſſarus affinitatem cum Aſtyage Mediæ ſatrapa init, Amyſa filia Nabuchodonoſori filio Nabopolaſſari deſponſata, uterque junctis viribus Ninivem & in ea Saracum regem oppugnant, quo ſublato Chaldæorum regnum Nabopolaſſarus annis 21. obtinuit.

XVII. Jo-

XVII. Joſia à Nechaone rege Ægypti occiſo, populus Joachaſum juniorem ejus filium in regem unxit; ſed poſt tres menſes Nechao regem conſtituit Eliakim fratrem ejus ſeniorem, quem Joakim appellavit. 3394

Nabopolaſſarus filium Nabuchodonoſorem in ſocietatem regni aſſumptum adversùs rebellem Cœleſyriæ ſatrapam mittit, atque hoc primum initium imperii Nabuchodonoſor. (*Jerem.* 25. 1. 3397

Habacuc hoc circiter tempore prophetavit, cum jam jam immiſſurus eſſet Deus Chaldæos in Judæam.

Judæam invaſit Nabuchodonoſor, & Joakim catenis vinxit.

Initium Captivitatis Babylonicæ LXX. Annorum.

Jeremias prophetat ſore ut Judæi per LXX. annos captivi degerent Babylone, qui ſeptuaginta anni captivitatis ab hoc anno numerandi ſunt. 3398

Daniel de filiis Juda cum cæteris captivis abducitur.

Mortuo Nabopolaſſaro patre Nabuchodonoſor Babylonem redit, ibique ſolus imperat, inde ſecun- 3399

Joa-

dum initium imperii ejus *Daniel.* 2. 1.

3401 Joakim poſtquam tribus annis in fide Nabuchodonoſoris permanſit, rebellavit.

3405 A Chaldæis captus, abjectus eſt inſepultus.

XVIII. Ei ſucceſſit filius ejus Joachin, ſive Jechonias, qui cùm menſes 3. & dies 10. regnaſſet, captivus abductus eſt cum matre & proceribus.

Nabuchodonoſor anno ſeptimo tranſtulit 3023. captivos Judæos. *Jerem.* 52. 28.

XIX. In locum Jechoniæ ſubſtituitur Mattanias patruus ipſius, Joſiæ filius, nomine ejus in Sedeciam mutato, qui undecim plenis annis regnavit.

3409 Anno quinto ab hac deportatione Ezechiel prophetare incipit, uſque ad annum 27.

3416 Nabuzardan princeps exercitùs regis Babylonis ſuccendit Templum & domum regis, poſtquam à Salomone conditum fuerat annis 424. menſibus 3. & diebus 8. menſe quinto, ipſa die Sabbati, qua videbimus, poſtquam inſtauratum eſt, à Romanis everſum & incenſum. Sedecias Rex ductus eſt captivus Babylonem cum omni populo; ſimul Nabuzardan aſportavit reliqua vaſa Templi.

3435 Nabuchodonoſor rex Babylonis, cujus juſſu incenſum Templum, mente alienatus per ſeptem annos be-
3444 ſtiarum more vixit. Succeſſit ei Evilmerodachus quem occidit Nerigliſſor, qui adversùs Medos & Perſas ſubditos

ditos ſociosque ſuos ſollicitat. Hac occaſione Cyrus à 3445
patre Cambyſe & avunculo Cyaxare totius exercitus
imperator conſtituitur. Pugnat cum Neriglissore, qui
in hoc prælio occiditur. Laboroſaorchadus patri ſuc-
cedens regnavit aliquot menſes; quo interfecto, ei
ſuccedit Nabuchodonoſoris ex filio nepos Nabonydus,
ſive Labinytus, qui & Danieli Baltaſar dicitur. Iſte 3449
eſt Baltaſar, cui Daniel ſagacitate ſua commendatus
characteres in pariete inconſpicua manu deſcriptos,
quos non alius legere poterat, interpretatus eſt de
proxima morte. Baltaſar eadem nocte qua convivium
celebrabat, bibens vinum in vaſis ſacris Templi, à
militibus Cyri occiſus eſt, qui Babylone expugnata
regnum Babylonicum ad victores Medos & Perſas
tranſtulit.

Tunc Darius Medus Chaldæorum imperium à vi- 3466
ctore Cyro accepit, imperavitque annis duobus. Da-
rius & Cyrus junctis viribus contra Babylonios bellum
geſſerant. Darii ſolius mentio fit apud ſacros Scrip-
tores, quia ætate præcedebat; apud Ethnicos verò
ſolius Cyri, quia conditor fuit Perſicæ Monarchiæ.

Cyrus ille eſt qui finem attulit regno Babylonio;
ad id à Deo vocatus, ut pœnas à regibus Babyloniis
repeteret de Templo ſuo incenſo. Benignum ille ſe ſe
præbuit Judæis. Hoc itaque anno impleti ſunt ſeptua- 3468
ginta anni, numerandi à quarto anno Nabuchodo-
noſor, per quos duraturam ſervitutem Populi Dei
prædixerat Jeremias; cujus ſervitutis finem cùm ad-
verteret Daniel, ſignificavit poſt alios ſepties ſeptua-
ginta annos, ſive ſeptuaginta hebdomadas annorum
ſolvendam duriorem ſervitutem per Chriſtum, qui
occidendus erat. Harum hebdomadarum initium de-
ſignavit annus quo exiturum erat decretum de ſtruen-
dis muris Jeruſalem, nempe annus vigeſimus Artaxer-
xis. Septies ſeptuaginta anni efficiunt 490. qui inde
numerari poſſunt uſque ad mortem Chriſti.

D Si mens

Si mens Judæorum non fuiſſet obtuſa, ejecti terrâ, cujus poſſeſſionem pacatam & felicem ſibi à Deo promiſſam credebant, cæleſte regnum terra feraci adumbratum intellexiſſent hiſce deſignari promiſſionibus. In eadem enim terra, ferè ſtatim ac illam ingreſſi ſunt, ſervitutem & alia multa mala experti: interdum liberati, ſed nunquam quievere, ſubinde bellis laceſſiti. Quin etiam media in pace ſub propriis ſuis Regibus jugum grave pertulere. Intelligere ergo poterant promiſſiones Dei, quæ inanes eſſe non poſſunt, ſpectare aliam terram. Etenim viderunt incenſam hanc urbem quam elegerat Deus, incenſum Templum quod ipſe inhabitabat; hæc everti, & poſſeſſione ſua deturbari Judæos permiſerat Deus, ut alia majora cogitanda admonerentur. Quia verò nondum omnes typi præmiſſi fuerant, ideò neceſſe fuit, ut dum adveniret Chriſtus, non omninò concideret Reſpublica Judæorum, & inſtauraretur Templum. Ergo ſoluti ſunt captivitate, à Cyro impetrata venia in patriam redeundi, & inſtaurandi Urbem & Templum.

Profecti ſunt Jeroſolymam Judæi, duce Zorobabele Salathielis filio; & huc cùm pervenerunt, altari ſtructo juge ſacrificium obtulere. Anno ſequenti, Templi quidem fundamenta jecerunt; ſed adverſariorum calumniis diſturbatum eſt opus, donec Darii Hyſtaſpis
3485 anno ſecundo repetitum eſt. Circa hæc tempora prophetaverunt Aggæus, Zacharias, & Malachias.

Per ducentos annos Judæi vixere ſubditi Perſis, qui totum orientem ditione ſua premebant. Horum primus eſt Cyrus, qui Judæis redeundi poteſtatem fecit. Poſtea regnavit Cambyſes filius ejus, per ſeptem annos & quinque menſes, quem ſe ſimulans Magus ſedem regiam occupavit. Fraus detecta eſt per Darium Hyſtaſpem, qui loco ejus regnavit. Creditur ille eſſe Eſtheris Aſſuerus, nempe ſub quo contigit quod narrat hiſtoria libri Eſther. Xerxes fuit filius

Darii

Darii Hyſtaſpis. Xerxem excepit Artaxerxes Longimanus; cujus anno ſeptimo Eſdras diploma obtinuit ad Rempublicam Judaicam reformandam.

Anno ejuſdem vigeſimo menſe Niſan reſtituendæ 3550
Jeruſalem, nempe ædificandorum murorum ejus obtinet veniam Nehemias (*Æſdr.* 2.) à quo anno numerandæ LXX. hebdomades, quibus impletis occidendus erat Chriſtus; juxta Danielis vaticinium; & re ipſa occiſus eſt Jeſus filius Mariæ; ideò verè Chriſtus agnoſcendus: Annus hic vigeſimus Artaxerxis incidit in annum ante Æram chriſtianam 454.

Artaxerxi Longimano ſucceſſit Xerxes II. Secundianus fratre Xerxe interfecto, regnat. Ochus alter Artaxerxis filius, necato fratre Secundiano, occupat regiam ſedem, ipſe appellatus Darius nothus. Huic filius Artaxerxes Mnemon ſuccedit. Ochus regnum invaſit, & dici voluit Artaxerxes. Codomanus in 36. 8
regno collocatur, qui Darii nomen aſſumpſit.

Ab illo Sannabaletes miſſus in Samariam, ipſe Chutæus genere, unde Samaritanis origo eſt, filiam ſuam in matrimonium collocavit Manaſſi, Jaddi Pontificis fratri. Ob hoc conjugium cum extera muliere ſuis exoſus Manaſſes, ad ſocerum ſe recepit.

Alexander Macedo filius Philippi Macedonum Regis, Darium vicit in pugna ad Arbellum, & evertit regnum Perſarum à Cyro fundatum, & totius orientis imperio potitus eſt. 3674

Sannabaletes impetravit veniam ab Alexandro ut in monte Garizim, qui montibus celſior imminet Samariæ, ſimile templum Jeroſolymitano conſtrueret.

Alexandro qui Magnus cognominatus eſt, mortuo, Duces ejus præcipui gentes ab eo devictas inter ſe partiti ſunt. Ceſſit Ptolemæis Ægyptus, Syria Seleucidis. Ab hiſce, quibus viciniores erant, Judæi multa mala pertulere; nec ſolùm Reſpublica

eorum labefactata, ſed & Religio, maximè ſub Antiocho ex hoc-ce Seleucidarum genere.

3836 Hoc Antiocho Syriæ Rege in Judaici nominis & Sacrorum perniciem impiè graſſante, Mathatias, occiſo regio ſatellite, qui ad prophanos ritus populum adigebat, ex Modin oppido profugit, & collecta Judæorum manu Regis minas contempſit. Moriens filios quos habebat quinque, fortiſſimos viros, ad tuendam libertatem & Religionem animavit. Horum principes erant Judas, cognomento Machabæus, Jonathas, & Simon: qui ſigillatim populo præfuerunt. Primus Judas Machabæus, ſecundis aliquot præliis factis cum Antiochi ducibus, pollutum ab eo Templum repurgavit ac divinum cultum reſtituit.

Judas & fratres ejus dicti *Machabæi* putantur, quia præferrent in vexillis ſuis has litteras *M. C. B. I.* quę ſunt initia vocum Hebræarum, quibus conſtat hæc ſententia, quæ legitur in Exodo (15. 11.) *Quis ſicut Deus inter Deos?* vel: *Quis ſimilis tui in fortibus Domine?* MI CAMOCA BAELIM JEHOVA. Dicti ſunt inſuper *Aſſamonæi*; quam vocem ſunt qui repetant à voce Hebræa *Haſidim*, unde Græci fecere *ἀσιδαῖοι*, id eſt, *ſancti*, *Pii*, *Religioſi*.

Penes hos fuit regimen Judæorum poſtquam excuſſerunt Syriæ jugum. Cùm ergo Aſſamonæi de gente Levitica eſſent, ablatum quidem fuit ſceptrum à domo David, ſed non à Tribu Juda, quatenus tunc temporis Judæi non aliis legibus quàm ſuis aſtringebantur. Non, inquam, ampliùs regnavere viri de domo David, ſed quoniam ſubſiſtebat adhuc Judaica reſpublica, nondum advenerat tempus, quo, juxta vaticinium Jacob (*Geneſ.* 49. 10.) oriturus erat Meſſias, nempe hac Reſpublica everſa.

3843 Interfecto Juda Machabæo, Jonathas loco ipſius dux electus eſt, cui ſucceſſit Simon: huic Joannes Hircanus. Illi pariter Pontifices erant & duces,

con-

ntinuis bellis laceſſiti à Syriæ Regibus.
Dum horum regum res florebant, Onias Oniæ
; Pontificis filius videns ſummum Sacerdotium im-
) Alcimo datum, cùm Reges Syriæ peſſumdarent
læos, in Ægyptum venerat. Poſtquam de recupe-
ıdo Pontificatu nulla ſpes illi eſſet, à Ptolemæo
ilometore obtinuit, ut in Heliopolitana præfectu-
Templum ad inſtar Jeroſolymitani extrueret, cu-
Pontifex conſtitutus eſt.

Joannes Hircanus Aſſamonæus Templum Cuthæo- 3875
n ſive Samaritanorum diruit poſt ducentos annos
àm à Sannabalete extructum fuerat. Idem ſubjuga-
; Idumæos circumciſionem accipere coegit: indè-
e inter Judæos cenſeri cæperunt Idumæi. Hirca- 3898
mortuo, Judas Ariſtobulus dictus, diademate ſi-
impoſito, Principatum in regni formam tranſtu-
; Poſt eum regnavit Alexander Jannæus ejus fra-
, & deinde Hircanus, cui cùm Ariſtobulus frater 3938
s invidiſſet coronam, diſcordiis utriuſque utentes
ımani Judæam ſibi ſubjecerunt.

Pompeius Dux Romanorum, expugnata Urbe & 3941
ɔto Templo, Pontificatum & Principatum Hirca-
, quem Ariſtobulus expulerat, reddidit; ſed dia-
ma vetuit, Judæoſque populo Romano fecit tri-
:arios. Hinc in pejus res Judæorum ruere: ſcili-
appropinquante tempore quo oriturus erat Meſ-
s, in dies evaneſcebat eorum Reſpublica, juxta va-
inium Patriarchæ Jacob.

Craſſus Romanorum Dux contra Parthos movens, 3952
:mplum Jeroſolymitanum ſpoliavit multo auro.
ſce verò temporibus & Romanorum Reſpublica la-
ravit diſcordiis. Pompeius Magnus & Julius Cæ-
de ſummo in illa imperio decertarunt, victo
ımpeio & occiſo, Cæſar imperavit ſolus.

Jam in Judæam miſerat Cæſar Antigonum Ariſto- 3956
buli filium ut contra Pompeium, à quo pulſus fue-

ſat pater ejus, aliquid moveret. Ubi Cæſar potitus eſt illo imperio, queri cæpit Antigonus de Hircano avunculo ſuo, & de Antipatro, quo præcipuo miniſtro utebatur Hircanus. Verùm Antipater natione Idumæus & Herodis Magni pater, Cæſarem ſibi & Hircano conciliavit. Confirmatus itaque eſt Hircanus princeps & pontifex. Antipater autem, aucta ejus poteſtate Galilæam filio ſuo Herodi, licèt admodum juveni, curandam commiſit.

3960 Cæſar Romæ in curia multis vulneribus confoſſus eſt. Octavianus nepos ejus ſtatim in Italiam adveniens nomen Cæſaris aſſumpſit, ſe Caium-Julium-Cæſarem-Octavianum deinceps appellans. Continuum adversùs Cæſaris parricidas bellum geſſit, inita ſocietate cum Marco-Antonio & Lepido. Hi tres Imperium Romanum quaſi hereditatem inter ſe diviſerunt, factique ſunt Triumviri Reipublicæ conſtituendæ.

3963 Herodes, cujus pater Antipater fuerat veneno ſublatus, gratiam iniit Marci-Antonii, & Mariamnem uxorem duxit filiam Alexandræ, cujus Hircanus pater. Pachorus autem Regis Parthorum filius, cùm
3964 hiſce diebus Syriam invaſiſſet, in Palæſtinam profectus Hircanum depoſuit, & præfecit Antigonum, qui Hircano avunculo ſuo amputavit auriculas, ut ſic ineptus fieret ad recipiendum Pontificatum; Hircanus præterea abductus eſt captivus.

Herodes verò, qui Judæa ceſſerat metu vinculorum, Romam venit, ubi opera Antonii Rex Judæorum appellatus eſt, & Antigonus hoſtis declaratus,
3967 quòd caſtra Parthorum ſecutus eſſet. In Judæam reverſus Herodes expugnavit poſt triennium Hieroſolymam, & eo inſtigante percuſſus eſt Antigonus ex Antonii juſſu. Ita ſceptrum Judæorum verſum eſt ad alienigenam, quippe Antipater pater Herodis erat Idumæus. Curavit inſuper Herodes ut Ponti-

tifi-

tificatus non traderetur niſi viris obſcuri generis. Proprium filium, quem ex Mariamne ſuſceperat, & cui Pontificatum dare coactus fuerat precibus matris, cum vix per annum eo functus eſſet, in piſcina dum nataret ſuffocari juſſit. Hircanum qui pa- 3970
triæ reſtitutus fuerat morte damnavit.

Triumviris inter ſe diſſidentibus, tandem pulſo 3974
Lepido, & Antonio victo, Octavianus Cæſar, qui poſtea & Auguſtus dictus eſt, ſolus evaſit Monarcha. Finem bellis civilibus impoſuit, & omnibus quæcumque cum cæteris nationibus gerebant Romani; itaque ubique bella ſedata ſunt, Deo volente, ut in pace naſceretur Chriſtus.

Herodes quanquam priùs cum Antonio amicitia junctus, devincire ſibi potuit Auguſtum, qui ei regnum firmavit. Mariamnem uxorem ſibi ſuſpectam morti addixit. Tunc autem omni metu vacuus à Judæorum ritibus magis magiſque diſceſſit. Attamen 3987
Templum Hieroſolymitanum reſtauravit, ſive reſtaurare incepit; ad quod reſtaurationis opus alludebant Judæi in Evangelio Joannis (2. 20.) cùm dicerent: *Quadraginta & ſex annis ædificatum templum hoc*, id eſt, per hunc annorum numerum ædificatur. Pleriſque ex filiis ſuis morte damnatis, diem obiit He- 4000
rodes; alios enim filios habuit ſuperſtites, ex quibus tres teſtamento deſignavit regni heredes. Confirmavit teſtamentum Cæſar Auguſtus. Judæa & Samaria ceſſit Archelao, cum nomine Ethnarchæ; Galilæa & Peræa Herodi Antipæ, Philippo Ituræa & Trachonitis, quarum regionum dicti ſunt Tetrarchæ, quod nomen eſt dignitatis infra Regiam.

Inſtabat tempus quo Meſſias oriturus erat à Maria Virgine. Quanquam ex utero ejus virgineo proditurus, non ope hominis ſed Spiritus ſancti, ut partus celaretur diabolo, nempe ut lateret virgo & mater, jungenda fuit connubio. Igitur Joſepho de-

ſponſata eſt. Tunc ad eam miſſus Angelus annuntiavit electam in matrem Chriſti, & in ſignum dedit Elizabetham cognatam ejus, quæ licèt effæta, conceperat ex Zacharia marito ſene. Statim Maria properavit ad montana Judææ ut inviſeret Elizabetham, quæ paulò poſt peperit filium, cujus in nativitate Zacharias recuperavit vocem, quam amiſerat incredulus, cùm ab Angelo Gabriele audierat ſuſcipiendum à ſe filium. Puer dictus eſt Joannes, & Chriſto præcucurrit. Cùm partui Elizabeth interfuiſſet Maria, teſtis facta miraculorum, quibus inſignitus eſt, reverſa eſt Nazareth in urbem ſuam. Jam à tribus menſibus prægnabat; Joſephus, cui deſponſata erat, rem advertens noluit illam accipere in uxorem, donec, ab Angelo conſcius factus eſt myſterii.

Omnia concurrebant ut Chriſtus naſceretur, juxta prophetarum vaticinia, iis temporibus & locis quæ fuerant prænuntiata. Paulò ante mortem Herodis prodierat edictum à Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur totus orbis, ſive conficeretur libellus in quo opes publicæ & ſubditorum numerus continetur. Hæc deſcriptio prima facta eſt Præſide Syriæ Cyrino vel Quirino: Joſephus ut edicto pareret, aſcendit à Galilæa in Bethleem civitatem David, ut profiteretur ſive deſcriberetur cum Maria conjuge.
4000 Impletis autem diebus ut illa pareret, *PEPERIT FILIUM SUUM CHRISTUM*, quem ubi natum Herodes audivit à Magis, qui ſtella duce eum adoraturi venerant, occidit omnes pueros qui erant in Bethleem, cùm paucis ante mortem diebus Antipatrum proprium filium interfici juſſiſſet. Joſeph autem & Maria de malo conſilio Herodis admoniti, accipientes puerum fugerunt in Ægyptum. Defuncto Herode, Joſeph in terram Iſrael reverſus eſt, monitus ab Angelo. Cùm autem audiſſet Archelaum filium

filium Herodis regnare in Judæa, ſeceſſit in partes
Galilææ, & habitavit in urbe Nazareth.

Jeſus-Chriſtus ex Maria Virgine natus eſt eo tempore, quod fuerat indicatum plurimis vaticiniis, de quo Judæi tenentur conſentire. Concludunt enim omnes mundi ætates intra ſexies mille annos. Duo prima milliaria præceſſerunt legem, quæ per duo altera milliaria viguit uſque ad ætatem Chriſti, qui ſic natus eſt poſt quartum milliarium. Regni autem ejus non erit finis; niſi quod juxta Judæos in terris regnaturus eſt per bis mille annos.

Dum Jeſus lateret cum Maria & Joſepho in ur- 4010
be Nazareth, Archelaus anno decimo principatus
ſui Viennam Galliæ in exilium mittitur, & ejus ditio in provinciam redigitur, miſſo in Judæam Quirino, qui domum Archelai vendidit, cenſumque per Judæam & Syriam egit, ut jam Judæi nullo modo ampliùs ſui juris fuerint, ſubditi alienis gentibus. Hujus deſcriptionis tempore, quæ ſecunda acta eſt à Quirino, Judas Galilæus exortus avertit populum multum poſt ſe, cenſum illum meram ſervitutem appellans, & addens ſolum Deum principem ac Dominum habendum.

Obiit Auguſtus. Tiberius Cæſar novum principa- 4017
tum iniit, ſub quo Pontius Pilatus venit in Judæam, illam adminiſtraturus. Anno autem imperii Tiberii Cæſaris decimo quinto, Joannes Baptiſta cœpit prædicare. Populus omnis Iſrael præcucurrit Chriſto, ut dictum eſt, factis & verbis annuntians adventum ejus; quem, ubi inſtitit, voluit Deus adhuc clariùs
indicari. Hujus, qui Chriſti fuit præcurſor cunas 4031
multis prodigiis illuſtravit.

Cùm Joannes præparaſſet uno vel altero anno Judæos, aquis abluens in pœnitentiam, ipſe JESUS ab eo baptizatus eſt, & declaratus Chriſtus, verus Agnus Dei, non ſolùm voce & digito Præcurſo-

curſoris, ſed & Spiritu Dei, qui deſcendit ſupra eum in ſpecie columbæ, dum ipſe aſcenderet ex aqua ubi fuerat baptizatus.

Inde cœpit JESUS CHRISTUS, ſcilicet Verbum, æternus Dei Filius, & in tempore caro factum, hominibus ſe conſpicuum præbere. Cœpit docere verbo & exemplo, qui à mundo condito & ubique terrarum, hominum cordi prædicabat non auditus. Auribus, inquam, cœpit inſonare, hominum captui ſeſe ſic accommodans, ut qui ejus vitam intueatur, protinus etiam ſine litterarum ſubſidio evadat quantùm ſatis eſt, in inſtituendis moribus peritus. Ægris non licet cibos alioquin ſanis utiles deguſtare. Ægri naſcimur, non ergo mirum eſſe debet Jeſum nobis oſtendiſſe ſuo exemplo alias ſequendas vitæ regulas, quam ſi perfecta uteremur valetudine. Docuit non defugiendam eſſe paupertatem, lugendum potiùs quàm ridendum. Vixit pauper, jejunans, non habens ubi caput reclinaret, ſiti, fame preſſus, fatigatus labore, repulſam ubique patiens, & cùm per tres annos promulgaſſet evangelium ſuum, iniquo judicio condemnatus eſt; cruci affixus eſt; & mortuus definita die & hora, juxta antiqua vaticinia, expreſſa tum verbis Danielis, tum ritibus Paſchatis, quod ſingulis annis hactenus fuerat à Judæis celebra-
Æra tum. Etenim hora nona in die Paſchatis mortem
Chri- ſubiit, quando Judæi in Templo mactabant agnos
ſtian. Paſchales. Mors Chriſti incidit in annum Æræ, qua
33 nos Chriſtiani utimur, trigeſimum tertium.

Oportebat Chriſtum pati, neque enim à Deo juſto judice venia prorſus condonari ſic poterat peccato, ut nulla elueretur pœna. Sanguine, inquam, innocentis victimæ placandus erat Deus: ſed, quod fieri non potuerat, ut quæ in ſacrificium hactenus trucidata fuerant pecora reſurgerent, vinculis mortis non detentus eſt JESUS, ſed à mortuis ſurgens cœlos in-

los ingreſſus eſt, nemini antea reſeratos, quò penetrare nobis ſpes facta eſt, ſi doctrinæ & vitæ communione, nempe fide & moribus ſimus cum eo conjuncti.

Statim ac Jeſus cœlum ovans repetiit, in terras Dei gratia, quaſi imber largè defluxit. Spiritus Dei, quo olim omnia fœcundante, aqua, tellus viventes animas produxerant, decima die poſt Aſcenſionem Chriſti in cœlum, feſto Pentecoſtes Judæorum, quo illi primitias triticeæ meſſis Deo offerebant, & qua die olim lex data fuerat, deſcendit in Apoſtolos. Tunc ergo Eccleſia Chriſti tanquam novus mundus apparuit. Nova rerum creatio facta eſt. Illuxit animis Apoſtolorum novus Sol. Peritiores facti, & in alios viros mutati novum evangelium palam promulgaverunt. Ingens multitudo populorum ad eos acceſſit, & quo vis novæ gratiæ eluceret, ita mutata ſunt corda, ut Saulus, qui poſtea Paulus dictus eſt, dum meditaretur perniciem Chriſtianorum, Chriſtianus ipſe & novæ legis Apoſtolus factus ſit.

Tiberius Romanorum Imperator, ſub quo baptizatus & mortuus eſt Chriſtus, & ipſe ſupremum 37
diem obiit. Paulò antè ad eum navigare juſſus fuerat Pilatus, accuſatus ab ipſis Judæis, quibus ut placeret, iniquo judicio Jeſum damnaverat; ipſe in exilio vitam finivit. Etiam Caiphas ſummus Pontifex, qui Jeſum reum mortis dixerat, in ordinem redactus eſt, motus ſummo Sacerdotio.

Caius Caligula ſucceſſit Tiberio, à quo Agrippa Herodis magni proles in vinculis tenebatur. His eum ſolvit Caligula, ac Philippi Tetrarchia, qui paulò ante Tiberium mortuus fuerat, eum donavit cum Regis appellatione. Tam repentinis & ſummis honoribus invidens Herodias, Herodem Antipam, à quo decollatus eſt Joannes, incitavit, ut Romam navigaret, ad regnum pariter impetrandum. Sed ipſe

ſua

ſua Tetrarchia excidit, quæ Agrippæ donata fuit,
& in Gallias in exilium relegatus eſt. Ita ſimilem
ſortem experti ſunt percuſſor Præcurſoris ac Pilatus.
41 Succeſſit Caio Caligulæ Claudius, qui Herodi A-
grippæ regnum confirmavit, & Judæam regno ejus
44 adjunxit. Cùm Agrippa Jacobum interfeciſſet, &
Petrum in carcerem conjeciſſet, mortuus eſt percuſ-
ſus ab Angelo, cùm in Theatrum prodiens cantaſ-
ſet, acclamante populo (*Actor.* 12.) *Dei voces &
non hominis. Confeſtim autem percuſſit eum Angelus
Domini, eò quod non dediſſet honorem Deo, & con-
ſumptus à vermibus expiravit.* Agrippa reliquit ſu-
perſtites tres filias & filium, qui junior Agrippa di-
ctus eſt, cui Claudius regnum Herodis regis Chal-
cidis, qui ejus avunculus erat, dedit.
54 Claudium excepit Nero, ſub quo Chriſtiani mul-
tùm exagitati ſunt. Principes eorum Petrus & Pau-
67 lus illuſtre ſubiere martyrium. Nero ob crimina om-
68 nibus exoſus & pulſus ſe interemit. Poſt exceſſum
Neronis Galba imperium ſuſcepit. Mox Otho, Gal-
ba interfecto, ſummam rerùm uſurpavit. Hunc Vi-
tellius vita & imperio exuit, qui cum imperaſſet
octo menſibus, imperium delatum eſt Veſpaſiano,
cujus & Titi filii ejus armis uſus Deus Urbem Je-
roſolymam & Templum evertit ac delevit. Quan-
70 quam enim Titus in id incumberet ut à militibus
parceretur Templo, attamen, juxta vaticinium Do-
mini, lapis ſuper lapidem neque unus relictus eſt.
Igitur ædificium illud, quod ſteterat ut in eo ven-
turi Chriſti ederentur typi, & quo everſo non po-
terat exerceri Moſaicæ legis miniſterium, quaſi eva-
nuit ex oculis. Ipſa quoque Hebræorum reſpublica,
pariter abiit in ventos. Nullus in ea vir princeps
aliqua auctoritate conſpicuus remanſit.

Herodes magnus genti Judæorum inſititius erat, ſed cum Templo & Urbe omnis ejus progenies everſa eſt.

CA-

TAB. I pag: 53.



ſa eſt.

ſa eſt. Agrippa, qui ſolus ex illa ſupererat, filius Druſillæ ſororis hujus, qui junior Agrippa dicebatur, in incendio Veſuviano periit: & ne cujuſcumque Templi Judaici vel veſtigium alicubi extaret, circa tempus quo everſum eſt Hieroſolymitanum, Lupus præfectus Ægypti templum Judæorum olim ab Onia ædificatum juſſu Veſpaſiani demolitus eſt. Veſpaſianus autem in Templum Pacis, quod Romæ dedicavit, congeſſit omnia ſpolia Judæorum, juſſitque eos Capitolio pendere, quod priùs Templo Dei pendebant ſemiſicli tributum. Uſque adeo Deus averſatus rebellem gentem, ut nec vectigalem habere voluerit. Ex illo tempore in nullo ſolo conſiſtit, ſed agitur vaga, & ubique extera, juxta minas quas ei per Moyſem intentaverat (*Deuter.* 12. 19.) ſi non audiret Prophetam, ſcilicet Chriſtum, quem ei miſſurus erat.

Omitto calamitates quas pertulere Judæi, & cędes eorum innumeras. In ipſa obſidione Jeroſolymitana undecies centum millia periere. Ubique hiſce temporibus cædi dabantur, ita ut ſumma eorum qui fame, exilio, miſeriis conſumpti ſunt, pluſquàm unius millionis & ter centum mille hominum fuerit. Ut impleretur vaticinium Chriſti, quod de Templo non relinqueretur lapis ſuper lapidem, fundamenta ejus eruta ſunt, cùm novi templi in odium Chriſtianorum Julianus Apoſtata ponere voluiſſet: quod conſilium ejus erumpentes è fundamentis ignei globi abruperunt.

Huic-ce capiti attexam egregium locum D. Thomæ (*Summ. p.* 3. *quæſt.* 3. *art.* 5.) *Magno Dei conſilio factum eſt, ut poſt hominis caſum non illicò Dei Filius mitteretur. Reliquit enim Deus priùs hominem in libertate arbitrii in lege naturali, ut ſic vires naturæ ſuæ cognoſceret, ubi cùm deficeret legem accepit, qua data invaluit morbus, non legis ſed naturæ vitio: ut ita cognita ſua infirmitate, clamaret ad medicum, & gratiæ quæreret auxilium.*

CA-

CAPUT III.

Totius orbis terrarum deſcriptio brevis; Terræ autem Iſrael paulo fuſior, & urbis ſanctæ & ædificiorum ejus. Tum diſſeritur de loco Paradiſi, & ubi fuerit Ophir, undè tot opes Salomoni advehebantur.

NEmo res habeat clarè animo ſuo perſpectas, cui fini hunc Apparatum Biblicum inſtruimus, niſi priùs diſpoſitas ratione temporum & locorum quibus contigere. Francorum hiſtoriam, qui Franciam luſtraverit, faciliùs intelligit; ita & Scripturam ſacram, qui ſaltem in imagine Terram Iſrael contemplatus ſit. Si quidem verò ſcribimus viris haud jam doctrina omni imbutis; ſed quos novus amor Sacrarum literarum excitat, ne cuipiam ignotum ſit qua parte orbis terrarum ſita fuerit terra Iſrael, & ignota hæc loca, ubi pars magna rerum, de quibus mentionem facit Scriptura, tranſacta eſt, ſummam totius orbis deſcriptionem præmittam, ipſam deinde terram Iſrael paulò fuſiùs deſcripturus.

Terra hominum ſedes rotunda eſt (*Tab. I.*) inſtar ſphæræ ſive orbis; qualem tibi prima tabula exhibet, in angulo ſuperiori versùs orientem, in duo hemiſphæria diviſum. Hemiſphærium A. (quod inferius dicitur, quia oppoſitum eſt ex adverſo his regionibus, quas pede calcamus) olim totum ignotum erat, antequam ad illud navigio perveniſſet Americus Veſputius, à quo ſuum nomen accepit pars illa orbis terrarum, quæ non potuit nominari in Sacris & profanis codicibus.

Alterum hemiſphærium B. ſive altera pars orbis diviſa eſt in tres partes, Europam, Aſiam, & Africam, quas certum eſt à tribus filiis Noe, nempe à Sem, Japhet & Cham primos incolas ſuos accepiſſe, ut pro-

probavit Samuel Bochartus in opere quod *Phaleg* inſcripſit, id eſt, *de diviſione orbis*.

Europa, cujus pars non ignobilior Gallia quam incolimus, ſeparatur versùs Meridiem, ab Africa, mari quod Internum, ſive Mediterraneum dicitur; ad Occidentem & ad Septentrionem habet Oceanum, mare diffuſum & patens. Ab Oriente limes ejus eſt Aſia. In Europa autem ſunt, in Occidentali ejus plaga, Hiſpania, deinde Gallia, quæ alluuntur tum Oceano, tum mari interno. Versùs Oceanum ſeptentrionalem videre eſt Hollandiam, Norvegiam, Sueciam, Daniam, Germaniam, Poloniam, & partem Moſcoviæ.

In ipſo mari ſeptentrionali claræ ſunt inſulæ, Britannia, ſive Anglia, & Hibernia. Mare internum prætexit Hiſpaniam, Galliam, Italiam, Græciam juxta quam plures ſunt inſulæ nobiles, ut Creta & Sicilia, quæ vicina eſt Italiæ. A Sicilia non longè abeſt Melite, quò Paulus Apoſtolus naufragus delatus eſt. In Italia Roma condita eſt, olim caput totius Mundi, nunc Religionis. Germani olim dicebantur populi omnes qui Europam ab Italico tractu uſque ad Septentrionem occupabant. Ultra erant Sarmatæ & Scythæ.

Græcia pars eſt Europæ. Græci autem & in Aſiam penetrarunt, cujus non paucas regiones ſubdiderunt ſuæ dominationi. Græciæ quæ in Europa eſt, urbs præcipua fuit Athenæ. Lacedæmonii & Macedones claruère inter populos ejus. Præclaras inter urbes Græciæ fuit Corinthus, quam ſitus ejus commendat inter duo vicina maria, quæ illam alluunt; condita eſt in Iſthmo Achaiæ, clarior autem fuit duabus Pauli ad eam Epiſtolis. Theſſalonica metropolis eſt Macedoniæ, cujus nomine duæ inſcriptæ ſunt ejuſdem Apoſtoli epiſtolæ. Galatæ, Epheſii, Philippenſes, Coloſſenſes, populi ſunt Aſiæ, noti Pauli etiam Epiſtolis.

Aſia ab initio rerum nobilis fuit, etenim protulit mor-

mortalium genus, & in alias partes emiſit. Prima ritus ſacrificiorum, mores, rationemque vivendi alias gentes docuit. In ea, inquam, primus hominum parens conditus eſt in paradiſo terreſtri, aut ſaltem in in eo ſtatim collocatus, nempe, in horto amœno, qui idcirco appellatur Hebraicè *Edem*, id eſt, *voluptatis*. Qua in parte Aſiæ ſitus ſit ille hortus ſcrutantur viri docti, & abeunt in diverſas ſententias. Secum me abduxerat clariſſimus Huetius Abrincenſium Epiſcopus, qui hortum Edenicum ſitum opinatur in ea parte Aſiæ; in qua duo diverſa flumina Tygris & Euphrates aquas jungunt, quas poſt aliquod terræ ſpatium dividunt, ita ut fluvius qui illam irrigat regionem videatur quatuor capita habere. Hoc ſatis convenit paradiſo, prout illum Scriptura deſcribit in Geneſi *cap.* 2. *v.* 8. *Plantaverat autem Dominus Deus paradiſum voluptatis à principio*. Fons Hebræus ſic verti poteſt: *plantaverat autem Dominus Deus hortum in Edem*, vox *Edem* idem ſonat Hebræis quod *voluptas*, ideo Latinus interpres appellat *paradiſum voluptatis*, & ſignificat *antiquitus*, *primariò*, *à principio*, etiam *Orientem*. Nomen itaque Hebræum reddi poteſt *principium* & *tempus anterius*, ſimul & *Regio orientalis*. Itaque paradiſus voluptatis poſitus in orientali regione cenſendus eſt.

Pergit autem loqui Scriptura de paradiſo *in quo poſuit* Deus *hominem quem formaverat*, & paulo poſt addit. *Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis*, de Eden, *ad irrigandum paradiſum*; *qui inde dividitur in quatuor capita*. Hec non accipit Huetius pro quatuor fluminibus, quæ orirentur in Eden in terra illa voluptatis, ſed quæ per illam tranſirent. Non accipit, inquam quatuor illa capita pro quatuor fontibus ſed pro quatuor initiis. In Scriptura quidem caput viæ eſt initium viæ. De linteo quadrato dicitur in Actis Apoſtolorum illud habuiſ-

habuiſſe quatuor initia. Ita & illud flumen, quo irrigabatur paradiſus, quatuor initia habebat, duo nempe cùm in Euphratis & Tygris diſtinctis alveis flueret, & duo alia cùm iterum Euphrates & Tygris conjuncti jam dividerentur, ut dictum eſt; quod repræſentamus in prima tabula, in angulo meridionali orientali, ubi ſubjicimus tabulam contractam terræ Eden, quam præfert prima pagina operis, cujus authorem laudavimus. Conatur ille probare vetuſtate & arte mutatos eſſe alveos dictorum fluviorum, dum ad irrigandos agros vicinos, aut ad coercendum eorum impetum, ſciſſi ſunt à principibus & populis in minores rivulos.

Anno hujus ſæculi ſexto Hadrianus Relandus elegantem & eruditam diſſertationem de paradiſo terreſtri edidit. Putat ille in Armenia fuiſſe olim paradiſum terreſtrem; & eo loco, qui medius eſt inter fontes quatuor fluviorum, Phaſidis, Araxis, Tygridis & Euphratis, quos opinatur deſcriptos Relandus à Moſe nominibus Phiſonis, Gihonis, Chiddekel, ſive Tygridis, & Phrat, ſive Euphratis; qui olim ex uno fluvio, poſtea cum omnibus quæ in paradiſo erant deperdito, ortum traxerunt.

Diſſidet Relandus ab Huetio, aliter interpretans quatuor flumina quibus Moſes aſſignat quatuor capita *ἀρχάς*. Nomen *Naharim*, quod hic occurrit, uſurpari ſolet pro fluviis integris & naturalibus. *Roſcho* autem *capita*, græcè *ἀρχαὶ*, rectiùs ſumuntur pro fontibus, ex quibus flumina ſcaturiunt; ita ut ubi ſunt quatuor diſtincta flumina, & quatuor ſint diſtincti fontes. Sic in Scriptura nominantur (*Geneſ.* 2.) *Nomen uni Phiſon, ipſe eſt qui circuit omnem terram Hevilath, ubi naſcitur aurum. Et aurum terræ illius optimum eſt: ibi invenitur Bdellium & lapis Onychinus.* Huetio videtur Phiſon alveus occidentalis ex duobus in quos fluvius paradiſi dividebatur ab eo egrediens;

quem Moyſes, cùm proximior ipſi eſſet ſcribenti Geneſim, primum ſermone attigit. Quæ ſit terra ***Hevila*** ſive ***Chavila*** (littera enim Hebræa prima hujus vocis pronuntiatur vel ***beth*** vel ***cheth***) quærere operæ pretium eſt. Inter gentium primos parentes, qui enumerantur in decimo capite Geneſeos, duo nominantur Chavila. Alius filius Chus, alius filius Jectanis. Ille poſtremus habitavit in regione Chuſan, in littore orientali ſinus Arabici, ſive maris rubri.

De altera ***Chavila***, quæ à Chavila primùm habitata eſt, ſermo eſt in loco quem tractamus. Hanc fuiſſe versùs ſinum Perſicum indicat Scriptura, cùm definiens limites Arabiæ, quæ Terræ ſanctæ vicina erat, nominat ***Sur***, quæ regio erat in vicinia Ægypti & ſinus Arabici & ***Chavila***, quæ ideo oppoſita erat, nimirum juxta ſinum Perſicum. Regio Saba circa illa loca erat, quam & auri feraciſſimam fuiſſe omnis antiquitas teſtatur; & indè veriſimile eſt Magos adveniſſe aurum & thus deferentes Domino. Bdellium quod in ***Hevilath*** inveniri Scriptura dicit, alii accipiunt pro lapide pretioſo, alii pro genere myrrhæ, alii pro gemma candida; undè ***manna***, quia tanquam guttæ roris cœlo cadebat, ſimilis bdellio dicitur in Scriptura. Myrrham, thus Sabæi mittebant in univerſum orbem. Antiqui & recentiores conſentiunt ſinum Perſicum abundare candidis gemmis; quin & ferunt reperiri in Arabia prædictos lapides. Vulgatus interpres vocem *ſchoham* reddidit lapidem Onychinum, quem non alibi quàm in Arabia effodi ſcribit Plinius l. xxxv. 7.

Hæc exſcripſi ex libro Huetiano. Excerpam ex Relando quæ ad ſuam ſententiam confirmandam ipſe adducit. Phiſonem habet pro Phaſi, magno fluvio Cholchidos, qui juxta Strabonem oritur ex montibus Armeniæ. ***Phiſon*** habet terminationem Hebraicam ***on***; Phaſis Græcam ***is***. Inter ***choloch*** & ***chavila***

non

non magna differentia eſt. *Chavila* in fonte Hebræo terminatur litera *he*, quæ ejuſdem organi eſt ac *het* ſive *chet*, ut levis ſit mutatio, ſive facilè ex *Chavila* fiat *Colchis*. Scythiæ pars eſt Colchis. *Scythia includitur Phaſi flumine*, inquit Juſtinus, lib. 2. Apud Scythas ſive in Cholchide aurum provenit, quod dicit Scriptura de terra Chavila. *Apud illos*, inquit Strabo, lib. 10. *dicuntur torrentes aurum deferre, quod barbari excipiunt tabulis perforatis & lanoſis pellibus, unde ficta eſt aurei velleris fabula*. Pleraque alia teſtimonia legenda ſunt in Relando, qui notat de hoc auro Colchico loqui Jobum cap. 37. 22. cum dicit *ab Aquilone venit aurum*. Colchis locata eſt ad ſeptentrionem Aſiæ.

In illa terra quam alluebat Phiſon, *invenitur bdellium & lapis Onychinus*; ut fons habet, *Bedolach* & *Schoham*. Sunt quidem nomina lapidum pretioſorum, rem incertam eſſe convenit inter peritos. *Bedolach* ſive bdellium videtur Relando cryſtallus, quam in Colchide reperiri optimam & frequentem oſtendit. Lapidem *ſchoham* Vulgatus interpretatur *Onychinum*: Plerique alii interpretes *Smaragdum*, quos optimos in Scythia reperiri Plinius & Solinus docent.

Alter fluvius paradiſi *Gehon* eſt: *nomen fluvii ſecundi, Gehon: ipſe eſt qui circumit omnem terram Æthiopiæ*. In fonte regionem *Chus*. Ut Huetio placet, Gehon eſt alveus orientalis ex duobus illis per quos Euphrates & Tygris prius conjuncti effundunt aquas in ſinum Perſicum. Olim Æthiopia hoc dicebatur nomine, quod nondum proprium parti Africæ. Relando *Gibon* ſive *Gehon* eſt *Araxes*, quem Arrianus, libro VII. de expeditione Alexandri, inter maximos Aſiæ fluvios recenſet. *Gehon* derivatur à *Gouch*, quod eſt *erumpere* & *prodire*. *Aras*, unde *Araxes*, nomen Perſicum eſt ejuſdem ſignificationis. Oritur ex Armenia. Regio autem Chus, quam circuibat Gehon non aliam putat Relandus quàm *Coſ-*

ſæorum ſive *Cuſſæorum*. Populi proximi ſunt Medis. Etenim *ſupra Mediam*, inquit Strabo, *eſt Coſſæorum regio*, ſive ut alii loquuntur, *Cuſſæorum*.

Nomen verò fluminis tertii Tygris: ipſe vadit contra Aſſyrios. Fluvius autem quartus, ipſe eſt Euphrates. Conveniunt inter ſe omnes de hoc tertio & quarto fluvio. In fonte Hebræo Tygris vocatur *Chiddekel*, undè formatur *diglath*, quo nomine nunc appellatur à populis orientis; non diverſo à *diglito*, quo & notus fuit fluvius ille Plinio. Fluit autem contra Aſſyrios, id eſt tendere videtur versùs illam regionem, quæ tempore Moyſis dicebatur Aſſyria ab Aſſur primo ejus incola. Ibi Ninive urbs; cujus principes cùm vicinas provincias ſubegiſſent, Aſſyriorum imperium pariter & nomen latè propagatum eſt. Fons verti poterat, *qui labitur ad Orientem, Aſſyriam versùs*. Quod dixit Moyſes, ut ſignificaret alveum Tygris, interprete Huetio, ante conjunctionem ſuam cum Euphrate eſſe orientalem reſpectu alvei Euphratis, qui illi occidentalis eſt. Sed addit Moyſes *Aſſyriam*, quia ex Aſſyria, quæ reſpectu terræ Eden eſt ſeptentrionalis, Tygris flueret. Euphrates nomen ſuum quo appellat eum Geneſis ſervavit, ſaltem ex parte; dicitur enim *Frat*; cui nomini ſyllaba *eu* addita eſt, quæ Perſicè aquam notat, Euphrates, inquit Relandus, eſt aqua *Frat*, ſicut *Hindab* id eſt, *aqua Indi*, & *Nilab*, *aqua Nili*. Plinius (*Lib. 6. 9.*) ubi ſcripſerat Armeniam fundere Euphratem & Tygrim, pergit: *Araxes eodem monte oritur quo Euphrates VI. mille paſſuum intervallo.*

Non diſſiti fontes Euphratis & Tygridis, immo cùm dicti quatuor fluvii oriantur ex montibus Armeniæ, ibi videtur potiùs collocandus paradiſus, quàm in aliqua alia regione. Ad montes Armeniæ delata eſt Arca, cùm ſubſederunt aquæ diluvii; ut itidem genus humanum per Noachum, quaſi al-

terum

terum Adamum, fuerit reſtauratum. Meritò ergo Juſtinus Scythis, cum Ægyptiis quondam de antiquitate contendentibus, palmam tribuit in illa diſputatione quam fusè narrat initio libri II. Etenim illa regio prope Araxem, ubi Scythæ primò conſederunt, priùs incoli cœpta eſt, quæ vicinior fuerit deſcenſui familiæ Noachicæ ex Arca.

Aſiam fuiſſe ſedem Patriarcharum demonſtrat ſitus paradiſi terreſtris, habitatam fuiſſe à Noe inde probare eſt, quòd arca videtur in vicinia Babylonis condita, ex lignis *Gopher*, ut notat Scriptura; *Gopher* autem, ut nomen oſtendit, cupreſſus eſt, quæ arbor dicitur expers putredinis; quia, ut ait Vitruvius, *Habet amarum ſaporem, qui propter acritudinem non patitur penetrare cariem, neque eas beſtiolas quæ ſunt nocentes. Ideòque quæ ex his generibus opera conſtituuntur, permanent ad æternam diuturnitatem.* Undè non mirum Arcæ reliquias ſuperfuiſſe per plura annorum millia, ut Joſephus teſtatur, & plerique alii vetuſti Scriptores. In Babylonia autem eſt cupreſſorum magna copia, ex quibus, referente Ariano, lib. 7. Alexander Magnus claſſem conſtruxit, cæſis in Babylonia cupreſſis. Præterea dicitur Arca, vi ventorum & aquarum impulſa ad Borealiores montes Armeniæ, requieviſſe in monte Ararath, ubi terra *Sinhar*; undè primi homines, perturbato eorum conſilio de perficienda excelſa turri, profecti ſunt in diverſas orbis regiones. *Sinhar* autem in Scripturis conjungitur cum Babylonia.

Fines Aſiæ ſunt à Septentrione, Oceanus Scythicus ſive Septentrionalis, ab Oriente mare orientale, à Meridie mare Indicum, ſive rubrum. Ea ſola parte qua conjungitur cum Europa, & in iſto angulo quo adhæret Africæ, mari non cingitur. In ſeptentrionalibus oris ejus erant Scythæ Aſiatici. Bochartus vult terram *Gog* eſſe Scythiæ Aſiaticæ par-

tem, circa Caucaſum montem, ultra Armeniam & Colchidem, ibi ergo eſſe terram *Magog*.

Populi Aſiatici magis orientales ſunt Seres, Sinæ, Indi. In meditullio ejus, Perſæ, Parthi, Medi, Iberi, Armeni, Verſus Europam, ſive regiones viciniores Europæ, erant Syria, Palæſtina, Phœnice, Cilicia, Cappadocia, Lycia, & inſula Cyprus. Pars illa Aſiæ quæ magis protenditur ad Europam, dicebatur minor Aſia, ubi Phrygia, Myſia, Lydia, Caria, Æolis, Jonia, Doris, inſula Rhodus, Meſopotamia, Aſſyria, Babylonia celebrantur in Scriptura, circa Euphratem & Tygrim fluvios. Meſopotamia inter utrumque eſt, quaſi μέση τῶν ποταμῶν, id eſt, media inter amnes, Judæi appellant *Syriam fluviorum*. Aſſyria erat ad orientalem partem fluminis, quod Tygrim diximus ubi Ninive urbs, ad quam miſſus eſt Jonas propheta. Babylonia ſive Chaldæa pars cenſetur Aſſyriæ, Meſopotamiæque. Ibi eſt Ur, unde vocatus Abraham venit in terram Chanaan, & alia urbs celebrior Babylon: Babylonem interfluebat Euphrates. Arabia conterminia erat Africæ, ad Orientem & ad Meridiem terræ Iſrael. Dividitur Arabia in Petræam, Deſertam, & Felicem. Felix erat inter utrumque ſinum, Rubrum & Perſicum; auri ferax & thuris, maxime ubi Sabæi populi, quos Plinius (*Lib. 6. cap.* 28.) *ditiſſimos ſylvarum fertilitate odorifera, auri metallis, agrorum riguis, mellis, ceræque proventu*. Horum populorum Reginam Chriſtus appellat *Reginam Auſtri*; Auſtralis enim ſive meridionalis hæc Arabiæ pars erat reſpectu terræ Iſraelis. Dona quæ obtulit Salomoni oſtendunt Sabæis imperaſſe, qui tunc temporis cenſebantur fines mundi, ultra quos nempe non eſſet niſi Oceanus. Alia Arabia dicebatur Deſerta, quæ erat ad orientem Judææ, ad ſeptentrionem Arabiæ felicis. Hujus incolæ dicebantur *Arabes*, *Scenitæ*, quia habitabant in *ſcenis*, hoc eſt, in tento-

toriis, quæ erant cilicina, ſive de pilis camelorum, ibi regio Cedar. His tentoriis ſe comparat ſponſa in Canticis (*Cap.* 1. 4.): *Nigra ſum ſed formoſa, filia Jeruſalem, ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis.* Tertia denique Arabia, ſcilicet Petræa extendebatur ab Arabia Felici uſque in Ægyptum. Populi Arabiæ Petrææ in ſacro Codice memorati ſunt Ammonitæ, Moabitæ, Idumæi, Amalekitę, Madianitæ. Ituræi & Traconitæ erant & pars Arabici generis. Ammonitæ erant trans Jordanem in montibus Galaad. Caput gentis *Rabba*, quæ poſtea dicta eſt *Philadelphia*; partem Ammonitidis occupavit tribus *Gad*.

Moabitæ erant ad Auſtrum Ammonitarum, quorum præcipua urbs dicta *Moab*. Pars Madianitarum ſedes conjunctas cum Moabitis habuere. Madianitis proximi Amalekitæ. Iſmaelitæ, qui orti ſunt ex Abraham, & ex Agar ancilla ejus, habitaverunt terras illas, quæ & pro Idumæa habentur; nempe pro terra, quam incoluerunt poſteri Eſau qui dictus eſt, *Edom*, id eſt, *rufus*. Idumææ urbes cenſentur *Theman*, *Bozra*, *ſeu Boſra*, *Boſor*, *Dedan*, *Duma*. In hoc tractu erat deſertum *Pharan*. Idumæa extendebatur juxta mare rubrum, quod videtur nomen accepiſſe ab *Edom*, nempe ab *Eſau* qui vocabatur *Edom*, id eſt, *rufus*. Inter populos Arabiæ celebrantur, *Nabathei*, *Sabei*, *Panchæi*. *Ailath* erat urbs in littore maris rubri; & non procul *Aſiongaber*, ibi Salomon ædificavit naves, quæ indè ſolvebant in regionem ditiſſimam *Ophir*.

Ubi ſitus fuerit locus ditiſſimus dictus Ophir, undè tanta Salomoni auri copia advehebatur, quærere de inſtituto eſt. Joſephus ſcribit Ophir ſitum in regione Indiæ, quæ ſuo tempore aurea dicebatur, nimirum in India extra Gangem, ubi eſt aurea Cherſoneſus, in vicinia Regni, quod nunc *Peguſium* ap-

 pella-

pellatur. Gemmas cujuſcumque generis pretioſiſſimas nulli Indorum præter *Peguſios* vendunt. Simias & pavones quamplurimos habent, elephantos, & ideo eboris ingentem copiam. Præterea ſylvis lignorum pretioſorum abundant, ex quibus citharæ aliaque id genus muſices inſtrumenta conficiuntur. Mittebat Salomon in mare Erithræum viros nauticæ artis peritos, nempe Tyrios ſervos regis Hiram, qui fecerunt ei claſſem in Aſiongaber (3. *Reg. cap.* 9.) *quæ eſt juxta Ailath in littore maris Rubri in terra Idumææ.* Mare illud Rubrum quod Hebræi appellant *jam ſuf* non ſolùm dicit ſinum Arabicum, ſive mare quod interjacet inter Arabiam & Ægyptum; ſed & reliquum omne, ut ita dicam, mare Orientale; quod primis temporibus, quia ignotum, non definiebatur certis limitibus. Igitur claſſis nautica Salomonis ex Aſiongaber ſolvens Ophir petebat; qui locus, ubicumque fuerit, auri ferax erat, & habebat pavos, & alias merces (3. *Reg.* 10. 22.) *Claſſis regis per mare cum claſſe Hiram ſemel per tres annos ibat in Tharſis, deferens indè aurum & argentum dentes elephantorum & ſimias & pavos.* Igitur notum curſus initium, nempe mare Rubrum, ſive Erithræum, & Aſiongaber. Notus eſt finis curſus, locus nempe unde adveherentur eæ merces, dictus *Ophir*.

Hunc locum quidam collocavere in Americæ regionibus, quæ dictarum mercium copiam habent. Sed præterquam illæ vaſtiſſimo pelago & periculoſiſſimo à reliquo orbe ſejunctæ ſunt, nondum ars nautica ſatis nota erat, ut illæ regiones adiri poſſent: brevius ad illas patebat iter per mare Mediterraneum, & inde per fretum Herculis, quod Tyriis non erat intentatum. Nam veriſimile eſt Herculem fuiſſe Tyrium mercatorem celebrem: *Harokel*, unde nomen illud Hercules, Hebraicè ſignificat *mercatorem*.

Locus quidem Ophir non ſtatuendus eſt nimium vici-

vicinus Judææ, triennium enim impendebatur huic Ophiriticæ navigationi; ſed nec etiam nimium removendus eſt, quia propter imperitiam rei nauticæ, his diebus nautæ tantùm littora legebant. Interdiù navigantes declinabant diligentiùs tempeſtates, quibus ſufferendis eorum navigia, ut noſtra, non erant idonea, ideò ſæpius ad portus confugiendum; expectandi Eteſiæ, ſive venti qui certis anni temporibus vel obſtant, vel favent.

Navigationis Ophiriticæ finem ponit Scriptura *Tharſis*. Sic mare appellat: undè de Jona dicitur (*Jon.* 1. 3.) deſcendiſſe in Joppem, portum maris Mediterranei, *ut fugeret in Tharſis*, hoc eſt mari fugeret, *à facie Domini*. Ophir maris inſula erat, ibi mare diffuſum. Pars ejus, quam quærimus, certè aurea terra erat, ut nomen indicat, *Cherſoneſus* ſive aurea inſula; quam Plinius & Solinus collocant extra fluminis Indi oſtia. Joſephus pro Ophir ſcribit *σωφεὶρ*; quod nomen non multùm differt à *σαύπαρα*, *Soupara*, vel *oupara*, vel *ſupara* urbs Indiæ intra Gangem, teſte Ptolemæo. Non autem neceſſe eſt ut in ipſa *oupara* fuerint fodinæ auri & argenti; ſufficit in vicinia ejus magnam utriuſque copiam fuiſſe, nempe fuiſſe celebre emporium, quò deferrentur dictæ merces; quæ ergo ibi poterant comparari à claſſe Salomonica.

India elephantos, & ideo copiam eboris habere, & pavos, ſive pavones & pſittacos notum eſt; quin & ligna pretioſa, qualia codex ſacer appellat *algumin* vel *almugim* ex quibus inſtrumenta muſica conflabat Salomon. Eadem de India planè refert Quintus Curtius (*Lib.* 8. *cap.* 9.) quæ ſacer Codex de Ophir. *Aves ad imitandum humanæ vocis ſonum dociles ſunt. Animalia inuſitata cæteris gentibus niſi invecta. Eadem terra & rhinocerotas alit, non generat. Elephantorum major eſt vis, quàm quos in Africa*

frica domitant. Et viribus magnitudo reſpondet. Aurum flumina vehunt, quæ levi modicoque lapſu ſegnes aquas ducunt. Gemmas, margaritaſque mare littoribus infundit. Videtur Job celebraſſe illas terras aureas, cùm dicit (*Cap.* 22. *v.* 24.) *Dabit pro terra ſilicem, & pro ſilice torrentes aureos. Nahalim Ophir.* Sic Ophir innotuerat diu ante Salomonem.

Antequam Terram Iſraelis, quæ Aſiæ pars eſt, ingrediamur, juvat & Africam ſermone attingere. Illa Aſiæ exiguo iſthmo annectitur; ita peninſula ſive ferè inſula eſt, undique mari circumfuſa. In illa Ægyptus nobilior regio eſt. Ægyptum à ſeptentrione terminat mare, quod Mediterranei pars eſt; ab ortu ſinus Arabicus, vel mare dictum Rubrum, quod interfluit illam & Aſiam; Arabia, quæ Petræa dicitur, occupat partem iſthmi ſive anguſti tractus, quo Africa cum Aſia conjungitur. Habet Ægyptus à meridie Æthiopiam, ab occidente Cyrenaicam. Ægyptus in ſuperiorem & inferiorem dividebatur, unde dicebatur Hebraicè duali numero *Mitzraim*. Ægyptum ſecat Nilus, qui pluribus oſtiis ſeſe effundit in mare Mediterraneum. Superior pars Ægypti erat ſupra ſectionem Nili, ubi ſe ſcindit in plures alveos. Inferior Ægyptus infrà ſtabat incluſa intra *delta*, quod nomen apud Græcos ex figura literæ *delta* ſortita eſt, quia ſcilicet referret ſpeciem hujus literæ græcæ Δ.

Tanis in inferiore Ægypto poſita erat, ad interiora regionis *delta*, haud procul à mari, ad ſecundum alveum Nili, versùs orientem. In Tani erat regia Pharaonis, juxta conjecturas Bocharti, qui probat temporibus Moyſis nondum Memphim conditam; Ideò regius Pſaltes (*Pſal.* 77. 43.) miracula quæ Moyſes patravit in Ægypto, canit facta *in campo Taneos*. Præterea, ubi *Tanis* erat, naſcebatur multa alga & planta, ex qua papyrus: ex qua ergo confici potuit arca,

peregrinati ſunt Iſraelitæ. Ut illius peregrinationis

itine-

TAB: II p:65.



planta, ex qua papyrus: ex qua ergo confici potuit
arca,

arca, in qua expoſitus eſt Moyſes in vicinia regiæ urbis. Terra *Geſſen*, quæ & *Rameſſe* dicebatur, ubi habitavit Jacob, erat ea in parte Ægypti quæ mari rubro vicinior eſt.

Suis aquis ſic Ægyptum Nilus olim fæcundabat, ut nulla eſſet in toto orbe regio feracior. In illam cùm deſcendiſſet Jacob cum filiis ſuis, experti ſunt duram ſervitutem; ex qua tandem egreſſi venerunt in terram promiſſam Abrahæ, Iſaac & Jacob, Moyſe ductore. Mare Rubrum ſicco veſtigio tranſierunt, aquis viam aperientibus. Protinùs ergo perveniſſent Iſraelitæ in terram patribus promiſſam; etenim Ægypto proxima eſt: ſed placuit Deo ut Moyſes primùm eos deduceret ad montem Sinai in deſerto, ubi antea illi ſeſe conſpicuum præbuerat, in quo legem ſuam eſſet promulgaturus. Hac promulgata etiam circumduxit illos Moyſes per deſerta vicina Sinai, ſpatio annorum quadraginta. Cauſas conjectant primùm quòd veteres incolæ è Terra promiſſa expellendi, ut locus cederet Iſraelitis, nondum impleverant menſuram iniquitatum, ob quas meritò poſtea ſunt puniti. Secundò ut omnes Iſraelitę qui non digni erant qui Terram promiſſam ingrederentur, priùs mortem ſubirent. Inſuper idoneum erat deſertum ut in Iſraelitis peregrinantibus Deus ederet typos quorum gratia Iſraelitas elegerat. Hæc potiſſima cauſa propter quam voluit Deus ut tot annis peregrinarentur. Occurrebat illud in introitu Aſiæ, in illam ab Africa tendentibus. Extendebatur ſecundùm ſinum Arabicum. Ibi nunc Arabes; olim regionem illam aut proximam occupabant Amalechitæ, Madianitæ, Moabitæ.

Appoſuimus in prima tabula, ubi notus orbis deſcribitur, in ea parte Africæ quę tempore Apoſtolorum pro ignota haberi poterat, tabellam, quæ Ægyptum exhibet cum mari rubro & deſerto, in quo peregrinati ſunt Iſraelitæ. Ut illius peregrinationis itine-

Digitized by Google

itinera clariora fierent, tinea ducta eſt à Rameſſe urbe Ægypti per ſtationum loca, ubi morati ſunt Iſraelitæ. Has ſtationes Moyſes deſcribit in Numeris. (*cap.* 33.)

Menſe tertio egreſſionis ſuæ ex Ægypto venerunt Iſraelitæ ad montem Sinai, quo eis Lex data eſt. Mons ille non alius eſt, ut mihi videtur, quàm Horeb. In eo apparuit Deus in rubo ardenti, quod capite VII. Actuum adſtruitur. *Horeb* vox eſt Hebræa, ſignificans *deſertum*, & *Sinai* nomen deſerti eſt, à copia ruborum. *Sina* Hebræis *rubus* eſt. Vulgo tamen diſtinguuntur, quaſi duo juga fuiſſent Horeb & Sinai.

Aliquandiu his-ce primis tabulis, Lector, paſce oculos tuos, ut quoties opus eſt, ſtatim imago earum animo occurrat. Primam convolve, revolve ſecundam, quæ exponit terram Iſrael, de qua nunc ſermo fiet; ſed antea animadverte terram *Utz* patriam Job non temerè collocari ad orientem, in Arabia Scenitide, infra Meſopotamiam, in vicinia Chaldæorum & Sabæorum, circa oſtia Euphratis. Ibi Geographi notant regionem, quæ *Auſitis* nominatur, quo nomine viri docti putant Græcos expreſſiſſe nomen *Utz*.

Ad orientem (*Tab. II.*) pars Arabiæ & populi quos recenſuimus. Syri erant Iſraelitis ſeptentrionales. Syri autem multiplices erant. Scilicet Syria quæ ab Hebræis dicitur Aram, regio latiſſima erat. Ejus incolæ dicuntur Aramæi. *Aramæos Aramus tenuit, quos Græci Syros appellare malunt*, inquit Joſephus (*Lib.* I. *Antiq.*) Aram autem diſtinguitur diverſis ſuis partibus; ita eſt *Aram Tzoba*, *Aram Rehob*, *Aram Damaſceh*, *Aram Naharin*, id eſt Syria duorum fluminum, nempe Euphratis & Tygridis, Græcis dicta *Meſopotamia*. Appellatur etiam *Aram Paddam*. In Meſopotamia erat Haran, quam Abrahamus incoluit quando egreſſus eſt ex Ur Chaldæorum. De Syria quatenus dictas regiones complectitur, ſic Plinius loquitur. *Quondam terrarum maxima & pluribus diſtincta no-*

cta nominibus. Namque Palæſtina vocabatur, quà contingit Arabas; & Judæa, & Coele: dein Phœnice; & quà cedit intùs, Damaſcena: & eadem Meſopotamia inter Euphratem & Tigrin: quaque tranſit Taurum, Comagene; & ultra Armeniam, Adiabene, Aſſyria ante dicta: & ubi Ciliciam attingit, Antiochia. Intelligit Plinius tractum qui *Antiochenes* dicebatur. Hæc *Antiochia* ſita erat ad montem *Taurum* versùs fontes Euphratis in *Comagene*, cujus caput Samoſata. Alia eſt *Antiochia* ad Orontem fluvium. Seleucis regio eſt Syriæ, ab urbe præcipua ejus Seleucia. Hæc regio idcirco animadvertenda, quia Græci Macedones principes ejus, imperium & tyrannidem diu exercuerunt in Judæos temporibus Machabæorum. Præcipuæ ejus urbes *Seleucia*, *Antiochia* juxta fluvium Orontem, alia quàm *Comagenes*: ibi fuit Aſylum, & lauretum ſacrum Apollini, quod dicebatur Græcè Δάφνη, cujus mentio fit libro 11. Machab. cap. 4. Inter Seluciæ urbes nominantur *Apamea* & *Laodicea*. Antiochia celebris evaſit. Fuit ſedes Regum Macedonum, ſive Græcorum, & in illa primùm Diſcipuli Jeſu nuncupati ſunt *Chriſtiani* (*Act.* 11. 26.) Non longè hinc *Emiſſa*, ſive *Emeſa*, *Beroea*, *Chalcidene* cujus metropolis *Chalcis*, ſub *Libano monte*. Nummus reperitur ſic inſcriptus: *Chalcidos Rex Herodes*. Nec tacenda *Palmyra*, caput *Palmyrene*, non longè ab Euphrate, quam condidiſſe dicitur Salomon (3. *Reg.* 11. 18.)

Pars Syriæ, Libano & Antilibano definita & Mediterranea, nominatur *Cole Syria*, id eſt *cava Syria*. Antilibanus auſtralior monte Libano & huic adverſus. In ea regione urbes conſpicuæ ſunt *Damaſcus*, *Abila*, *Laodicea*; & ea pars Syriæ quæ terminatur fluvio *Eleuthero*, & extenditur versùs *Palæſtinam*. Sunt verò qui & ultra *Eleutherum* fluvium extendunt. *Phœnice* pars eſt Syriæ, & hujus præcipuæ urbes in litore maris ſunt *Ptolemais*, *Tripolis*; *Sidon*, *Sarepta* hoſpitium

tium Heliæ prophetæ, *Tyrus* inclyta mercibus ſuis, & ſæpiùs nominata in ſacro Codice. *Emath* celebratur, quia limes ſeptentrionalis in Scriptura ponitur terræ Iſrael. *Syriæ* in auſtrum ſubjacet terra *Chanaan*. Palæſtina proprium vocabulum eſt terræ Philiſtæorum; qui cùm eſſent in maritimo tractu Græcis primùm innotuerant, unde ab illis regio nomen accepit. Horum primariæ urbes fuere illæ quinque *Getta* vel *Geth*, *Accaron*, *Aſcalon*, *Gaza*, *Azotus*. His adnumerantur *Joppe*, *Jamnia*, *Dioſpolis* ſive *Lydda*, quæ ex Actis IX. 13. prope *Joppem* erat, *Raphia*, *Rhinocorura*.

Judææ limites, & ſitum ejus in terrarum orbe Tacitus definit in libro v. Hiſtoriarum cap. v I. *Judæorum terra fineſque, qua ad Orientem vergunt, Arabia terminantur: à meridie Ægyptus objacet: ab occaſu Phœnices & mare: ſeptentrionem à latere Syriæ longè proſpectant*. Hiſ-ce verbis Joſue (*cap.* 14.) circumſcribit terram Iſrael. *A deſerto*, nempe ab Arabia, *& Libano uſque ad fluvium magnum Euphratem, omnis terra Hethæorum uſque ad mare Magnum contra ſolis occaſum erit terminus veſter*. Longitudo ergo hujus terræ à meridie versùs ſeptentrionem extendebatur *à Sichor Ægypti uſque dum ingrediaris Emath*, ut dicitur Paralip. x I I I. 5. ubi narratur totum populum congregatum à Davide ad Arcam adducendam. Hoc & adſtruit Author. I I. Paralip. cap. v I I. 8. cùm Salomon etiam dicitur congregaſſe populum *ab introitu Emath uſque ad torrentem Ægypti* in fonte *Nachal mitzraim*. Ibi non alia res eſt, *Sichor mitzraim*, quàm *nachal mitzraim*, nempe Nilus; quod evincam verbis Joſue capite x I I I. ubi adſtruitur eadem longitudo terræ Iſrael. *A fluvio turbido qui irrigat Ægyptum, uſque ad terminos Accaron contra Aquilonem*. In fonte fluvius turbidus ille appellatur Sichor. Reipſa nomen illud idem ſonat quod *niger*. Nilus interdum appellatur à

Græcis

Græcis *melas* id eſt *niger*; ideo Poeta canit de illo.

Et viridem Ægyptum nigra ſecundat arena.

De Nilo loquebatur Jeremias cap. II. 18. *Et quid tibi vis in via Ægypti ut bibas aquam turbidam? & quid tibi cum via Aſſyriorum ut bibas aquam fluminis?* Ibi Jeremias in fonte nominat *Sichor*. In Iſaia XXVII. 12. ubi in latina Verſione legimus, *In die illa percutiet Dominus ab alveo fluminis*, nempe ab Euphrate, qui *fluminis* nomine intelligitur, *uſque ad torrentem Ægypti*, id eſt uſque ad fluvium Ægypti, nam torrens accipitur etiam apud optimos Auctores profluvio: ibi in Græca verſione legimus *συμφράξει ὁ θεὸς ἀπὸ τοῦ διώρυγος τοῦ ποταμοῦ ἕως Ῥινοκορούρων*. *& erit in die illa, concludet Deus à foſſa fluminis uſque ad Rhinocoruram.* Sic limites terræ Iſraelis LXX. non extendebant uſque ad fluvium Ægypti, ſive ad alveum Nili magis orientalem juxta Peluſium urbem, ſcilicet ætate ſua non ultra Rhinocoruram extendebatur terra Iſrael, ſive non habebatur ratio ſoli quod interjacebat inter Peluſium & Rhinocoruram, quod antea optimum, arenis opertum fuerat, quodque ideo dicti interpretes vocant *ἀοίκητον inhabitatum*, apud Joſue cap. 13. verſ. 3. *ἀπὸ τοῦ ἀοικήτου τῆς κατὰ πρόσωπον αἰγύπτου* ab inhabitata quæ ad faciem Ægypti.

Cum primùm edidi commentarium in Harmoniam Evangelicam typis Regiis, & excudendam curavi tabulam geographicam, in ea eram opinione, concludens terram Iſrael intra Rhinocoruram, quem errorem corrigo iterùm hanc tabulam excudens inſerendam Apparatui Biblico, quem & novo prælo committo.

In eo tractu Ægypti erat terra Geſſen, ubi filii Iſrael habitaverant, dum detinebantur in Ægypto. Lacus Sirbonis, qui in ea parte eſt, olim ex Strabone longus ducentis ſtadiis, latus quinquaginta, tempore Plinii erat modica palus, quia ex parte arenis completus

pletus fuerat. *Ultra Peluſium*, inquit Plinius, *Arabia eſt*. Licet ergo videre cur à *Rhinocorura* LXX. Interpretes terram Iſrael metiantur, ſive non ultra hanc urbem extendant.

Limes ſeptentrionalis terræ Iſrael, ut diximus, erat introitus ad *Emath*, urbs quæ poſtea dicta eſt *Emiſa* Euſebio, *Emiſſa* Ptolemæo, *Emeſſa* aliis. Limes ſeptentrionalis etiam ſtatuitur civitas *Dan*, ad radicem montis Libani, quæ poſtea dicta eſt *Paneas & Cæſarea Philippi:* nempe non dicitur *Emath* limes terræ, ſed introitus Emath. Limes verò meridionalis etiam ponitur *Berſabee* urbs (1.*Reg.* III.20.) *& cognovit univerſus Iſrael à Dan uſque Berſabee, quod fidelis Samuel propheta eſſet Domini*. Intervallum autem illud intra dictas urbes non complectitur pluſquam ſeptuaginta milliaria, ſingula unius horæ itinere commenſuranda. Latitudo verò ſi menſuretur ab occidente à mari Mediterraneo in orientem uſque ad Euphratem flumen, juxta illud Pſalmi lxxxix. 12. *Extendit palmites ſuos uſque ad mare, & uſque ad flumen propagines ejus*. Latitudo, inquam, illa magna eſſet. Sed multum contrahendam plerique putant, non illi aſſignantes ultra triginta milliaria.

Attamen in tam anguſto theatro editum eſt magnum illud reſtaurationis noſtræ opus: edita omnia quæ enarrant ſacri Codices tanti operis præludia. Idonea erat illa regio, undè Verbum Domini, ut vaticinati erant prophetæ, exiret in orbem terrarum; in umbilico ſive meditullio orbis noti ſita; quod ut advertatur, conſiderandum eſt inferius hemiſphærium latuiſſe uſque ad noviſſima tempora, Britanni ſive Angli quondam tantùm nomine noti erant. Morini enim populi regionis, quam nunc Picardiam vocamus, *extremi hominum* appellati ſunt à Virgilio. Soli Germani qui accolebant Rheni ripas, & partem Germaniæ magis meridionalem, innotuerant. Ignotæ gen-

tæ gentes ſeptentrionali oceano propinquæ. Tractus ille Aſiæ, quem nunc occupant Moſcovitæ, Tartari, Chinenſes, pro ignoto habebatur. Sola ea pars Africæ, quam mare internum aut Nilus ex parte rigat, cognita erat. Cæterarum autem regionum accolæ more ferarum viventes, nec inter ſe, nec cum populis, qui melioribus moribus exculti erant, commercio jungebantur, ut vix in numero hominum cenſeri poſſint.

His ergo diebus, quibus Chriſtus apparuit in mundo, & Apoſtolos miſit prædicare Evangelium, quaſi orbis noti centrum erat Hieroſolyma, ex qua exivit lex ejus. Veriùs de ejus Templo quàm de Delphico dici poteſt, quòd umbilicum terrarum obtineret. Id adſtruit ſuprema veritas Deus apud Ezechielem (*Cap. 5. v. 5.*) ***Hæc dicit Dominus Deus: ita eſt Jeruſalem, in medio gentium poſui eam, & in circuitu ejus terras.*** Ad hunc locum Ezechielis ſic loquitur B. Hieronymus in Commentariis: ***In medio gentium poſita eſt, ut quia notus erat in Judæa Deus, & in Iſrael magnum nomen ejus; omnes in circuitu nationes illius ſequerentur exempla.***

Situm illum Judææ & urbis Hieruſalem exhibemus prima tabula, qua deſcribimus notum orbem cùm promulgari cœpit Evangelium. Quas non continet regiones, aut occultat, eæ non tam incolas, quàm feras alebant. Plato in dialogo qui ***Phædo*** inſcribitur, orbis habitati terminos non extendit latiùs quàm à Phaſide fluvio Colchidis, qui in Pontum Euxinum ſe ſe exonerat, ad columnas Herculis, ſive ad fretum Gaditanum, quo Hiſpania ab Africa ſeparatur. Auguſti temporibus incertum erat an Africa circumlueretur mari: negat Strabo poſſe circumiri. Polybius ſcribit ignorari an Æthiopia ſit continens terra. Tempore Salomonis Regina Saba dicitur veniſſe à finibus terræ; quod & repetit Dominus in evangelio. Saba

F pars

pars cenſetur Arabiæ, quæ à quibuſdam in Æthiopiâ collocatur. Quin & extremi Arabes tempore Pompeji magni, hoc eſt, aliquibus annis ante Chriſtum natum, putabantur fines terræ. Undè poſtquam ille Syriam perdomuit, impensè optabat per Arabiam ad mare Erithræum penetrare, ſperans quod ſic victor penetraret ad oceanum, quo undequaque terra cingitur. Celtici, Luſitanique, id eſt, extremæ Hiſpaniarum gentes habebantur à Romanis pro hominum extremis versùs occidentem. Ne longum faciam, orbis cogniti ex Hebræorum geographia ultimi fines ſunt, ab ortu *Ophir*, non Arabica, ſed Indica: à ſeptentrione *Magog* ad Caucaſios montes, magiſque ad occaſum *Thiras*, ultra Iſtrum, ſive Danubium, nempe Thracia: ob occaſu *Tharſis*, ſeu hæc jam *Tarteſus* Hiſpaniæ, ſeu *Carthago* Africæ, item *Phus* quę Mauritania & Numidia; ni ſatius ſit, ut jam diximus, interpretari mare in genere, quod de oceano intelligendum erit. Denique à meridie Judæi ſtatuebant pro terræ finibus Sabæam & Æthiopiam penetralia Auſtri, ut loquitur Job (*Cap. 9. v. 9.*)

Jeroſolyma in umbilico ſive meditullio tunc noti orbis ſita, unius diei itinere diſtabat à mari Mediterraneo, quo patebat facilis navigatio in Græciam, Italiam, Gallias, Hiſpanias, Europæ nobiliores partes. Judæa quaſi Aſiæ oſtium erat; & huic vicina Africa altera pars orbis. Itaque in confinio trium partium, in quas notus orbis dividebatur, poſita, omnes conjungebat, ita ut potuerint Apoſtoli ſpargere per illas verbum Dei. Adjungendum quod proximæ erant Tyrus & Sidon, Phœniciæ civitates, primis temporibus celeberrima totius orbis emporia. Tyrii innumeras colonias deduxerant; & ubique terrarum urbes condiderant. Quin & litteras, & prima ſcientiarum elementa invexerant in Græciam; quibus, ut probat Clemens Alexandrinus, orbis eruditus

ditus eſt, ſimul & idoneus factus Evangelio. Etenim horum commercio ſermo de Judæis & Religione Judaica pervenit ad Gentes, quæ parandæ erant, ut ſuo tempore auribus exciperent Chriſti doctrinam.

Jeruſalem fuit caput hujus terræ quam Deus promiſerat Abrahæ, in quam venit ex Ur Chaldæorum. His diverſis nominibus appellata eſt antiquitùs, *Terra Chanaan*, ſive *Chananæa*, à Chanaan filio Cham, cujus filii, & populi qui ab eis orti ſunt, eam tenebant. *Palæſtina*, ab illis incolis quos *Philiſtæos* appellant Hebræi, Romani verò & Græci corruptè *Palæſtinos*, qui cùm eſſent maritimi, primi gentibus innotuerant; ideo ab eis hæc regio dicta eſt *Palæſtina*: Dicta & *Phœnicia*, forſan propter palmas in hac regione fructiferas: Dicti *Phœnices* ejus accolæ, qui priùs benè *Anachim* quia nempe *filii Anak*, ut dicitur, *de genere giganteo* (*Num. cap.* 13. *v.* 34.) *& quibus nullus poteſt ex adverſo reſiſtere* (*Deut. cap.* 9. *v.* 2.) Terra illa nominata eſt *promiſſionis*, reſpectu beneficii Dei: *Terra Iſrael*, quando à populo Dei cœpit occupari. *Judæa*, nomine præcipuæ partis hujus regionis, quando cæteris Tribubus in captivitatem abductis, ſola Judæ tribus rediit in patrium ſolum. *Terra* denique *ſancta* dicta eſt, à perfecto in ea noſtræ redemptionis opere.

Huic-ce regioni contigit, quod cæteris orbis terrarum plagis, ut diverſos habuerit incolas, dum novi antiquos expellunt, & pariter diverſas urbes, dum antiquis everſis novæ excitantur. Varias in præfecturas pro diverſis temporibus diviſa eſt, ſi quidem non uni denominationi ſemper ſubjecta fuit. Non itaque una eſſe poteſt ejus deſcriptio. Diverſorum temporum habenda ratio. Fluvii autem, lacus, montes non potuere permutari Eam ſecat Jordanis fluvius, pænè in illa unicus; reliqui enim omnes potiùs torrentes quàm fluvii dicendi ſunt.

F 2 Fon-

Fontes habet ſuos Jordanis ſub Libano, juxta urbem *Dan*, undè nomen accepit: *Jor Fluvius* & DAN, id eſt, fluvius ſcaturiens ex *Dan*. Juxta alios Jordanis oritur ex lacu *Phiala*. Quiſquis fuerit ortus ejus, à ſeptentrione in meridiem fluens aquas *Meron* ſive lacum *Meron* ſecat, & ſtagnum *Geneſareth*, ſive Galilææ, ſive Tyberiadis. Cauſam horum nominum infra aperiemus. Illud ſtagnum Hebræi *Mare* appellant; nomen enim *Maris* tribuunt cuicumque congregationi aquarum, nempe cuique loco ubi copia eſt aquæ. Jordanis prætergreſſus hunc-ce lacum, ſive mare, Judæam & Peræam præterfluens, aquas ſuas & nomen amittit in lacu, quem Græci *Aſphaltitem* dixere ob ſuum bitumen; Judæi *Mare ſalis*, ſive mare ſalſiſſimum, ob aquarum amaritudinem. Appellatur etiam *Mare mortuum*, quia in eo piſces non vivunt. Ibi olim Sodoma & Gomorrha & aliæ urbes, quas ignis de cœlo abſumpſit. Antea erat amœniſſima planities, quam Jordanis fluvius rigabat, & poſtea in Sinum Arabicum, ut probabile eſt, ſe effundebat. Everſis autem urbibus Sodoma & aliis factum ut ſiſteret lapſum, & in ruinis illarum ſtagnaret. Inter fluvios terræ Iſrael recenſent *Jarmoch* in regione Gerſæorum è montibus Galaad: *Kirmion* versùs Damaſcum, qui & *Amanah* & *Àbana* dicitur: additur *Pharphar*, ex montibus Hermon fluens: *Ciſon* in tribubus Iſſacharis & Zabulonis; *Arnon* ex cognomine monte, in mare Mortuum ſe exonerans, & *Jabboc* ex iiſdem montibus in Jordanem influens.

Montes celebriores, ſunt ad ſeptentrionem *Libanus*, & pars ejus auſtralior *Antilibanus*: ad orientem montes *Galaad*, *Hermon*, *Arnon*, ac montana Moabitarum: ad meridiem montana Judææ meridionalis: ad occaſum montes qui in tractu Galilææ extendunt ſe ad mare, in primis *Carmelus*, in quo, ut narrat Tacitus (*Lib.* 2. *hiſt. cap.* 7.) erat ara ſine ſimulacro

& ſi-

& ſine templo, ut loquitur idem Author, *Ara tantum & reverentia*. Ibi forſan erecta in memoriam hujus aræ in qua exauditus eſt à Deo Elias, igne cœlitus miſſo (3.*Reg.* 18.) Inter montes, numeranda montana regionis Ephraim, dein Philiſtæorum. In media regione illuſtriores montes *Thabor*, *Garizim*, *Hebal*, *Sin*, *Moria*, Hebronis & Judææ montana.

Jam de incolis terræ Iſrael dicturus, quos pro varietate diverſos habuit, non debeo ſilere quos verſio Græca & Latina *Gigantes* appellant, in textu originali *Nephilim*, id eſt, *viros oppreſſores*, *tyrannos* homines *magnæ ſtaturæ*, quorum timore cæteri caderent. Eodem *Gigantum* nomine in vulgato interprete appellantur, quos textus Hebræus nominat *Hanachim*, quos fuiſſe viros proceræ ſtaturæ licet cogitare.

Moyſes enumerat undecim filios Chanaan à quibus tunc occupabatur terra Chanaan quando in illam Abraham venit (*Gen. cap.* 10.) Primus SIDON, ex quo Sidonii, qui ea loca tenuere, ubi tunc vel poſtea fuere urbes *Sidon*, *Tyrus*, *Acron*, poſtea dicta *Ptolemais*, *Jeconan*. Secundus HETH, ex quo Hethæi, quorum fuere urbes *Dor*, *Aphec*, *Iſrael*, *Magedo*, *Galgal*, *Sarona*, *Gazer*. Tertius JEBUS, ex quo Jebuſæi, qui & poſtea Philiſtim dicti ſunt, quorum urbes hæ enumerantur, *Lachis*, *Geth*, *Accaron*, *Azotus*, *Aſcalon*, *Gaza*, *Gerara*, *Dabir*. Quartus AMOR, ex quo Amorrhæi. Horum urbes *Nabaa*, *Heſebon*, *Boſor*, *Ramoth*, *Galaad*. Quintus GERGES, ex quo Gergeſæi. In his locis quæ tenuerunt, urbes conditæ ſunt *Damaſcus*, *Machati*, *Geſſur*, *Soba*, *Theman*, *Aſtarath*, *Adra*. Sextus HEVE, ex quo Hevæi. Horum in regione notantur urbes *Hieruſalem*, *Hierico*, *Hai*, *Bethel*, *Gabaa*, *Lebna*, *Maceda*, *Bezer*. Septimus ARAK ex quo Araki: urbes eorum *Eſebon*, *Madian*, *Petra*. Octavus SIN,

ex quo Sini: urbes *Adama*, *Sodoma*, *Gomorrha*, *Seboin*, *Segor*. Nonus ARAD ex quo Aradi. Urbes eorum *Arad*, *Herimoth*, *Hebron*, *Adolla*, *Eglon*. Decimus SAMAR, ex quo Samaræi. Loca tenuere ubi poſtea urbes *Samaria*, *Taphua*, *Therſa*, *Tanai*. Undecimus AMATH, ex quo Amathi. Urbes *Semeron*, *Cedes*, *Aſor*, *Amath*. His populis annumerantur Phereſæi, quorum urbes fuere *Amalec* & *Boſtra*.

Cùm in Terram promiſſam ingreſſi ſunt Iſraelitę, tunc in ea parte quam invaſerunt, & quæ *terra Iſrael* de eorum nomine dicta eſt, ſeptem hi populi potentiſſimi fuere (*Deut*. 7. 1.) Amorrhæi, Phereſæi, Hevæi, Chananæi, Hethæi, Jebuſæi, Gergeſæi. Eam nihilominus Joſue ductor Iſraelitarum eripuit his populis, donante Deo, & in duodecim portiones partitus eſt, quas cuique ex duodecim filiis Jacob ſorte diſtribuit. Verùm filii Levi, Deo ordinante, nullam poſſedere terram, ſed omnes religionis proventus inter fratres obtinuerunt, nempe decimas & primitias omnis proventus: nec ideò minùs regio cenſetur diviſa in duodecim partes; duo enim filii Joſeph Ephraim & Manaſſe conſtituti ſunt duarum tribuum capita.

Iidem filii Levi in cæteris portionibus habebant ſibi aſſignatas urbes, quæ ideò *Leviticæ* dicuntur; inter quas ſunt quæ appellantur *Refugii* (*Joſue* 20.) ad quas nempe qui animam percuſſiſſet caſu, errore, neſcius, recipere ſe poterat. In illis nulla erat in eum poteſtas ultoris ſanguinis, nempe qui poſſet pœnam repetere patrati homicidii. Sex præſtituuntur tales urbes in lege; ſed præter illas, quadraginta duæ urbes Leviticæ etiam gaudebant jure *Refugii*, ſeu Aſyli. Inter has autem diſcrimen illud agnoſcit Maimonides, quod in primis ſex ſive vellent, ſive nollent incolæ, ſimul ac eas ingrederetur quiſpiam homicida, tu-

da, tutus eſſet: in aliis non niſi vellent incolæ, ſive pro eorum arbitrio. Qui illuc confugerat tenebatur non inde exire niſi mortuo ſummo Pontifice, alioquin poterat interfici ab ultore ſanguinis. Lex Hebræa propinquo occiſi permittebat ut extra Aſyli locum homicidam interficeret. Hinc propinquus dicebatur vindex ſanguinis.

Tribus Ruben & Gad & pars Manaſſes ſortem ſuam habuere trans Jordanem verſus Syriam & Arabiam; cæteri verò filii Jacob cis Jordanem. Victis Schon rege Heſebon & Amorrhæorum, & Og rege Baſan, poſſeſſiones eorum petentibus Rubenitis, Gaditis & dimidiæ tribui Manaſſe ita diviſerat Joſue, ut Rubenitis auſtralia ab Arnone fluvio, Moabitarum limite; ſeptentrionalia, id eſt ſuperior Galaaditis & regnum Baſan, dimidiæ tribui Manaſſe obvenirent; quæ media interjacent, Gaditis ſeu tribui Gad. Omnium horum terminus occidentalis erat Jordanis fluvius; orientalis varius propter varios populos, qui his tribubus vicinas ab oriente ſole terras accolebant. Moabitæ ab auſtro erant, ut tamen etiam in orientem extenderentur. Et Amalekitarum pars, ſejuncta à cæteris ſuæ gentis; & hi à tergo erant Rubenitidis tribus: Ammonitæ à tergo Gaditis: ſupra quos alii Arabes uſque ad Hermonem montem, objecti cum ipſo monte tribui Manaſſitarum, ut dicit Chriſtophorus Cellarius eruditè differens de Terra ſancta, ſicut de cæteris orbis partibus.

Tribus Juda fines habuit ab auſtro Idumæam, ab extremitate lacus Aſphaltidis deſertum Sin: ab oriente dictum lacum, ab occaſu mare, à ſeptentrione os ejuſdem lacus ubi Jordanem excipit. Tribus Benjamin tribum Judæ à meridie, tribum Ephraim à ſeptentrione contingebat: ab oriente Jordanem habuit: ab occaſu non mare, ſed tractum à Bethoron inferiore ad Judæ civitatem Cariathyarim. Tribus Simeon obti-

Digitized by Google

nuit multa auſtralia oppida juxta Idumæam. Supra Simeonis tribum, in ſeptentrionem, juxta mare ad Joppem uſque, ſita erat Danitica tribus, poſſidens eum tractum qui partim cum Judæ, partim cum Benjaminis tribubus ab occaſu cohærebat. Sexcenti Danitæ profecti in ſeptentrionem Chananææ oppidum extremum nempe *Leſem* ſive *Lais* ceperunt, idque ſuo nomine Dan appellaverunt.

Tribus Ephraim & Manaſſe termini inter ſe mixti cenſentur. Ephraimitica obtinuit auſtrales partes, dimidia Manaſſe ſeptentrionales. Zabulonis tribus vulgò ſic deſcribitur, ut ab ortu lacum Geneſareth habuerit, & indè mare versùs ad Carmelum, aut ad ipſum mare excurrerit. Iſſachar Zabuloni ab auſtrò objecta, ita ut etiam anguſto tractu ad Jordanem inter Manaſſitidem & Zabulonem pertigerit. Quæ ſuperſunt in ſeptentrionem uſque ad Libani radices, tribubus Aſer & Nephthali adjudicata ſunt; illi maritima: huic mediterranea à lacu Geneſareth ad fontes Jordanis & ultra. Limitem conſtituit Joſue Aſeritidi tribui ab auſtro Carmelum montem: à ſeptentrione Sidonem magnam. Nephthalici fines ſunt in meridiem ad Zabulonem, & in occidentem ad Aſer, ab ortu Jordanis limes eſt ejus.

Quæ fuerint cujuſque tribus urbes & limites indicat tabula. Limites permixti ſunt; nam v.g. hereditas tribus Simeonis fuit *in medio poſſeſſionis filiorum Juda*, ut dicitur Joſue 19.2. Non ergo fieri poteſt ut illa tribus includatur una linea, quæ omnino proprios ejus limites deſignet. Sed in libro Joſue videre eſt quæ urbes cuique tribui obtigerint. Ad verba ergo Joſue potiùs mens eſt advertenda, quàm ad lineas, quas, ut licuit, circa quamcumque tribum circumduximus.

Populi quos in Terra ſibi promiſſa repererunt Iſraelitæ, nec victi, nec profligati ſunt funditùs niſi ſub Davide Rege. Ille poſtquam victor evaſit de hoſtibus

ſtibus ſuis, res Judæorum compoſuit, & condidit civitatem in monte Sion, quæ ideò dicta eſt *civitas David*. Hæc fuit pars Jeroſolymæ, quæ caput facta eſt regni ſimul & Religionis, unde *Sancta* appellari ſolet.

Notum ex hiſtoria Judaica quàm præmiſimus, quibus mutationibus res Hebræorum obnoxiæ fuerint. Quin & mutata regio quam incolebant, quatenùs in diverſo principatu, aliæ urbes viduantur incolis, & corruunt neglectæ, aliæ augentur advenis ſimul & ædificiis. In vario principatu antiqui limites convelluntur, contrahuntur aut extenduntur. Decem tribus, aliquo tempore poſtquam ſciſſæ ſunt à tribu Juda, abductæ ſunt in captivitatem. Novi coloni deducti in earum locum, nempe Cuthæi, qui ſolam eam partem videntur occupaſſe, ubi olim erat Ephraim & media tribus Manaſſe. Ipſa tribus Juda ſeptuaginta annis captiva fuit apud Babylonios. Græci ſub Alexandro magno imperium Orientis invaſerunt, & qui ex illis reges Syriæ fuerunt conſtituti, ſuo adjecere regno pleraſque regiones, quas tenebant Iſraeliticæ tribus. Ergo diſſipatis tribubus, & una ſuperſtite tribu Juda, cùm nec alterius audiretur nomen, multo tempore ante Chriſtum natum diverſæ regiones terræ Iſrael non habebant nomen à tribubus, quibus olim in portionem ceſſerant. Illam Romani & Græci Palæſtinam & Phœniciam appellabant. Palæſtina propriè dicta, tractus ille erat, in quo olim Philiſtæi: Phœnicia verò cæteræ regiones maritimæ quæ extendebantur ad Libanum. Phœnicia pars Syriæ erat. Itaque cùm Chriſtus in terris verſabatur, terra Iſrael diviſa erat in Idumæam, Judæam, Samariam, Galilæam. Galilææ autem nomine diverſas ſignificari regiones videbimus. Nomen Hebræum *Gelila* in plurali *Gelilot* idem ſignificat quod *tractus*, *terminus*, *limes*; quod interpretes non ſemper obſervarunt. Joſue (*Cap.* 13. *v.* 2.) in Latina verſione

ſione dicit: *omnis videlicet Galilæa Philiſtiim*, melius vertiſſet Latinus interpres: *omnis tractus Philiſtim*. In hoc ſeptentrionali tractu erat Accaron, quam urbem pro ſeptentrionali termino terræ Iſrael ponit Joſue. Colebat illa Beelzebub, qui idcirco appellatur *Deus Accaron*. Tractus ille dividebatur in quinque Regulos, ſive ſatrapas Philiſtinorum.

Judæa complectebatur portionem terræ Iſrael quæ obtigerat Tribui hujus-ce nominis, tum & ſortes tribuum Benjamin, Dan, & Simeonis. Ejus latitudo à Jordane flumine uſque ad Joppem urbem maritimam explicabatur. Judææ urbes omnes tabula noſtra non explicat, quia anguſtior; ut jam dixi. Petantur ex aliis tabulis patentioribus, quę ubique obviæ ſunt; ideo has urbes enumerare hic ſuperſedeo.

Idumæa adjuncta fuerat Judææ, ad cujus meridionalem plagam ſita eſt inter Arabiam & Ægyptum. Etenim devictis Idumæis, cùm Hircanus pontifex edixiſſet ut circumciderentur, niſi mallent propriis pelli ſedibus, amore patriæ admiſerunt circumciſionem, cæteroſque Judaicos ritus; undè non mirum eſt ſi apud Marcum recenſeantur inter eos qui ad Jeſum venerunt. Idumæa autem antiquitùs ipſa erat regio quam poſſederat Eſau, dictus Hebræis *Edom*, id eſt *rufus*, ideo Græcis ἐρυθρός. Qui ex Edom orti ſunt, primò nominati ſunt *Edomæi*, deinde *Idumæi*. Non alius eſt autem celebratus rex Erithreus quàm ipſe Eſau, dictus Græcis ἐρυθρὸς, id eſt rufus; & ab eo mare Erithræum, ſive rubrum, accepit nomen, neutiquam à colore aquarum ſuarum aut arenæ ſuæ.

Samaria olim urbs indigenis priſcis dicta *Semeron*, fuit ſedes regum Iſrael, ab eo tempore quo Amri ſive Omri eam condidit in monte quem emerat à Semer, de cujus nomine vocata eſt (3. *Reg.* 16. 24.) Diruta eſt ab Aſſyriis; poſtea inſtaurata à Cuthæis, ſcilicet ab illis populis qui poſt deportatas decem tri-

bus

bus eam incoluere. Joannes autem Hircanus quartus Aſſamonæorum iterum illam diruit. Herodes verò magnus reſtauravit; & *Sebaſtam* ſive *Auguſtam* appellavit. Samaria ad ſeptentrionem Judææ erat, inter Judæam & Galilæam, & inter Jordanem & mare magnum, Ibi olim fuerant tribus Ephraim, & media tribus Manaſſe quæ tranſierat Jordanem. Metropolis *Sichem*, Hebræis *Sichar*, inter Hebal & Garizim montes, in quibus Moyſes (*Deuter.* 11. 29.) præceperat maledictiones & benedictiones pronuntiandas, has legem ſervantibus, illas violantibus. Mons Garizim, ex quo benedictiones, ad id aptus, fontibus, hortis, vineis, olivetis etiam hodie inſtructus. Hebal verò, undè maledictiones, his exprimendis factus, quippe aridus ſicut ſaxum, teſte R. Benjamino in ſuo itinerario. Non longè à Sichem erat *Silo*, ubi diu fuit Arca Dei, & in hoc tractu urbs *Bethel*, in qua Jeroboam duos vitulos poſuit. Elegit hanc urbem, quia ibi Jacob vidiſſet in ſomnis Dominum innixum ſcalæ. Bethel idem ſonat quod *domus Dei*. Judæi autem in deriſum appellavere *Bethaven*, id eſt *domum iniquitatis*, ex quo vituli hic adorati ſunt; ad quos reſpiciebat Oſee propheta (*Cap.*10.5.) *Vaccas Bethaven coluerunt habitatores Samariæ*. Sed & alia eſt urbs *Bethaven*, non longè à Bethel; ſic nominata ante Jeroboami tempora. De Bethel & de Bethaven loquitur Joſue (*Joſue* 7.2.*&* 18.12.) ut de urbibus diſtinctis.

Duas Galilæas diſtinguit Joſephus, ſuperiorem & inferiorem. Eas Phœnice & Syria cingunt; à meridie autem Samaria & Scythopolis uſque ad flumen Jordanem: ab oriente urbes Hippos & Gadara, & regio Gaulonitidis, Septentrionalis autem tractus ejus Tyro, itemque Tyriorum finibus terminatur. Hæc Joſephus, ſicut & cætera quæ de harum regionum limitibus hic dicimus. Quondam in eo tractu fuerant

tribus

tribus Iſſachar, Zabulon, Aſer, & Nephtalim, ſaltem ex parte; nam ultra Galilæam propriè dictam circa radices Libani erat regio Paneadis ab urbe Paneade, quæ urbs primùm *Dan*, poſtea *Paneas* & demum *Cæſarea Philippi* dicta eſt. Galilææ primùm lux Evangelii oborta eſt. Frequens erat urbibus, vicis & populis. Joſephus in illa numerat ducentas quatuor urbes aut vicos; & in quibuſdam ex illis vicis etiam pluſquam quindecim millia capitum.

Regio ultra Jordanem, quæ in diviſione terræ Iſrael obtigerat tribui Ruben, & tribui Gad, dicebatur Peræa, quaſi dicas ulteriorem, quia erat *πέρα ultra* Jordanem ἡ περαία γῆ, ſcilicet terra ſive regio ulterior. Longitudo ejus ex Joſepho erat à *Macherunte* ad *Pellam*; latitudo verò à Philadelphia, ubi olim Moabitis, uſque ad Jordanem. Et *Pella* quidem ad ſeptentrionem; ad occidentem verò Jordanis; ad meridiem Moabitis; ab oriente autem Arabia eſt. In transjordanica regione Joannes baptizabat, *ultra Jordanem πέραν τοῦ Ἰορδάνου* locus dicebatur *Bethabara*, id eſt, *domus tranſitus*. Legitur in Vulgata latina *Bethania*, quod Librariorum error eſt. Tractus erat Jordanis, & ideo locus magis frequentatus: Juxta erat *Galgala*, quem locum ſic Joſue appellaverat ob circumciſos ibi Iſraelitas, & ideo ob revolutum ab illis opprobrium. Vox *Galgala* ſignificat *revolutionem*. Joannes Baptiſta prædicavit bonum nuntium, revolvendi opprobrii per pœnitentiam, ubi cultris lapideis circumciderat Joſue Iſraelitas.

Portio tribus Manaſſe quæ ſubſtiterat ultra Jordanem, occupaverat eam terræ Iſraelis regionem, quæ ad ſeptentriones terminatur Libano, qui reſpicit Damaſcum, & ad orientem montibus Sanir, ſive Hermon. In illo tractu ſuper Peræam Joſephus collocat Gaulonitidem, ſic dictam ab urbe *Gaulon*. Diſtinguit autem ſuperiorem & inferiorem Gaulonitidem. Vicina

Gaulo-

Gaulonitidi erat *Bathanæa*, ubi olim regnum Baſan. Juxta Bathanæam *Trachonitis*, ſic dicta ob aſperos montes, τραχὺ locus eſt *aſper* & *ſalebroſus*. Trachonitis ex Strabone terminat cavam Syriam, ſive, ut loquuntur Græci, Cœleſyriam. Pars ſeptentrionalior hujus tractus appellatur Auranitis, regio ſic dicta ab urbe *Auram*, quæ ſita eſt inter *Cæſaream Philippi* & *Damaſcum*. Nec ab ea longè *Iturœa*, contermina *Cœleſyriæ*, quæ eſt ultra montem Libanum. Plinius collocat Ituræos in ipſa Cœleſyria. Ituræa, inquit Adrichomius, à fluvio Jordane ſumens initium, juxta Libanum versùs occidentem ad montes uſque Sidoniorum & Tyriorum extenditur. Aliquoties etiam ſaltus Libani nuncupatur. Errant ergo qui in ipſa Peræa colocant Ituræos, eò quòd in Paralipomenis dicantur auxiliati fuiſſe tribubus Gad & Ruben; neque enim propterea vel intra has tribus, vel omnino proximos fuiſſe dicendum eſt. Ituræa ex Evangelio ſubdita erat Philippo magni Herodis filio; Perææ verò Tetrarcha erat Herodes Antipas Philippi frater.

Samaria, ut diximus, primùm urbis, poſtea regionis nomen, media reperitur inter Galilæam & Judæam, ut per eam à Galilæa tendentibus Jeroſolymam, tranſeundum eſſet. Eo tempore quo Dominus prædicabat, Metropolis Samariæ Sichem erat, Sichar à Judæis per opprobrium dicta. Alludebant ad verba Iſaiæ, qui inſectans idololatriam Ephraimitarum in montanis Samariæ, dixerat, væ..... *ebriis Ephraim*, uſus voce quæ derivatur à verbo *Sachar*, Hebraicè *inebriari*. Morem Judæorum ſequens Joannes, non *Sichem*, ſed *Sichar* appellat illam urbem Samariæ. Sunt qui derivant *Sichar* à *Secher*, *mendacium*, *falſitas*, *vanitas*; quia plena idolis Samaria, quæ ſolent appellari vanitates & mendacia. Juxta Sichar erat puteus Jacob, ad quem Jeſus fatiga-

tus

tus ſedit, à Samaritana muliere aquam petens. In Geneſi cap. xxxIII. 18. in vulgata dicitur de Jacob quod tranſiverit in urbem Salem Sichimorum, ex quo ſequeretur urbem Sichem & dictam *Salem*. Paraphraſtes Chaldæus interpretatur quod venerit Jacob incolumis ad urbem Sichem. *Salem* nomen eſt urbis, & ſimul idem ſonat quod *ſalvus eſt*; quæ eſt obſervatio Relandi viri doctiſſimi, juxta quem Sichem & Samaria erant urbes diſtinctæ.

In ipſa terra Iſrael, in eo tractu qui Decapolis dicebatur à decem civitatibus, erant urbes decem Gręcæ, quæ Judæorum legibus non utebantur, *Græcanici inſtituti* urbes, ut eas vocat Joſephus. Plinius numerat inter Decapoleos urbes Damaſcum, Opoton, Philadelphiam, Raphanam, Scytopolim, Gadaram & Hippon. Joſephus ſcribit Gazam, Gadaram, Hippon avulſas à regno Judæorum, Syriæ à Cæſare adjectas fuiſſe. Capharnaum, Corozain, Bethſaidam, & Cæſaream Philippi inter Decapoleos urbes vulgò Geographi numerant, ſed malè. Conſtat pleraſque ex civitatibus Decapoleos fuiſſe in Galilæa circa mare Tiberiadis, & Jordanem; qua de cauſa dicit Joſephus Galilæos cinctos fuiſſe gentibus alienigenis. Hæc eſt, ut puto, Galilæa quæ apud Iſaiam in Evangelio appellatur *Galilæa gentium*. Idem Joſephus refert in Scytopoli, in Hippo civitatibus Decapoleos à Græcis interfectos Judęos qui cum eis habitabant. In primo Machabæorum (*Cap.* 5. *v.* 15.) Galilæi Judęi querebantur repletam Galilæam alienigenis, à quibus conſumerentur. In tabula, lector, nomen legis *Decapoleos*, ubi conſtat fuiſſe pleraſque urbes quas Decapolis complectebatur.

Ab urbe Gadara, quam Strabo facit Metropolim Peræ, agri vicini dicti ſunt Gadareni. Juxta Gadaram erat urbs vicina nomine Gergeſa, cujus mentionem facit Joſephus, undè Gergeſæi populi. Cùm

Gadara

Digitized by Google

Gadara & Gergeſa eſſent vicinę, non mirum ſi regio quę à Marco & Luca dicitur *Gadarenorum*, appelletur à Matthæo *γεργεσηνῶν*, *Geraſenorum*. Nec mirum eſt, ſi harum civitatum Gręci incolę alerent porcos, quod Judęis non licitum erat. Ex Marco ille dæmoniacus, qui liberatus eſt ab immundis ſpiritibus, quos Chriſtus immiſit in illos porcos, *cœpit prædicare in Decapoli quanta ſibi feciſſet Jeſus*. Ita Gergeſa & Gadara erant urbes Decapoleos; nam Mattheus & Lucas dicunt eum qui ſanus factus eſt, prędicaſſe per univerſam civitatem, quę non alia eſſe poteſt quàm Gadara, aut Gergeſa.

Ab his urbibus, ſive à Gadara, ſive à Gergeſa nomen ſuum non acceperat proximus lacus, quem Hebręi *mare* nominant. Dictus fuerat *Geneſareth* à proxima urbe Cenereth, quę in libro Joſue ſtatuitur in tribu Nephtalim. Septuaginta intepretes eam appellant *κενέρεθ*, & indè mare proximum nominatur *Cenereth* in Numeris (*Cap.* 34. *v.* 11.) & in lib. Joſue (*Cap.* 12. *v.* 3.) in quibus locis nullus eſt dubitandi locus, quin ſermo fiat de lacu *Geneſareth*, cui ab urbe *Cenereth* nomen factum, ſicut & vicinę regioni, nempe Geneſareticę; quam debemus diſtinguere à Geraſenorum, & Gadarenorum regionibus. Hanc Geneſareticam regionem irrigatam ſcribit Joſephus à fonte qui *Carpenaum* dicebatur. Veriſimile eſt fontem urbi Capernaum nomen dediſſe. Mare Geneſareth pariter & dictum eſt *Tiberiadis* à proxima urbe *Tiberiade*. Putant aliqui hanc olim dictam *Cenereth*, ſed ſine cauſa; etenim *Tiberiadem* ſcribit Joſephus de novo conditam fuiſſe ab Herode in loco, ubi antea nulla urbs. *Herodes Tetrarcha receptus in amicitiam Tiberii, de ipſius nomine urbem à ſe conditam vocavit Tiberiada, electo ad hoc optimo agro in ora lacus Geneſaretici.*

Cœleſyria, ſive cava Syria ultra terrę Iſrael anti-

quos

quos limites erat. Pars ejus dicebatur *Abilina*, cujus Metropolis *Abila*, quod animadverto, quia adjuncta fuerat *Abylina* Herodis Magni regno; & dum Lucas enumerat principes ſub quibus Joannes Baptiſta prædicare cœpit, hanc regionem non prætermiſit.

Herodes magnus ſub quo J. C. D. N. natus eſt, totam terram Iſrael poſſidebat, Idumæam, Judæam, Samariam, Peræam, Galilæam, Paneadem, Gaulonitidem, Batanæam, Trachonitidem, Auranitidem & Abilinam. Moriens inter filios ſuos Archelaum, Herodem Antipam, & Philippum, partitus eſt regiones illas omnes. Regnum Archelao filio ſuo largitus eſt, quod complectebatur Idumæam, Judæam & Samariam, conſtituit verò Herodem Antipam Galilææ ſimul & Perææ Tetrarcham.


Nomen illud τετράρχης *Tetrarcha*, non quartam partem alicujus principatus denotat, ſed quartum in Imperio Romano dignitatis & poteſtatis gradum; ubi in primo gradu erat Imperator: in ſecundo Proconſul, ſive præſes Provinciæ; in tertio Rex; in quarto Tetrarcha. Denique Herodes Philippo filio ſuo Gaulonitidem, Trachonitidem, Batanæam, & Paneada, Tetrarchiæ nomine aſſignavit, ut dicit Joſephus; ſed ex evangelio diſcimus Ituræam fuiſſe adjunctam Tetrarchiæ Philippi. Forſan Joſephus Paneadis nomine & Ituræam complexus eſt & Auranitidem, Jamniam, Azotum, & Phaſaelida dedit Herodes Salome ſorori ſuæ.

Statim ac Herodes mortuus eſt, acclamatum eſt Archelao ut Regi; quod ubi reſciverunt Joſeph & Maria cum puero Jeſu revertentes ex Ægypto *timuerunt* ire in Judæam: Archelaus autem à Cæſare Auguſto non rex declaratus fuit, ſed tantùm *Ethnarcha*, hoc eſt, *princeps gentis*. In cæteris confirmatum Herodis teſtamentum.

Arche-

Digitized by Google

Digitized by Google


JEROSOLYMÆ
VETERIS
Et ſubirbanorum ejus
DESCRIPTIO
Hortus
Mons

Archelaus decimo anno ſui principatus, miſſus eſt Viennam Galliæ in exilium; & patrimonio ejus fiſco adjudicato, Cæſar Judæam, Samariam & Idumæam in provinciæ formam redegit, & Syriæ attribuit. Ab hoc tempore à præſidibus, procuratoribuſque Romanorum adminiſtratæ ſunt regiones illæ. Cùm Joannes Baptiſta prædicare cœpit, tunc Pontius Pilatus Judæam procurabat: conceſſas verò ſibi ditionis paternæ regiones, Herodes Antipas, & Philippus retinebant.

Idumæa regio eſt quam occupaverant filii Eſau, qui & dictus eſt Edom, in parte meridionali Judææ: quam cùm invaſiſſent Idumæi, tempore captivitatis, poſtea inde ejecti ſunt ab Aſſamonæis, niſi circumciſionem admitterent. Inde videre eſt apud Marcum (*cap.* 3.) multos ab Idumæa Chriſtum ſecutos. Prætermitto ſilentio urbes de quibus nil habeo dicendum. Præcipuarum ſitum indicat tabula quam delineamus terræ Iſrael. Hæc tabula quaſdam urbes aliter quàm ſolet diſpoſitas exhibet. Novæ diſpoſitionis rationem reddimus in commentariis in Harmoniam evangelicam. Verùm noſtra refert præ cæteris locis & urbibus conſiderare urbem ſanctam Jeruſalem, ſitum ejus, & ſuburbia. Creditur illa fuiſſe antiquitus *Salem*, cujus rex Melchiſedech. Græcè dicta eſt *σόλυμα Solyma*, poſtea obtinuit ut diceretur *Jeroſolyma*, & *Civitas ſancta*, maximè ex quo Templum Dei in ea ædificatum eſt. *Chadiſa* Hebraicè ſonat *ſanctum*, idcirco etiam Κάδυτις dicta eſt à Græcis prophanis. Cujus tribus fuerit quæritur? Linea tribuum Judæ & Benjamin incidebat in Jeruſalem, unde & partem templi Tribui Benjamin Judæi attribuunt.

Urbs ſancta Jeruſalem (*Tab. III.*) fundata erat in quatuor montibus. Ad meridiem erat mons *Sion*, ubi ſuperior urbs, ſive civitas David. Ad occaſum mons alter qui Joſepho dicitur *Acra*, ubi urbs in-

ſerior, dicta *Salem*. Tertius mons erat *Moria*, ubi olim Abraham paratus fuerat filium in ſacrificium offerre Deo. In eodem monte vidit David Angelum Dei ſævientem in populos, & cùm ibi obtuliſſet ſacrificium, monente Propheta Gad, agnovit Deum placatum. Qua propter in hoc monte Salomon filius ejus Templum ædificavit, ut in loco quem Deus elegiſſet inhabitandum. Quartus mons urbis appellabatur *Bezeta* & *Cœnopolis*, ſive *nova urbs*, qui mons urbi additus eſt, multitudine incolarum ejus creſcente. *Bezeta* derivant à *Beth hatzon*, hoc eſt *domus* ſive *locus gregis*, quia ibi erat forum pecuarium. Juxta hoc forum erat piſcina illa quæ in evangelio Joannis in fonte Græco ad *probaticam* ſita dicitur, nempe vel ad forum pecuarium, vel ad portam gregis, ut vox Græca indicat *πρόβατον ovis*.

Mons Moria, qua ſpectabat ad Orientem, ſeparabatur à monte Oliveti profunda valle, quam præterfluebat torrens Cedron, in quem per canales omnis ſanguis victimarum quæ mactabantur in Templo effluebat. Idcirco cum torrens ille ater videretur, & dictus eſt *Kedar*, quæ vox Hebræis ſignificat *atrum*. Non ergo à Cedris quæ in ejus ripis plantarentur, nuncupabatur.

In vertice montis Olivarum erat Bethania quindecim ſtadiis ab urbe. Vicus ille à dactilis palmarum, quibus ferax erat, nomen habuit. Ibi hoſpitabatur Dominus apud Martham & Mariam. Vicus Betphage, quod nomen interpretari poſſumus *vicum groſſorum* ſive *ficuum non maturarum*, proximior erat ubi. Inter Betphage & urbem occurrebat hortus *Gethſemani* à Domino frequentatus. Ad occidentem urbis erat mons *Ghion*, & collis qui dicitur Jeremiæ *Goatha*, Evangeliſtis *Golgotha*, hoc eſt Calvariæ locus. Uterque collis eo tempore ab urbe ſeparabatur profunda valle, quæ Cadaverum dicebatur.

Mons

Mons *Golgotha* nomen accepiſſe dicitur à Calvariis eorum, qui ibi extremò ſupplicio afficiebantur. Plurimis Patribus placet ſic dictum à Calvaria Adami, qui ibi ſepultus fuerat. In hoc certè monte revolutum eſt, id eſt, ablatum opprobrium ab Iſrael, & indè nomen per vaticinium accipere potuit. *Galgala*, ſive *Golgol* ſignificat *revolutionem*, ut diximus ſupra; Vox autem *Golgol* ſive Galgal non multùm differt à Syriaca, *Golgotha*. Ex monte *Ghion* ſcaturiebant multæ aquæ. Joſephus ad hanc urbis plagam ſtatuit fontem *Siloe*, quem ideo non decet diſtinguere à fontibus dicti montis. Veriſimile eſt aquas Siloe deductas fuiſſe in urbem, in diverſas piſcinas. Una ex illis dicitur in Evangelio natatoria Siloe, ad quam miſit Dominus cæcum, ut aquis ejus ablueret oculos ſuos.

Inter meridiem & orientem urbis vallis erat, in quam influebat Cedron, quæ vallis dicebatur *Gehennon*, id eſt, *vallis Hennon*, infamis ob vivicomburia puerorum, quos olim idololatræ ſacrificabant idolo Moloc; undè factum ut locus durorum cruciatuum & comburii dicatur in Evangelio *Gehenna*.

Quoniam tribus in anno vicibus Judæi tenerentur ex omnibus locis confluere Jeroſolymam, patebant ejus ædes, & lecti ſternebantur omnibus, qui primi vacuas hoſpitibus occupaſſent; in ea enim urbe, ut nos Judæi docent, non conducebantur ædes. Civitas erat communis Judæis omnibus.

Orientem, occidentem, & reliquas orbis plagas, ſeu climata aſſignat Scriptura comparatione urbis Jeruſalem, vel Terræ ſanctæ. Scilicet ſcriptores ſacri Judæi ipſi ſcripſere Judæis. Daniel (*Cap.* 11.) prædicit reges auſtri, id eſt Ægypti, conflicturos cum regibus aquilonis, id eſt, Syriæ, putà Ptolemæos cum Antiochis. Ægyptus erat ad auſtrum Ju-

dææ. Aſſyrii & Chaldæi vocantur aquilonares, nempe reſpectu Judææ. Occidens ſæpè in Scriptura vocatur *mare*, eò quòd Mare mediteraneum, quod Palæſtinam attingit, ſit majori ex parte ad occidentem Judææ; etenim & eidem eſt ad auſtrum, quare ſubinde *mare* ſignificat auſtralem plagam, ut illo loco Pſal. 106. verſ. 3. *A ſolis ortu & occaſu, ab aquilone & mari*, id eſt *ab auſtro*. Subinde meridies vocatur *dextra*; ſeptentrio *ſiniſtra*; eò quòd convertenti faciem ad orientem talis ſit partium illarum ſitus.

Nec extra rem eſt dicere tecta ædium fere plana fuiſſe; ita ut in illis deambularetur; quare non mirum eſt ſi dixerit Dominus evangelium ſuum in tectis, id eſt, palam eſſe prædicandum; & in iis ambulare, apricari, diverſari, epulari, dormire, aliaque id genus facere liceret. Tecta autem circumdata erant peribolo ſive lorica, ex lege Deuteronomii (*Cap.* 22. *verſ.* 8.) ne quis incautus ex illis delaberetur. In feſto Tabernaculorum, quiſque in domate ſuo, id eſt, in tecto domus parabat ſibi & domeſticis tabernaculum ex arboribus. In Actis (*Cap.* 10. *v.* 5.) *Aſcendit Petrus in ſuperiora* ἐπὶ τὸ δῶμα, id eſt, ſuper tectum, *ut oraret circa horam nonam*. Scalæ autem quibus in tecta aſcendebatur plerumque extra ipſas ædes erant; ita ut ex tectis qui deſcenderet, non intraret in ædes. Hæc obſervatio lucem affert huic loco Matthæi (*Cap.* 24. *verſ.* 17.) *Et qui in tecto, non deſcendat tollere aliquid de domo ſua*. Videlicet ſtatim fugiat, nec intret in domum ſuam.

Denique, Lector mentem adverte ad veſtigium ædificii quod cernis in angulo tabulæ, quæ tibi urbem ſubjicit. Ex eo intellige ædificia procerum, qualia Caiphæ, fuiſſe ſimilia Monachorum hodiernis clauſtris. Spatioſum veſtibulum A. excipiebat intro-

troeuntes. Deinde atrium B. ſive aula, nempe locus dialis occurrebat, circa quod erat periſtylium. Niſi ſuppoſita hac ædium veterum diſpoſitione, vix conciperes quæ de hiſtoria Petri negantis Dominum habent Evangelia. Ille admiſſus in veſtibulum A. domus Caiphæ penetravit in atrium B. ubi ignis accenſus erat, ad quem ſe calefaciebant milites. Agnitus ab aliquo in luce ignis regreſſus eſt in veſtibulum A. ubi Jeſum ſtiterant Sacerdotes, qui ideò Petrum reſpicere potuit, & eum audivit ejurantem ſe de numero diſcipulorum ejus non eſſe; tunc & eum alia ancilla agnovit. Nulli mirum videatur nos tandiu Hieroſolymis immorari, cùm in ea completum ſit opus, cujus cauſa ſcribimus.

C A P U T IV.

De locis ſacris. Primùm de Tabernaculo quod in deſerto in medio caſtrorum Moyſes erexit juxta exemplar quod ei in monte Sinai monſtratum eſt. De Templo Hieroſolymitano, tum & de Synagogis, quibus Judæi vacabant precibus & lectioni Scripturarum.


MUndus Dei opus, ubique dignus eſt in quo homines edant indicia ſui erga illum obſequii. Antequam Deus in populum collegiſſet poſteros Abrahæ, nullus certus locus addictus erat cultui divino. Eligebantur tantummodo loca magis conſpicua, vel quia excelſiora, vel ob inſignis arboris viciniam. In eodicibus, ſub arboribus frondoſis, iter faciendo, pro occaſione olim viri pii ſacra faciebant, quod poſtea etiam Deus fieri permiſit, ut Gedeoni. Attamen Reges commendantur, qui excelſa abſtulerunt, hoc eſt, non ſiverunt ut paſſim altaria extruerentur in locis excelſis, & extructa everterunt,

poſtquam Deus prohibuit ne extra locum electum quis ſacrificia offerret. Deus voluit conjungere Iſraelitas Religionis vinculo, definiens unum locum in quo omnes convenirent, ut oſtenderet illam unionem charitatis, quam reſciderat peccatum, aliquando in nova lege reſarciendam. Chriſtianorum enim, ſi non nomine tenus Chriſtiani ſunt, unum cor eſt & anima una. Præterea providebat Deus ut typis impletis, cùm jam inutilis foret omnis ille veteris Legis apparatus, citò lex ipſa poſſet diſſolvi; cùm enim ſacrificia Judæorum alibi quàm in Templo fieri non poſſent, ubi illud everſum eſt, continuò religio eorum concidit.

Donec quietas ſedes daret Judæis Deus, & eligeret locum in quo ei ſtabile Templum poneretur, Tentorium conflari præcepit, quod eſſet veluti Templum portatile, aptis partibus conſtans, ut in eo ſacra omnia fierent; quod & citò diſſolvi aut compingi poſſet, prout ſedes mutanda aut figenda erat, tum & ſine multo labore portari. Ideò compoſitum eſt variis aſſeribus, quorum ſingulorum pondus non eſſet nimis oneroſum: velis, pellibuſque, quæ illicò conſuerentur vel diſſuerentur, nec oneri eſſent. In medio caſtrorum erectum eſt illud Tabernaculum, circa quod primùm Levitæ caſtra metabantur; & circa illa duodecim Tribus. Caſtra tum Levitarum, tum cæterarum Tribuum quadrata erant. Sic diſpoſitæ Tribus, ut Juda, Iſſachar, & Zabulon orientem reſpicerent: Ruben, Simeon, & Gad auſtrum: Ephraim, Manaſſe, & Benjamin occidentem: Dan, Aſer, & Nephtali boream. Quæque ternæ illæ Tribus conſtituebant propria caſtra: ita quatuor caſtra diſtinguebantur, quibus ternariis præerant quatuor Tribus, videlicet Juda, Ruben, Ephraim & Dan; habentes proprium vexillum, cui, ut tradunt Hebræi,

[illegible] Google

TAB: IV.



bræi, impreſſum erat ſignum peculiare. In vexillo Ruben erat Imago hominis; in vexillo Judæ leo; in vexillo Ephraim bos; in vexillo Dan aquila. Deus ergo reſidens in Tabernaculo, quaſi Imperator circumdatus exercitu ſuo, incurrere voluit in mentes hominum ſub hac forma; ideò in viſionibus, ſive apparitionibus ejus, exhibentur dicta quatuor animalia, ut videre eſt apud Scriptores ſacros (*Ezech.* 1. *Apoc.* 4. 7.) Intuebatur hæc vexilla ſive hæc quatuor caſtra Pſaltes cùm canebat (*Pſal.* 80.) *Qui ſedes ſuper Cherubim, manifeſtare: coram Ephraim, Benjamin & Manaſſe, excita potentiam & veni ut ſalvos facias nos.* Quaſi petat à Deo, ut ipſe præeat quatuor caſtris Iſrael: unum ex illis nominat.

Sic delineandum curavimus Tabernaculum (*Tab. IV.*) ut totum in prima parte tabulæ exhiberetur, ſuis opertum integumentis; in alia verò, tum Tabernaculi propriè dicti veſtigium, tum Tabulæ quibus compingebatur ſine ullo velamine, columnæ quibus appendebantur vela, tum ſupellectilia ejus repræſentarentur. Tabernaculum erat in medio atrii, ſive loci ſubdialis, circa quod tendebantur tapetia ocellata. Atrium illud longum erat centum cubitis, latum quinquaginta. In introitu ejus oppandebatur velum cæteris velis atrii pretioſius. In hoc introitu congregabantur cœtus Iſrael. Prima pars atrii, quæ introitui proximior, patebat ſingulis Iſraelitis, dum offerrent victimas, & his imponerent manus. Pars cætera ſolis Sacerdotibus cedebat. Ibi videre eſt altare æneum, quod ſuperimponitur crepidini lapideæ, ita ut colle ad altare aſcenderent miniſtri ad alendum in eo ignem & focos ſtruendos, quibus holocauſta conſumebantur. Ultrà altare occurrit vas æneum capax, dictum ideò *mare æneum*; cujus aqua Sacerdotes pedes & manus abluebant ſacra facturi, aut ingreſſuri in Tabernaculum.

Tabernaculum ipſum operiebatur quatuor integumentis. Duo interiora leviora erant, ſeu ſubtenuiora; tertium & quartum ex pellibus, quæ defendebant ab imbribus interiora Tabernaculi. Ut hæc quatuor integumenta pictor diſtingueret, ea adduxit ſive advolvit, & appoſitis numeris notavit. Longum erat Tabernaculum triginta cubitis, latum decem. Partes duas habebat. Quæ magis intima ei erat, lata & longa decem cubitis, dicebatur *Sanctum ſanctorum*. Altera pars appellabatur *Sanctum*. Utraque diſtinguebatur velo. Ante primam partem pariter oppanſum erat velum. Sed hæc clariùs concipientur ex ſequentibus formis. Litera Z notat formam totius compagis Tabernaculi, nempè tabularum ſuarum & columnarum. Cernere eſt ſeorſin illas tabulas, cùm manibus ſuis *m.m.* quibus una ad alteram adjungebatur, & annulis *n.n.* per quos inſerebantur vectes, quibus totum opus colligabatur. *p.p.* ſunt baſes quæ tabulis ſubjiciebantur, ut erectæ ſtarent.

X. Ichnographia eſt ſive veſtigium prædictæ compagis, nempè totius Tabernaculi, tabularum, baſium, columnarum ejus. Indicatur & locus paxillorum, quibus illigabantur funiculi confirmantes Tabernaculum adversùs vim ventorum. In Sancto Sanctorum A. locus eſt Arcæ fœderis. Arcam autem ſeparatim deſcriptam vides, cum operculo ſuo, quod dicitur Hebraicè, *caphoret*, à verbo *caphar*, quod ſignificat *operire* & *expiare*, undè & illud operculum dictum eſt *Propitiatorium*. Formam ejus adverte. Supra propitiatorium erant Cherubini, quorum forma ignota eſt. Sunt qui nomen illud per metatheſim factum putant à *Recab*, quod Hebræis ſonat idem ac *vehiculum*, quod Arca Dei eſſet veluti vehiculum Dei: unde dicitur in Scripturis Deus *equitare* & *ſedere ſuper Cherubim*. Ut pictor diſtingueret Propitiatorium ſive operculum ab Arca, exhibuit illud quaſi manu

Che-

Cherubinorum elevatum. In Arca autem duæ erant tabulæ lapideæ, in quibus Lex ſcripta fuit digito Dei. Juxta illam virga Aaronis appoſita erat, & urna in qua Manna.

Pars reliqua Tabernaculi dicebatur *Sanctum*, ubi erant G. Candelabrum ſeptem lucernas habens, quod & ſeorſum delineatum vides. B. Altare aureum ſive thimiamatis, quia in eo incendebantur thimiamata, ſive odores. D. Menſa panum, quos Hebræi vocant *panes facierum*, quòd cùm eſſent quadrati, haberent diverſas facies; ſive quia erant ante faciem Arcæ, undè à Græco & Latino interpretibus appellantur *panes propoſitionis*, quia nempè proponerentur ante Deum. In menſa illa quam ſubjicimus oculis tuis, conſidera, lector, juxta traditionem Hebræorum inter panes propoſitionis diſpoſitos calamos aureos fiſſos. K. repræſentat unum ex illis calamis. Uſus eorum erat, ut ventus perflaret inter dictos panes, ne muceſcerent. Obſervandum eſt menſam horum panum fuiſſe ad latus ſeptentrionale, & candelabrum ad meridionale.

Singulis diebus Sacerdotes hanc partem Tabernaculi ingrediebantur ad lucernas candelabri componendas, ad adolendum, & ad removendos dictos panes ſingulis Sabbatis, cùm novos inferrent. In Sanctum Sanctorum ſolus ſummus Pontifex, & hoc ſemel in anno, in die feſto Expiationis intrabat.

Quoties movebantur caſtra, cuique Levitæ aſſignatum erat, quas partes Tabernaculi portaret. Alii tabulas cedrinas auro inductas, quibus compingebatur Tabernaculum; alii baſes argenteas, quibus ſuſtinebantur tabulæ; alii vectes, quibus-cum & per incaſtraturas illæ cohærebant; tranſibant enim vectes per annulos aureos qui his tabulis inhærebant, ut notatum eſt. Alii diverſa vela, quibus Tabernaculum tum operiebatur, tum defendebatur adversùs imbres, & atrium præcin-

præcingebatur. Alii denique columnas quibus appendebantur vela; alii denique paxillos, funes, quibus adversùs vim ventorum columnæ illæ & tabulæ firmabantur. Hæc per ſe ſatis clara ſunt in Exodo.

Jam animadvertimus Deum non tantùm generali providentia, ſed & ſpeciali imperio Iſraelitas rexiſſe. Hos ſoli ſuo dominio ſubjacere volebat; uſus quidem Moyſe per quem ſuas leges ediceret: inter quas illa præcipua fuit, ut ſibi, tanquam ſummo Regi, Tabernaculum illud, de quo ſermonem facimus, inſtrueretur, quod nimirum inſtar eſſet palatii ſive regii habitaculi. *Facientque mihi*, ait Deus Moyſen alloquens (*Exod. cap.* 25.) *Sanctuarium, & habitabo in medio eorum, juxta omnem ſimilitudinem Tabernaculi quod oſtendam tibi & omnium vaſorum in cultum ejus.* Hoc eſt, ut interpretantur Judæi, facient mihi Iſraelitæ domum & vaſa quaſi ſanctuarii Regis, domuſque regiæ, & ego in medio eorum habitabo, in domo nempè ſolioque gloriæ, quod mihi facient. Voluit Deus & haberi Imperator, ſive bellator fortis, ut nominis ſui terrore impleret animos. Ideo mediis in caſtris Tabernaculum erectum eſt, circa quod, ut in exercitu fit, Iſraelitæ tenderent juxta cognationes ſuas & vexilla. Ita cum Tabernaculo conjuncta caſtra decet cogitare. Quin veriſimile eſt, quoniam ſecundùm exemplar, quod viderat in monte, juſſus ſit Moyſes erigere Tabernaculum. Veriſimile, inquam, eſt Deum apparuiſſe reſidentem in Tabernaculo cum exercitu quo illud circumdabatur. Certum eſt nullam digniorem divinæ majeſtatis cogitationem olim animo ocurriſſe, quàm Dei in Tabernaculo habitantis, in medio caſtrorum. Sub hac imagine non ſemel ſe conſpicuum præbuit Deus Prophetis, ad quorum viſiones intelligendas intereſt cognoſcere quæ fuerit diſpoſitio caſtrorum Iſraelis.


Jam diximus caſtra Iſrael fuiſſe in quatuor partes diſtri-

[illegible]

Digitized by Google

TAB. V.

Ichnographia Siue Veſtigium Templi hieroſol
tanea deſcriptionibus Prophetæ Ezechielis



diſtributa, ſive quatuor minora caſtra, quibus præfuerint quatuor primariæ Tribus, nempè Juda, Ruben, Ephraim, & Dan. Cuique ex illis quatuor Tribubus, tres aliæ Tribus parebant. Quatuor dictæ principes Tribus occupabant laterum caſtrorum præcipuas ſedes; omnes autem propria ſigna habebant, ut diximus, Juda leonem, Ruben humanam faciem, Ephraim bovem, & Dan aquilam cum ſerpente. Hæc animalia cæteris præſtant, leo inter feras, bos inter jumenta, aquila inter aves, homo verò ſuper omnia. Cùm ergo Arca Dei eſſet veluti quadriga, ſive currus Dei, appoſita ſunt ei Cherubin, quibus veluti traheretur. Illa autem referebant faciem quatuor dictorum animalium; nimirum qui illa cerneret, ut Ezechieli contigit, ſibi videbatur videre ſimul leonem, bovem, aquilam, & hominem. Ita Cherubin videntur ſymbola fuiſſe, quæ exhiberent quatuor ſigna quæ inerant vexillis quatuor præcipuarum tribuum, ita ut Arca cum Cherubinis fuerit veluti thronus Dei, in quo, quoties viſus fuit Prophetis, apparuit ſedens. Deus qui ſpiritus eſt, cùm vix aliter cogitari poſſet ab hominibus carnalibus, ingerebat ſe animis & oculis ſub conſpicua forma, qua nulla eſt Deo dignior, quàm potentis bellatoris. Mos erat antiquitùs ut è curru bellatores pugnarent; ut videre eſt in Homero. Bellator ille egregius eſt, qui virtutibus pollet, prudentia, robore, ſagacitate, induſtria; quem nulla res lateat; omnia pervideat; quocumque feratur incredibili celeritate; qui ubique præſens ſit; cui nulla vis valeat obſiſtere. Hiſce omnibus virtutibus ornatum Deum exhibent Scripturæ, dum enarrant ejus apparitiones. Ad id idonea quatuor animalia ex quibus conſtabant Cherubin, & harum virtutum erant ſymbola.

Conſpicuis autem miraculis Deus ſe in Tabernaculo præſentem teſtabatur. Nubes interdiù operiebat

umbra

umbra ſua Tabernaculum, noctu verò inſtar columnæ ignis collucebat. Deus reſpondebat ſummo Pontifici dum conſulebatur. Vox ejus audiebatur ex Sancto, quaſi egrediens ex Arca. In Altari æneo, quod ſub dio poſitum erat, ignis de cœlo delapſus abſumebat membra holocauſtorum ſive victimarum quæ huic ſuperponebantur.

Ubi contigit Iſraelitis ſumma pace frui ſub regno florenti Davidis, tum de Templo ſtativo (*Tab. V.*) cogitandum fuit. David in hoc-ce opus ſeriò animum convertebat; ſed ei tantùm conceſſit Deus, ut apparatum conſtrueret, delinearet formam, & materiam pararet. Salomon filius ejus Templum inchoavit miris impenſis, & ſeptem annorum ſpatio ædificavit in monte Moria. Tunc ergo Arca Dei, quæ hactenus fuerat in Tabernaculo, quod diu in Silo ſubſtitit, deducta eſt Jeroſolymam in Templum; quod dedicatum eſt cum celebri pompa. Hac-ce Deus manifeſta ſigna edidit præſentiæ ſuæ, ſignificans quod verè illum locum elegiſſet, in quo coleretur. Nube impletum eſt Templum, quo ſigno priùs colluſtratum fuerat Tabernaculum.

Salomon in ædificio Templi conatus eſt, quantùm potuit, exprimere Tabernaculum, efformans ex lapidibus quod primum ex pellibus erat. Conjice, ſtudioſe lector, oculos in veſtigium hujus ædificii: ſimul animo cogita totam orthographiam ejus, hoc eſt, ipſa ædificia ſuper hoc-ce veſtigio extructa. Cùm mons Moria, ubi ædificatum Templum, non haberet in vertice ſuo aream ſatis patentem, erigendi fuerunt aggeres, ut ſufficeret his omnibus capiendis ædificiis & atriis quæ neceſſaria erant. Vertex Moriæ tercentum & ampliùs cubitis ſuperabat ſubjectas valles; quapropter pluribus gradibus ad ſolum Templi perveniendum erat. Mira erat horum graduum diſpoſitio, mira ſtructura, οἰκοδομαὶ, ut loquuntur Evangeliſtæ:

geliſtæ: admirabilis proſpectus totius ædificii, quod poſitum ſupra montem extabat. In ſuis quatuor lateribus circumdabatur altis porticibus.

Igitur amovenda eſt animo opinio ſimile fuiſſe Templum Hieroſolymitanum templis noſtris. Hæc una conſtant æde; illud, ut dixi, multa ædificia & atria habebat, quæ capere poſſent infinitam hominum multitudinem. Verùm pars illa quæ repræſentabat Tabernaculum, in quo Arca, altare aureum, candelabrum, menſa panum propoſitionis, parva erat, comparata majoribus noſtris eccleſiis; non enim patebat ultra ſexaginta cubitos; quæ magnitudo ſufficiebat; ſoli enim Sacerdotes intra illam admittebantur. Sanctum Sanctorum, quod *oraculum* id eſt; *loquutorium* dictum eſt, quia indè Deus alloquetetur ſummum Pontificem à quo conſulebatur, habebat viginti cubitos in longitudine, viginti in latitudine. Velo pars utraque ſeparabatur. Arca, candelabrum, Altare æneum, Menſa Panum propoſitionis in hoc Templo diſponebantur, ut in Tabernaculo. Ante hujuſce Templi fores expandebatur velum. In introitu erat porticus, in qua duæ columnæ æneæ, una dicta *Jachim*, altera *Booz*. Symbola erant & indicabant quòd Deus Templum illud ſtatueret & confirmaret; ut liquet ex interpretatione harum vocum, quæ Hebraicæ ſunt.

Circa ædem ſacram erat atrium quod repræſentabat locum illum ſubdialem quo circumdabatur Taberculum. Multiplex eſt illud atrium, ſive multa atria, quæ propriis ſeptis diſtinguebantur. Primum atrium & majus patebat omnibus Judæis & gentilibus. Ideo *Gentium* dicebatur, longas habens porticus; in quibus ſpatiari licebat; ſed nulla in eo domicilia, in quibus pernoctaretur. Primum illud & exterius ſeptum complectebatur ſecundum, quod Iſraelitas ſolos admittebat. Septum illud ſecundum circumdaba-

tur

tur ædificiis, in quibus noctu diuque verſari, quin & veſci, munia religionis obire, precari, legere, orare, Legi ſtudere licebat Iſraelitis, modo tamen mundi eſſent; nefas erat ulla immunditie pollutum vel limina hujus atrii attingere. Latera ejus quingentorum cubitorum erant. In medio hujus ſepti tertium erat, quod *Sacerdotum* dicebatur, complectens eorum domicilia, loca ubi commorabantur, comedebant, dormiebant. Diſtinguebatur in duas partes; intimior continebat Ædem ſacram, & cingebatur ædificiis, quæ, prout ſurgebant, contrahebantur. Hæc fuſiùs explicare non eſt hujus loci nec temporis. Altera pars habebat atrium centum cubitorum & in ejus meditullio altare holocauſtorum, in quo ſacrificia fiebant.

Ne ſimile quis credat altaribus noſtris, protinùs dicam latum viginti cubitis Hebræis; altum verò decem. In eo aut ſupra illud non mactabantur victimæ, ſed conſumebantur, poſtquam ſanguis earum effuſus fuerat ad ejus crepidinem, nempe in foſſa qua circumdabatur, & ſanguis quo reſpergebatur, exceptus diffluebat per ſubterraneos canales in torrentem Cedronis. Altari, prout ſurgebat, diverſæ erant crepidines veluti gradus. Quadratum erat; & cùm altum eſſet, quia ad illud gradibus aſcendere non licebat Sacerdotibus, appoſitus collis erat quo ibant ad ſummam aream ejus. Ibi multi foculi ſuper quos ſtruebant membra victimarum. Ignem ibi perpetuum ſubjectis lignis alebant.

Mare æneum quod in Templo majus quàm in Tabernaculo Salomon conflavit, biſſeni ænei boves ſuſtinebant, poſitum pariter inter veſtibulum Templi & Altare ad meridiem. Atrium illud, in quo vas illud, & altare quod & holocauſtorum appellabatur, proprium erat Sacerdotum qui ſacra facerent. Si quis ex populo offerret, poterat ejus prima limina ſubire. Thro-

te. Thronus Regis erat in eodem atrio, ad dexteram ingredientium per portam orientalem.

Tum Sacerdotum, tum Iſraelitarum atria cingebantur porticibus, gazophylaciis, variis conclavibus, & ædificiis; neceſſariæ enim erant cellæ ad reponendum ſal, quo aſpergebantur membra victimarum, oleum quod infundebatur lucernis candelabri, vinum quod effundebatur cum ſacrificiis; tum ad ſervandas veſtes Sacerdotum & phialas, pateraſque, quarum uſus erat ad excipiendum ſanguinem. Inſuper paranda erant conclavia Sacerdotibus, qui toto tempore quo obirent Sacerdotalia munera, à ſabbato ad ſabbatum, Templo non diſcedebant. Loca ergo illis deſtinata ad veſcendum, ad cubandum. Quin pleriſque ex piis Iſraelitis utriuſque ſexus licitum erat dies nocteſque commorari in Templo, Deo ſervientes, ut Evangelium (*Luc.* 2.) aſtruit de Anna. Ergo Gynæcæa erant, ſive loca propria mulieribus. Adde ſacros conventus agi etiam ſolitos in Templo. Summus judicum conſeſſus in eo erat, quorum amplam ſedem eſſe oportuit.

In ſingulis portis atriorum erant veſtibula. In veſtibulo portæ orientalis atrii Sacerdotum puto collocatum fuiſſe Gazophylacium, ſive diſpoſitas arcas eleemoſynarias. Locus ille exornatus fuerat donariis Principum, ideò conſpicuus. Reſpondebat faciei Ædis ſacræ. Huc veniebant Iſraelitæ adoraturi, ideò JESUS CHRISTUS ibi quandoque ſermonem habebat ad populum frequentem. Ibi, ut opinor, advertit mulierem quæ eleemoſynam detulerat ad arcas eleemoſynarias. Patebat atrium Sacerdotum tribus portis, una ad orientem & duabus aliis, quarum hæc ad ſeptentionem, illa ad meridiem.

Atrium Iſraelitarum ad orientalem plagam unica porta patebat. Hæc dicebatur *Specioſa*, quam non aliam puto ab ea quæ à Joſepho appellatur *Corinthia*, nempè quia

pè quia ex ære Corinthiaco conflata, quod genus æris ſuo ſplendore non multùm inferius erat auro. In lateribus autem ſeptentrionali & meridionali, in unoquoque tres portæ erant. In latere occiduo nulla porta erat; & ex hac parte conſpicuum poſticum Templi; cui ne obverterent terga Iſraelitæ dum egrediebantur Templo, ideo nulla aperta porta in illo latere occidentali.

Iſraelitarum atrium quadratum erat, habens in quatuor angulis atriola ſive minora atria culinis circumdata, quæ ſerviebant uſibus piorum Iſraelitarum ad coquenda eorum ſacrificia; nempe eas partes victimarum, quæ ab offerentibus comedendæ erant *in loco ſancto*, ut lex præcipit, nimirum in atriis, vel in conclavibus quæ atria cingebant. Præterea plerique erant, ut modo dixi, viri pii, mulierеſque religioſæ, quæ non diſcedebant de Templo; quibus idcirco clinæ neceſſariæ. Adductus ſum ut crederem, poſtquam J.C. D.N. repetiit cœlum, diſcipulos ejus unà cum Maria matre in cœnaculum nempè in ſuperius aliquod Templi ædificium ſeceſſiſſe, & ibi uſque ad diem Pentecoſtes commoratos, oratione, jejunio ſe præparaſſe ad illapſum Spiritus Sancti; qui cùm contigit, facta voce magna, excitati quotquot erant in Templo convenerunt, & mirati ſunt Apoſtolos diverſis linguis loquentes. Sicuti in angulis atrii Iſraelitarum erant culinæ ad uſum eorum; ita in latere occidentali atrii Sacerdotum, in utroque angulo deſtinatæ erant culinæ uſui Sacerdotum.

Inter porticus atrii Gentium, una erat quæ Salomonis dicebatur; quæ cùm orientalis eſſet, boreali vento non patebat. In eam hieme, ut veriſimile eſt, frequentiùs ſe recipiebat populus; idcirco videmus in Evangelio Jeſum ibi in porticu ſermocinantem.

Ante extimum ambitum atrii Iſraelis, intervallo decem cubitorum, advertenda eſt lorica, ſive lapideus

Digitized by Google

9: 99.



Digitized by Google

deus cancellus, ultra quem Gentibus non licebat penetrare. In iſta lorica erant erectæ columnæ, inſcriptæ Græcis & Hebraicis vocibus quæ interdicebant Gentilibus & omnibus qui caſti non erant, ultra prorumpere. Adſtabat, ut videtur, publicanus Evangelii juxta hos cancellos, quos non audebat prætergredi; & ideo longè ſtans deſpiciebatur à Phariſæo ſuperbo, qui ex atrio Iſraelis oſtio poterat eum advertere.

In orthographia adverte, lector, tum ædificia Templi, tum ſubſtructiones ejus, quas tum Joſephus tum ipſi Evangeliſtæ appellant *τὰς οἰκοδομὰς* Latinus interpres *ædificationes & ſtructuras*. Vertex montis Moriæ augendus fuerat, ut diximus, ſubſtructionibus, ſive aggeribus aggeſtis. Horum mœnia ad quadringentos cubitos teſte Joſepho ſurgebant. Ergo innumeris gradibus perveniendum ad ſolum Templi, ſive ad illam aream in qua ædificatum erat. Subſtructiones illas ingentibus ſaxis ædificatas oſtendebant Domino Apoſtoli, cùm Templo egredientes dicebant (*Marc. cap.* 13. *v.* 1.) *Magiſter aſpice quales lapides & quales ſtructuræ*.

Templo Salomonis everſo à Babyloniis, Zorobabel poſt reditum è captivitate Babylonica, aliud Templum in eodem loco, nempè in monte Moria, ſed non pari magnificentia ac Salomonicum ædificavit. Hocce ſecundum Templum cùm annis labentibus ex parte dirutum eſſet, inſtauravit magnus Herodes, quod à Romanis poſtea everſum eſt, non ampliùs reſtaurandum. Judæi nomine ſecundi Templi intelligunt tum quod inſtauravit Zorobabel, tum quod reſtauravit Herodes. Salomonicum habuit quinque ornamenta ſive miracula quibus ſecundum caruit, primum fuit *Urim & Thummin*, ſcilicet Ephod, partem veſtis Sacerdotalis, quatenùs eo indutus Summus Sacerdos illuſtrabatur luce & occulta cognoſcebat. Secundum miraculum fuit donum prophetiæ, quod dum ſtetit Tem-

plum Salomonis, frequens erat. Arca fœderis habetur pro tertio miraculo. Quartum fuit ipſa præſentia Dei inter Cherubinos; quam ipſe manifeſtam faciebat, reſpondens voce clara his à quibus conſulebatur; indè locus ubi Arca, dicebatur *Oraculum*. Quintum miraculum fuit ignis de cœlo, qui comburebat victimas; quod ſæpiùs contingebat: idcircò de præſentia Dei in Templo Salomonico nulla legitima dubitatio. Hæc autem quinque ornamenta in captivitate amiſſa ſunt. In everſione Templi per Babylonios occultata Arca, & hactenùs latet. Siluit vox Dei ab hoc-ce tempore, donec Verbum caro fieret, & ipſe non ſolùm ſummum Sacerdotem ſed omnem populum compellaret verbis. Cùm caro factum eſt, non arcam habuimus, ſed nobiſcum Deus; qui victimas non inflammavit, ſed corda noſtra.

Dum proſequeremur Hiſtoriam ſacram, vidimus præter Hieroſolymitanum alia duo fuiſſe Templa, in quibus quidem coleretur Deus, ſed falſa religione. Sannabalat, venia petita à Dario, cujus erat præfectus, deinde ab Alexandro magno poſt mortem Darii, extruxit in monte Garizim Samariæ Templum in gratiam generi ſui Manaſſe. In eo Samaritani primitùs Deo ſacra offerebant: poſtea Antiochus Epiphanes, non reluctantibus multùm Samaritanis, Jovi hoſpitali illud conſecravit. Poſt annos autem ducentos quàm fuerat conditum, Joannes Hircanus illud evertit cùm urbe Samariæ. Hanc ſequentibus annis excitavit Herodes, & *Sebaſtem* de nomine Cæſaris Auguſti appellavit: in ea quoque Templum exſtruxit, cui montem Garizim Samaritani prætulerunt. Vidimus etiam ab Onia Templum Deo Iſraelis ſacratum in Ægypto. Sed plura de his Templis non opus eſt dicere; neque enim in Sacro Codice pro legitimis Dei Templis agnoſcuntur.

Addam autem brevem ſermonem de Synagogis, qua-

quatenus loca erant, in quibus precibus & lectioni Scripturarum Judæi vacabant. Hinc dicuntur domus doctrinæ & orationis *proſeuchæ*, hoc eſt *oratoria*. In ſcripturis προσευχὴ nomen eſt ambiguum; ſignificat enim orationem & domum orationis: & in utraque ſignificatione occurrit in novi Teſtamenti paginis. Nullam formam peculiarem habent ſynagogæ, niſi quod in illis eſt ſpecies altaris, ſive menſæ, in qua explicatur & evolvitur volumen Legis. Ad orientem arca eſt, ubi reponitur illud volumen. Innumeræ pendent lucernæ ex laqueari. Juxta ſynagogam cubiculum eſt, ex quo mulieres proſpiciunt in ſynagogam virorum; etenim non illis licet in eam intrare, & à viris proſpici. *Synagoga* vox eſt Græca, quæ idem ſonat ac *congregatio*, *cœtus*. Creditur ſynagogas primùm inſtitutas fuiſſe in captivitate, ob inopiam Templi. Sæpè complures erant etiam in eadem urbe Synagogæ. Hieroſolymis 480. numerantur; cùm enim ex toto mundo ter in anno obligarentur Judæi ire Hieroſolymam, quæque natio & ejuſdem conditionis viri aut artis amabant ſimul congregari. Hinc ſynagoga Libertinorum, de qua in Actis (*Cap. 6. verſ. 9.*) nempè ubi ſervi manumiſſi conveniebant. Etiam Romæ plures è Libertinis fuiſſe Judæos Philo memorat libro de legatione ſua ad Caium. Nominatur etiam in Actis ſynagoga Alexandrinorum, nempè conſtans ex Judæis Alexandrinis. Diximus ſynagogas fuiſſe domos doctrinæ, ut eas Philo libro, *quod omnis probus liber*, appellat. Ibi loquitur de amore Judæorum erga Scripturas ſacras. *Has ediſcunt, inquit, & alio tempore; ſed præcipuè recurrente die ſeptimo, quem ſacratum exiſtimant, feriantur que tunc ab omnibus aliis negotiis, quoties ſacras ædes, quas ſynagogas vocant, adeunt: pro ætatis ordine, juniores ad ſeniorum pedes conſidunt, & ad audiendum ſe componunt. Ibi alius ex libro prælegit,*

alius quiſpiam unus è peritioribus accedens quæ obſcura ſunt explicat. Eadem Philo dicit libro de ſeptenario, ex cujus verbis colligere eſt in ſingulis urbibus, quas Judæi incolerent, maximum fuiſſe numerum ſynagogarum. *Septimo quoque die*, inquit, *innumeræ per totam urbem prudentiæ, temperantiæ, fortitudinis, juſtitiæ, aliarumque virtutum ſcholæ panduntur, in quibus alii modeſtè conſident, quietè ac placidè, arrectis auribus, cum attentione exacta, eò quod orationum ſuaviſſimarum ſiti correpti ſunt. Mox verò exurgens quidam è peritiſſimis enarrat optima & profutura, quibus omnis vitæ curſus ad id quod melius eſt provehatur.*

Alibi dicemus Judæos ſic partiri biblia ſua, ut totum Pentateuchum ſpatio annuo perlegant in ſynagogis ſuis, quibus adjungunt lectionem ex Prophetis. Cùm ſynagogæ non perinde ac Templum haberentur ſacræ, etiam cuique Iſraelitæ, qui nec Sacerdos nec Levita eſſet, licebat canere, legere, docere; quod providerat Deus, ut Apoſtoli & Diſcipuli ejus, quos extra tribum Leviticam electurus erat, poſſet annuntiare Evangelium. Satagebant ut diebus Sabbati in Synagogis ſermonem haberent ad populum; ut in Actis (*Cap.* 16. *verſ.* 13.) *Die autem Sabbatorum egreſſi ſumus foras portam juxta flumen, ubi videbatur oratio eſſe.* Ibi *προσευχὴ proſeucha* eſt ſynagoga; quam ſignificationem habet apud poetam Juvenalem: *in qua te quæram proſeucha.* Locabantur juxta flumina, ut commodiùs Judæi lavarent ſe. Apoſtoli teſtimonio Prophetarum oſtendebant in Jeſum convenire omnia quæ de Chriſto prænuntiata erant. Si quidem verò multi ex ethnicis frequentabant ſynagogas amplexati fidem Judæorum, ubi didicerunt ab Apoſtolis Jeſum, quem Judæi crucifixerunt, eſſe ipſum Meſſiam expectatum, facilè adducti ſunt ad fidem Chriſtianam. Sic nomen JESU

CHRI-

Digitized by Google

CHRISTI prædicatum eſt, & innotuit Gentibus, ad quod Deus uſus eſt Synagogis Judaicis.

CAPUT V.

De temporis menſuris apud Hebræos, de horis, diebus; hebdomadibus, menſibus, annis, Jubilæis.

QUæ ſuis locis ac temporibus non peraguntur, caſu & temerè fieri cenſentur; quod in Republica, cujus Deus auctor, non poterat contingere. Imò ratio temporum diligens habita eſt, ut quæ præceperat Deus iteranda ſacrificia, inſtaurandas celebritates, eæ certis legibus recurrerent. Intereſt igitur ſcire quibus intervallis ſolerent Hebræi metiri ſiderum curſus, à quibus tempus pendet. Tum etiam quia nihil magis eſt uſitatum omnibus Scriptoribus, quàm rerum de quibus loquuntur tempora ſignare, nominare horas, menſes, annos; quæ nomina inter plures populos ſono quidem communia ſunt, ſed ſæpiùs ſenſu diverſa; neque enim metiendorum temporum ubique eadem ratio eſt. Ergo multùm falluntur qui menſuras temporum Hebræas interpretantur ex conſuetudinibus noſtris, quaſi ab iiſdem initiis nos & Hebræi horas diei, diem ipſum, hebdomadem, menſes, annos, inchoaremus.

Tempus eſt menſura durationis rerum, quas comparando cum ſiderum motu, plus minùſ-ve durare dicimus, dum cogitamus harum durationem his vel illis ſiderum motibus reſpondere; hoc eſt, certos circuitus abſolviſſe ſidera, dum res illæ ſubſiſterent. Multiplici motu moventur ſidera, aut videntur moveri; primùm circa terram, quo totum cœlum unà cum omnibus ſideribus abripitur, aut videtur abripi. Menſura durationis rerum, dum hic motus con-

Digitized by Google

ficitur, dicitur *dies*; quo nomine non ſignificatur ſolùm intervallum temporis, quo ſol lucet nobis conſpicuus, ſed illud quo totius cœli fit dicta revolutio, ſive realis ſive tantùm apparens. Hujus revolutionis initium alii repetunt à meridie, alii à media nocte, alii ab ortu ſolis, alii ab occaſu ejus. Cùm ſol occidit, dies incipere cenſetur ab Hebræis, quibus ſubſequente occaſu finitur. Ita ſabbatum quod incipiebat poſt ſolis occaſum, finiebatur ſole occidente; undè videre eſt in Evangelio, ſabbati diebus, cùm ſol occidiſſet, delatos ad Chriſtum multos ægros, quod ne antea fieret impediebat religio Sabbati.

Diem civilem integram revolutam ſignificant Hebræi his duabus vocibus *mane* & *veſpere*: vel illis *die* ac *nocte*. Græci dicunt νυχθήμερον, cujus vocis ſignificatio ea eſt, ut ſicut pars diei dies dicitur, ita nox & dies ſive νυχθήμερον dicatur de parte diei. Quapropter etiam ſi duæ noctes & unus dies tantùm cum parte diei præcedentis & ſubſequentis effluxerint, dum res quæpiam fieret, non ideò minùs trium noctium totidemque dierum intervallo, hæc facta diceretur. .

Pendet ex hominum arbitrio, in quaſcumque voluerint partes dividere intervalla temporum, ſicut locorum, cæterarumque rerum, quæ diviſionis capaces ſunt. Olim Hebræi & Græci non alias diei diviſiones habebant quàm quæ ſenſibus deprehenduntur, cùm ſol oritur, cùm imminet vertici noſtro, & poſtea ad occaſum vergit & occidit. Harum diviſionum nomina ſunt *mane*, *meridies*, *veſpera*: in veteri Teſtamento uſitata ſunt. Nondum in viginti quatuor horas tempus diurnæ revolutionis cœli circa terram, diviſum fuerat. Romani, pariter ac Judæi partiebantur diem in quatuor quadrantes, quorum unuſquiſque haberet tres horas, à noſtris horis in eo diverſas, quod nobis horæ omnes per totum annum

Digitized by Google

annum æquales ſint, pars enim ſunt vigeſima quarta temporis illius quo cœlum circa terram revolvitur. Horæ autem ſingulæ Romanorum & Judæorum pars erant duodecima temporis illius quo ſol conſpicuus eſt: quapropter quoniam per æſtatem longiori tempore ſupra horizontem commoratur, longiores erant horæ æſtivæ hibernis. Prima itaque hora incipiebat cum ortu ſolis, ſexta in meridie, & duodecima abſolvebatur cùm ſol occideret. Undè dicebat Dominus (*Joan. c.* 11. *verſ.* 9.) *Nonne duodecim ſunt horæ diei*? Sic tertia hora medium illud tempus indicabat, quod eſt inter ſolis ortum & meridiem; ſicut nona quod medium eſt inter meridiem & occaſum ſolis. Undecima, media inter decimam & duodecimam. Tanta non eſt inæqualitas dierum Judæis, quanta eſt nobis, qui longiùs abſumus ab æquinoctiali circulo; ideò horarum hibernarum & æſtivarum, in quas illi diem dividebant, non tantum eſt diſcrimen. Longiores enim illis dies, qui nobis ſunt Pariſiis ſexdecim horarum, non excedunt in Judæa tredecim horas; ideo per totum annum videntur ferè æquales.

Duplicem veſperam diſtinguunt Hebræi. Prima poſt meridiem incipit, ſole inclinante ad occidentem, à ſexta horâ ſive à meridie uſque ad noctem. Quando, inquam, ſol incipit declinare, ea eſt veſpera una: poſt occaſum ſolis, eſt veſpera altera. Tempus quod currit quaſi medium inter ſolem inclinantem & occidentem appellant (*Exod.* 12. 6.) *Ben-Arbaim* quaſi dicas *inter veſperas*.

Noctem pariter in quatuor partes dividebant Judæi, quæ dicebantur *vigiliæ*, & quarum quævis tres horas habebat. Primam partem, ſeu vigiliam primam appellabant *caput vigiliarum*, ut in lamentationibus Jeremiæ (*Cap.* 2. *verſ.* 19.) Secundam dicebant mediam (*Judic. cap.* 9. *verſ.* 19.) non ideò

quod eſſet media inter tres noctis vigilias, ſed quod ea flueret uſque ad adultam ſeu mediam noctem.

Tertia vigilia nocte media initium & hora tertia matutina finem ſumpſit. Poſtrema dicta *vigilia matutina* oriebatur hora tertia, deſinens ſexta matutina. Hæ vigiliæ & aliis nominibus deſignantur in Scriptura, quæ reſpondent iis noctis partibus, quas quævis vigiliarum deſcribit. 1. Vocatur *Sero*. 2. *media nox*. 3. *Gallicinium*. 4. *Mane*.

Septenarius dierum numerus efficiebat hebdomadem, quæ vox Græca eſt, indicans hunc numerum ſeptenarium. Per ſex dies Hebræis licebat operari; ſeptimo quieſcebant, qui ideo dicebatur *ſabbatum*, Latinè *quies*. Sabbati religio videtur cœpiſſe ab origine mundi, quem cùm ſex diebus creaſſet, ſeptimo quievit Deus; cujus rei memoriam religio Sabbati non ſinebat deleri ex hominum animis. Deus nos & omnia è nihilo fecit & abſolvit primo dierum ſeptenario; poſtea verò nos refecit primo die hebdomadis; ideò converſa eſt religio Sabbati in ſequentem diem, qua JESUS CHRISTUS auctor vitæ noſtræ à morte ſurrexit.

Originem Sabbati quidam ſentiunt non altiùs repetendam quàm à Moyſe, qui illud ſervandum præcipit, ſed his dici poteſt, verbis Domini ad Judæos apud Joannem (*Cap.* 8. *verſ.* 22.) *Moyſes vobis dedit circumciſionem* (*non quia ex Moyſe eſt*, *ſed ex patribus*) Abraham circumciſus eſt. Ante Moyſem, & Hebræi, imò pleræque Gentes obſervaverant Sabbata, in quorum periodo ſive in his numerandis conveniebant cum Judæis; quod non mirum eſt, ſiquidem omnes populi ex filiis Noe orti ſint.

Quæ dies ſequitur Sabbatum, à Judæis dicebatur *una Sabbati*, quod idem ſonat ac *prima Sabbati*. Tota hebdomas nomine Sabbati ſignificatur. Vox autem Græca *μία*, *una*, in novo Teſtamento interdum

Digitized by Google

terdum pro *prima* ponitur. Ita ex ordine *ſecunda Sabbati*, *tertia*, *quarta*, *quinta*, *ſexta*, quibus nominibus ſingulæ dies hebdomadis notantur.

Sexta dies à Judæis Græcè loquentibus dicebatur παρασκευὴ, *paraſceve*, id eſt, *præparatio*; quia in illa paranda erant omnia victui neceſſaria in ſequens ſabbatum, per quod jubebantur quieſcere; ita ut nec coquere cibos, nec etiam ignem accendere illis liceret. Quod Judæis Helleniſtis, id eſt, Græcè loquentibus, dicitur *paraſceve ſabbati*, appellatur ab iis qui non niſi Hebraicè loquuntur, *Ereb ſabbat*, hoc eſt, *veſpera ſabbati*. Paraſceves enim proprium tempus nona hora feriæ ſextæ incipiebat: quod conſtat ex illo decreto Imperatoris Auguſti, quo poſt horam nonam in die veneris prohibuerat ne quis in jus vocaret Judæos; qui hoc tempore vacare tenebantur apparandis cibis, cæteriſque rebus, quarum uſus futurus erat in ſabbato. In hac ſexta die iter non ſuſcipiebant, quod ante occaſum ſolis facilè confici non poſſet.

Sabbatum non denotat ſolùm diem ſeptimum hebdomadis, ut diximus, quod quieſcendum erat ab omni opere, ſed & totam hebdomadem, id eſt, ſeptem dies; unde illud Phariſæi apud Lucam: *jejuno bis in ſabbato*, id eſt, in hebdomade. Pariter & nomen *Hebdomas* non ſolùm uſurpatur pro numero ſeptem dierum, ſed & ſeptem annorum. Ita nomen illud æquivocum eſt, & quoties occurrit decet expendere de quo ſeptenario ſit intelligendum; an de dierum numero, an de annorum; an denique de certa periodo quę ſeptem annis conſtat: nam poſt ſeptem annos, ſeu ſeptimo quoque anno terra quieſcebat, qui annus dicebatur *ſabbatarius*; ſeptem autem ſabbatariis annis, id eſt, quadraginta novem annis elapſis, celebrabatur Jubilæus ipſo anno quadrage-

drageſimo nono, & non anno ſequenti, ut quidam ſentiunt, opinantes quinquageſimum fuiſſe Jubilæum. Annus quidem Jubilæus in Scriptura dicitur quinquageſimus: verùm ſic nominatur eodem ſenſu quo dies Sabbati appellatur quandoque *octava dies*, quia ſabbatum præcedens comprehenditur; in Evangelio *poſt dies octo*, pro *die ſabbati*. Sic Olympiades, quæ conſtabant quatuor annis, dicuntur *quinquennium*, quia nomine Olympiadis ſignificatur intervallum in quo numerantur duæ olympiades, quæ hoc intervallum terminant. Ita olim ambigui, nunc certò tenemus annum quadrageſimum nonum fuiſſe Jubilæum; dici autem quinquageſimum, cùm indicatur intervallum quinquaginta annorum, in quo duo anni jubilæi occurrunt; quod & poſtea adſtruemus.

In ſigna & diſtinctionem temporum, cœlo appoſita ſunt luminaria illa magna, quæ ſolem & lunam vocamus. Præter hunc motum quo ſol & luna ſingulis diebus girant circa terram, ab ortu in occaſum, proprium habent, quo progrediuntur verſus orientem.

Sol 365. diebus, horis quinque, & 49. minutis totum illum circulum, in quo ſuum curſum conficit, peragrat; luna verò diebus ſeptem & viginti, horis ſeptem, & minutis aliquot pariter emetitur orbitam ſuam, quæ obliquè ſecat circulum illum quem ſol annuo motu percurrit, & *zodiacum* dicimus. Ergo quem ſol annuo ſpatio, luna ſingulis menſibus zodiacum percurrit.

Cùm autem luna ſole ſit celerior, non ſimul iter faciens, nunc cum illo conjungitur, nunc ſeparatur. Una autem conjunctione ad alteram conjunctionem fluunt viginti novem dies cum horis duodecim & aliquibus minutis; quia dum emetitur orbem ſuum luna,

luna, & redit ad illud cœli punctum in quo fuerat conjuncta cum ſole, ille jam & aliquantiſper progreſſus eſt in orientem, ita ut non eum aſſequatur luna niſi poſt unum & alterum diem cum aliquot horis.

Hoc temporis intervallum quo luna à ſole digreſſa ad eum revertitur, appellant Hebræi, *jarcha*, quod nomen ſignificat & *lunam* & tempus illud quo à ſole digreditur & ad illum redit. Illud temporis intervallum à Græcis dicitur *μὴν* à *μήνη* luna. Undè factum eſt latinum nomen *menſis*. Menſes juxta lunæ curſum primùm fuiſſe diſtributos, ideò veriſimile eſt, quod temporum intervalla lunæ curſu faciliùs diſtinguuntur. Etenim quæ ſoli conjuncta non apparet, ubi ex illius radiis emergit ab eo digrediens, ſub diverſis figuris conſpicua fit; corniculata, falcata, dichotomos, gibboſa, & tandem ſimilis diſco; poſt quod tempus iterùm gibboſa, dichotomos, falcata, corniculata eſt, & rurſus immerſa radiis ſolis latet aliquantiſper.

Nunc annum, ſcilicet tempus illud quo ſol orbem ſuum abſolvit, partimur, nulla habita ratione motus lunæ, in duodecim menſes, in quot partes dividitur Zodiacus, qui cum duodecim cœli *ζώδια* animalia, ſive ſigna recipiat, inde nomen habet. Singulis menſibus unum ex illi ſol percurrit. Hæc notantur in hoc diſtico:

Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Libraque, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Piſces.

Hebræi menſtrua tempora lunæ circuitu deſcribebant, ut indicat ipſum nomen quo menſes ſignificabant, quos appellabant, *jarchin* ab *jareac* luna. Quidam opinantur ante diluvium menſes omnes fuiſſe juxta

ſolis

ſolis curſum ordinatos; & quemque anni ſolaris fuiſſe partem duodecimam. Verùm conveniunt viri docti menſes Hebræorum à primis temporibus fuiſſe lunares.

Initium autem menſium ſuorum non ſumebant à coitu luminarium, ſive ab eo temporis puncto, quo luna conjungitur cum ſole, ſed à phaſi ſive prima viſione lunæ. Cùm luna ſolem aſſecuta eſt, non poteſt à nobis ſtatim conſpici; radiis ejus adhuc tota immerſa latet aliquandiu; quia verò celeriùs movetur quàm ſol, protinùs ab eo ſejungitur, versùs orientem properans, ita tandem poſt ſolis occaſum conſpicitur in occidente. Prima illa lunæ viſio initium erat menſium Hebræorum, quod dicitur *Neomenia*, id eſt, *nova luna*. Noviſſimis temporibus Neomenia ſive nova luna cenſita eſt cùm de novo conjuncta fuit cum ſole. Apud veteres Hebræos Neomenia erat cùm luna jam incipiebat à ſole ſeparari, emergere è radiis ejus, & jam ſenſibili ſplendore illuminari. Elongatio lunæ à ſole quæ neceſſaria ut oculis conſpicua ſit, appellatur ab Aſtronomis *arcus viſionis*; qui cùm oculis deprehenditur, menſis initium eſt. Vulgatus interpres initium menſium aliquando appellat *Kalendas*, more Romanorum loquens; *Kalendas* enim Latini appellabant menſium ſuorum primam diem.

Tempus coitus, ſive conjunctionis luminarium dignoſci non poteſt, niſi calculo aſtronomico: non enim apparet luna ſoli conjuncta. Ideo cùm Hebræi rudes eſſent Aſtronomiæ, eo præſertim tempore quo in Rempublicam congregati ſunt, voluit Deus ut à ſola viſione lunæ initia menſium ſumerent: & quoniam intererat ſacra ſuis peragi temporibus, & totius Reipublicæ tempora eſſe ordinatiſſima, cùm illa pendeant ex menſium initio, voluerat Deus illud religioſè obſervari, ſimul & omnibus innoteſcere. Idcirco

præ-

Digitized by Google

præceperat ut mitterentur in altos montes legati qui prima lunæ cornua deprehenderent, ex quorum teſtimonio indicarentur tubis neomeniæ. ***Buccinate in neomenia tuba, in inſigni die ſolemnitatis veſtre*** (*Pſal.* 80. 4.) ſive in tempore inſtituto, & die ſolemnitatis veſtræ. Præter tubarum ſonum ſolemnem, tum peculiare ſacrificium præſtituitur in Numeris (*cap.* 10. *v.* 10.) & Levitico (*Cap.* 23. *v.* 4.) Unde præ cæteris diebus ſanctificati dies neomeniarum, qui principia, ſive capita menſium nuncupantur ab Hebræis.

Huic-ce rei, quæ tanti momenti videbatur, præerant magni ſynedrii Senatores. Erant inter eos, qui ea de cauſa ſtudio Aſtronomiæ vacarent, & in ipſa Synedrii ſede extabant deſcriptæ omnes lunæ phaſes. Multo cum delectu eligebantur ſpeculatores idonei, & irreprehenſibiles teſtes, qui ubi inſtabat tempus primæ apparitionis lunæ, mittebantur, ut dixi, in loca montana & editiora; & ubi novam deprehenderant, id eſt, eam apparuiſſe adverterant, celeri curſu rem ad Synedrium referebant. Senatores qui in Synedrio horum ſpeculatorum expectabant reditum, ubi lunam naſcentem viſam audierant, ſucclamabant *Mechudas, Mechudas*. Hoc eſt, *ſanctificata eſt*, *ſanctificata eſt Neomenia*; quæ illicò tubæ clangore indicebatur. In Judæa purior aer eſt, ut difficile ſit lunam latere per multos dies; quod ſi contingeret, aut error fefelliſſet, menſem retexebant, & ſic calculos corrigebant, ut error unius menſis non refunderetur in alterum. Solum autem Synedrium jus Neomenias indicandi habebat, cujus decretis, etſi erraret, ſtandum eſſe Judæi credebant.

Luna orbitam ſuam ſive circulum ſuum peragrat diebus viginti ſeptem, horis ſeptem, cum aliquot minutis. Hoc intervallum temporis dicitur menſis lunæ *periodicus*. Alter eſt *ſynodicus*, quo luna à ſole digreſ-

Digitized by Google

digreſſa, cum denuò aſſequitur ſpatio viginti novem dierum, horarum duodecim & 44. minutorum cum aliquibus ſecundis. Menſes periodicos ſoli poſſunt Aſtronomi obſervare & calculis ſuis notare. Populi utuntur ſynodicis, quorum initia, progreſſus, & finem diverſis lunæ figuris diſtinguunt. Cùm ergo ſint viginti novem dierum & horarum duodecim, efficitur ut alii eſſe debeant dierum viginti novem, alii triginta dierum. Olim, dum ſtabat Synedrium magnum, definiebant hujus conſeſſus judices quot diebus quiſque menſis conſtaret. Cùm autem iſta definitio ſtatim pervenire non poſſet ad omnes extremas orbis partes, per quas diſperſi Judæi, ſanciverunt eorum doctores, ut per biduum feſtum quodlibet celebraretur, ut ſaltem in aliquo convenirent cum populo Hieroſolymitano. Ita non ſolus dies, in quem præciſè incidebat neomenia, habebatur pro feſto, ſed & triceſimus dies, ut patet ex hoc-ce verſu Horatii (*Lib. 1. Satyra 9.*) *Hodie triceſima ſabbata*. Videlicet hac-ce die triceſima Judæi diem feſtum agunt in ſynagogis ſuis. Poſtquam deſiit Synedrium; nec habuere Judæi per quos prima lunæ phaſis obſervaretur, aliam rationem inierunt in inchoandis & finiendis ſuis menſibus. In noviſſimo, inquam, computo ſuo conſtituerunt, ut menſes ſint alternatim 29. dierum & triginta dierum; hos plenos appellant, illos cavos, quibus unus dies deeſt. Rem diligentius tractare non eſt hujus loci, nec quomodo caveant ne in certas quaſdam ferias incidant feſta, religione quæ priſcis ignota fuit.

Jam de anno ut agamus, ſciendum quòd Judæi ſatagerent imprimis, ne eo tempore quo annus ſolaris revolvitur, bis eaſdem ſolemnitates celebrarent; ita annum inchoantes, potiſſimùm rationem habebant æquinoctiorum, quæ æqualitate dierum & noctium facilè diſtinguuntur. Antequam Iſraelitæ exirent de

Ægy-

Ægypto, domo ſervitutis, inchoabant annum ab ea prima lunatione, cujus plenilunium ſequeretur æquinoctium autumnale poſt collectas fruges; quo tempore mundus cenſetur conditus. Illa ergo lunatio habebatur pro primo menſe. Poſtea cùm egreſſi ſunt de Ægypto, ea tempeſtate qua aperitur terra & ſegetes creſcunt, in memoriam accepti beneficii menſem illum ſtatuerunt primum menſium, nempe illum cujus plenilunium ſubſequitur æquinoctium vernum. Spatio illo annuo, intra quod fiunt duo æquinoctia, duodecies luna renovatur; ſed cùm duodecim menſes lunares non impleant numerum dierum quo ſol revolutionem ſuam abſolvit, ſingulos annos Judæi conſtituebant duodecim menſium; ſed poſt tertium annum addebant unam lunationem, ſive unum menſem, ut modo dicemus.

Menſes ab ordine ſuo appellabant, ut qui primo ſuccederet diceretur ſecundus: alter tertius, & ſic de reliquis. Primus tamen ille quo vireſcere incipiunt ſegetes, appellabatur *Avib* aut *Abib*, id eſt, *ſpica virens*. Pariter & nomen proprium habebat menſis ille, qui ſequitur fruges collectas; quique primùm dicebatur *Ethanim*. Circa tempora captivitatis Babylonicæ, hiſ-ce ſequentibus nominibus menſes appellati ſunt. Primus cui nomen *Avib* dictus eſt *Niſan*, ſecundus *Jar*, tertius *Sivam*, quartus *Tammus*, quintus *Ab*, ſextus *Elul*, ſeptimus *Tiſri* cui olim nomen *Ethanim*, octavus *Marcheſvan*, nonus *Kisleu*, aut *Kasleu*, decimus *Thebet*, undecimus *Shebet*, duodecimus *Adar*. Cùm annus fiebat tredecim menſium, qui addebatur, appellabatur *Veadar*, quaſi dicas, *& Adar* ſive *ſecundus Adar*.

Non ſolùm diverſa tempora diſtinguimus motu ſiderum, ſed & ipſa rerum diverſitate. Diverſæ tempeſtates ſibi invicem ſuccedunt; etenim poſtquàm terra ge-

ra gelu conſtricta eſt, ſolvitur, aperit ſe, & herbas producit, deinde, æſtuat calore, quo matureſcunt ſegetes & fruges, ut poſſint colligi, antequam hyems redeat. Has tempeſtates efficit ſol, prout accedit aut recedit, & longior vel brevior eſt mora illius ſupra Horizontem.

His & illis Horizontis partibus oritur & occidit, eundem tamen tramitem inſiſtens, nempè percurrens Zodiacum, cujus obliquitate efficitur, ut per æſtatem dies longiores ſint, & breviores tempore hyemis.

In Zodiaco notantur quatuor puncta, quæ illud in quatuor quadrantes dividunt. Aſtronomi inter duos polos ſive puncta circa quæ vertitur mundus, excogitant circulum in duas partes ſecantem cœlos, quem ideò nominant *Æquatorem*. Ille bis ſecat Zodiacum duobus in punctis, quæ ut ſol attigit bis in anno, dies fiunt æquales noctibus,

Primum punctum initium eſt veris, aliud initium Autumni. Cùm ab his punctis ſol remotior eſt, ſi nobis tunc proximus ſit, æſtas eſt. Si ultra Æquatorem tunc verſetur, fit hyems. Illa verò duo puncta Zodiaci, quibus ſol magis aberrat ab Æquatore dicuntur *ſolſtitia*; aliud æſtivum, aliud hybernum eſt.

Olim annua ſolis converſio, qua circulum ſuum integrum peragrat, habebatur 365. dierum & ſex horarum; quæ horæ collectæ quarto quoque anno diem efficiebant, quo ille annus creſcebat. Scilicet cùm alii anni ſtatuantur 365. dierum, ille fiebat 366. & hic dies quo creſcebat annus, inſerebatur ſexto die ante kalendas menſis Martii, ſive bis dicebatur ſexto Kalendas; propterea annus ille dicebatur *biſſextilis* à Romanis, illi ſic ſolebant partiri ſuos menſes, ut prima dies calendæ vocarentur, quia *calebantur* populi hac die ad urbem, nempe convocabantur καλέω voco. Monebantur de die altera, qua iterum convenire debe-

Digitized by Google

debebant ad urbem, ut diſcerent novum ordinem ſacrificiorum per reliquum menſem; ideò dicebatur illa dies, *nona* quaſi *nova*. Alii cenſent, ut videtur melius, quòd hæc dies novem diebus præcederet *idus* menſis, id eſt, medietatem; *iduare* enim idem eſt quod *dividere*. Sic diverſis diebus menſis nomen adſcribebant Romani ab illis tribus partibus. Prima dies Januarii dicebatur *calendis*. Deinde ſecundus dies *quarto nonas*, tertius *tertio nonas* quartus *pridie*, quintus *nonis*. Deinde ſubſequentes dies *idus* 8.7.6.5.4.3. deinde *pridie*, tandem *idibus*; & uſque ad ultimum diem qui dicebatur *pridie calendas*, prout antecederent, appellabantur vel *quinto* vel *ſexto calendas*. Scire intererat kalendarium Hebræorum quoad rationem anni convenire cum Romano; ſive utriuſque menſuram pendere ex vera anni quantitate, quam tandem elapſis multis ſæculis Aſtronomi deprehenderunt olim majorem habitam quàm par erat, nempe undecim minutis; quo fiebat ut initia menſium jam non reſponderent iiſdem anni tempeſtatibus. Etenim æquinoctium vernum quod tempore Concilii Nicæni obtinebat diem 20. ac 21. Martii, decimo-ſexto ſæculo in dies Martii 10. & 11. incidebat; quippe cardo ille propter biſſextilem diem ultrò citroque fluctuat ac biduum occupat. Ne autem aliquando incideret in hyemem menſis Martius & Aprilis, qui ex eo nomen habet, quod terra tunc ſe aperit, expunctis decem diebus, ad priſtinas metas ſæculi Nicæni relatum eſt dictum æquinoctium. Et ut deinceps evagari deſineret, ſive non elongaretur à Martii 20. vel 21. quia annus 365. dierum cum ſex horis major eſt, ut dictum eſt, quàm par eſt, nempe undecim minutis, quæ intra centum triginta annos conficiunt unum diem. Conſtitutum, inquam, eſt ut poſt centum annorum numerum non biſſextili die creſceret annus; quo tamen

non careret quartum quoque ſubſequens ſæculum, quia in quatuor ſæculorum intervallo undecim minuta non quatuor dies integros, ſed etiam paulò plus quàm tres dies conficiunt, ut explicant qui de illa anni correctione ex profeſſo diſſerunt.

Apud Hebræos primus menſis debebat concurrere cum ea tempeſtate anni, qua novæ ſegetes vireſcunt, qui ideò in Scripturis appellatur menſis novarum frugum. Id ex duabus legibus, quarum hæc præcipiebat, ut poſtridie feſti Paſchatis offerretur manipulus ex ſegete hordeacea, non quidem ſemper matura, ſed virenti; torrebantur enim ſpicæ, ut ſuo loco dicetur, cùm de feſto manipulorum ſermo fiet. Altera lege innumeri agni in Paſchate erant mactandi, quos hyemis tempore difficile fuiſſet reperire. Igitur ſatagendum erat, ut primus menſis, in quo Paſcha mactandum, non omnino antecederet æquinoctium. Ut cum iiſdem anni tempeſtatibus ſemper concurrerent iidem menſes, ex tribus annis ille qui deſinebat, augebatur uno menſe, ita ut haberet tredecim menſes. Duodecim menſes lunares, ſive duodecim lunationes, non efficiunt, niſi 354. dies cum horis 8. minutis 48. cum aliquibus ſecundis. Ita annus lunaris qui ſolùm conſtat duodecim menſibus lunaribus, minor eſt anno ſolari undecim diebus, horis duabus & minutis aliquibus. Dixi Judæos non tam ex ſcientia, quàm ex lunæ viſione diſtribuiſſe tempora. Cùm ergo ex ipſis rebus intelligerent abeſſe vernum tempus, in quod neceſſe erat, ut menſis primus incideret, lunationem quæ *Adar* menſem duodecimum ſequebatur, non habebant pro *Niſan* menſe primo, ſed pro decimo tertio menſe. Scilicet ſtatutum erat, ut hujus lunationis, quæ primum menſem faciebat, plenilunium ſemper contingeret poſt æquinoctium, id eſt, poſt diem in quo ſol primum Arietis gradum ingrediens, facit

diem

Digitized by Google

diem noƈti parem. Sic ab hieme removebant menſem primum ſine ulla alia obſervatione Aſtronomica. Menſis ille intercalatus, ſive additus, appellabatur *Embolimæus*, quaſi dicas inſititius.

Annorum initia, ſive converſiones, ſive revolutiones Judæi appellant *tekuphot*. Quatuor autem in annis ſolaribus obſervant initia, ſive *tekuphot*. Prima *tekuphah* ſtatim ſtatuta eſt in autumno, initio menſis ſeptimi *Tiſri*, qui olim primus erat; poſtea enim Moyſes menſem *Niſan*, ut notat Joſephus (*Lib. Antiquit. cap.* 4.) primum in ſuis faſtis ordinavit; quod per hunc Hebræos ex Ægypto eduxiſſet; eundem etiam omnium, quæ ad rem divinam pertinerent, exordium fecit: alioqui quod ad nundinationes rerum venalium, reliquamque diſpenſationem anni attinet, nihil de priſtino ritu innovavit. Ergo quantùm ad feſta & res Eccleſiaſticas, annum ordiuntur Judæi à Niſan: in politia verò menſis *Tiſri* habetur primus. Duo autem illi menſes concurrebant cum æquinoƈtiis. In altero inchoabatur meſſis; alius incipiebat poſt colleƈtas fruges.

Aliud duplex anni initium aſſignatur à Talmudiſtis: unum in prima die *Elul*, à quo numeratur novus annus decimandi pecoris; ſcilicet quot ab illa die nata eſſent pecora, ut decimum quodque conſecraretur Deo. Prima verò die menſis *Shebet*, vel quinta decima die eſt novus annus plantationis arborum. Ex lege non comedendi erant fruƈtus ex arbore, niſi poſt tres annos, quo toto tempore arbor cenſebatur immunda (*Levit. cap.* 19.) Tres illi anni numerabantur ab iſto tempore quo currit *Shebet*, & quo ſolent arbores ſulcis deponi.

Anni multiplices erant. Primus annus, conſtans duodecim menſibus lunaribus, vel tredecim, ſi intercalaris eſſet: *Sabbatarius*, conſtans ſeptem annis:

tertius *Jubilæus*, poſt tranſactos ſeptem ſabbatarios annos. Poſt ſex annos, ſeptimo terra quieſcebat: agri inculti relinquebantur: Judæi non ſementem faciebant hoc anno, neque metebant, vineas non putabant, nec uvas colligebant. Quicquid ſpontè naſcebatur, id omnibus erat commune, & indifferenter à quibuſvis colligebatur.

Per ſex annos qui agricolationi deſtinati erant, & præcipuè ſexto anno tantùm colligebant & recondebant Judæi, ut trium annorum ſpatio, à ſexto videlicet anno uſque ad nonum, de repoſitis vitam tolerare poſſent. Annus præcedens erat fæcundior, ut promittit Deus in Levitico (*Cap.* 25. 20.) *Quod ſi dixeritis: quid comedemus anno ſeptimo, ſi non ſeverimus, neque collegerimus fruges noſtras? Dabo benedictionem meam vobis anno ſexto, & faciet fructus trium annorum.* Sabbatarius ille annus cum ſex annis præcedentibus conſtituebat hebdomadem annorum. Inſuper præceperat Deus Moſi, ut numerarentur ſeptem hebdomades annorum, id eſt, ſepties ſeptem, quæ ſimul faciunt annos quadraginta novem. Annus ille quadrageſimus nonus, ut vidimus, dicebatur *Jubilæus*, & erat annus remiſſionis, quia in eo unuſquiſque revertebatur in poſſeſſionem ſuam ex qua fuerat ejectus, ſive quam vendiderat ultrò aut coactè, ut æs alienum ſolveret: ſervis reſtituebatur libertas. Dicebatur *Jubilæus*, quia annuntiabatur cornu arietis; ſic ſentiunt qui volunt arietes ab Hebræis appellari *jobelim*; ſunt qui putant *jubal* antiquitùs idem ſignificare quod *tuba canere*, unde Jubal (*Geneſ.* 4. 21.) dictus eſt *pater canentium cythara & organo.* Viri docti non conveniunt de etymo *Jubilæi.* Ex Joſepho libertatem ſignificat vox illa, deducique poteſt à verbo Hebræo *jabal*, quod ſonat *afferre*, *adducere*, ſcilicet quia annus Jubilæus afferebat libertatem,

tatem; & in eo patebat acceſſus ſive reditus ad priſtinas poſſeſſiones. Romæ cùm egentiorem quemque ditior aliquis pretio expelleret, atque is, dum rura in immenſum ſpatiis ſupervacuis extenderet, alios neceſſariò excluderet, cautum fuerat ne quis pluſquam quingenta jugera haberet. Hæc lex dicta eſt *agraria*, quia cavebat ne quis in agros vicinorum irrumperet. Verùm avaritiam meliùs retundebat lex Jubilæi.

Deus inſtituens has annorum hebdomades, nempe annum ſabbatarium & jubilæum, renovabat memoriam creationis quam abſolverat ſeptima die: tum & imaginem aureæ ætatis, ſive conditionis hominum ſi non peccaſſent. Nam in anno ſeptimo omnia erant communia; quidquid ſponte naſcebatur in quocumque agro permittebatur uſui omnium. In jubilæo ſervi recuperabant libertatem, & in avitas poſſeſſiones, quiſquis fuerat ejectus, redibat. Ita jubilæus coercebat cupiditatem: nam quidquid quis eripuiſſet, ſeu vi ſeu coemptione, excidebat manibus cùm jubilæus advenerat. Quomodo & quando fieret agrorum & libertatis reſtitutio docet nos Maimonides: *Ab initio anni uſque ad diem Expiationum neque dimittebantur ſervi, nec ſerviebant dominis ſuis; ſed nec agri reſtituebantur. Quid igitur? Edebant bibebantque ſervi, atque hilares erant, & coronam quiſque capiti ſuo impoſuit. Mox cùm dies Expiationum veniſſet, Senatores ſanhedrin tubis clanxere, atque è veſtigio liberi abierunt ſervi, & redita dominis prædia ſunt.* Quemadmodum Græci olympiadibus, Romani luſtris, ita Judæi tempora numerabant Jubilæis.

Cùm in Scriptura ſint hebdomades multiplices, quoties in illa de hebdomadarum numero ſermo fit, animadvertendum an ſimplices ſint, ſeu hebdomades

Digitized by Google

dierum, an de annorum hebdomadibus mentio fiat. Jeremias, quando Judæam invaſit Nabuchodonoſor, & Joakim Regem catenis vinxit, prædixerat ab hacce die fore ut Judæi captivi degerent Babylone per ſeptuaginta annos. Ubi elapſi ſunt, Cyrus potitus Babylone dimiſit Judæos liberos. Ubi verò jam complendi eſſent, ſignificavit Daniel poſt ſeptuaginta hebdomadas, nempe annorum, quæ conſtant 490. annis, occidendum Chriſtum; harumq; hebdomadum initium deſignavit decretum quo rex Perſarum permiſit ut iterum ædificaretur Jeruſalem. Tunc certatim Judæi admoverunt manus ædificio ſuæ urbis; ideò hocce initium latere non potuit. Decretum datum eſt anno vigeſimo Artaxerxis regis Perſarum, ab orbe condito 3550. Huic annorum numero adde 490. annos, incidit in tempus circa quod JESUS CHRISTUS Dominus noſter occiſus eſt.

Æræ Judæorum, ſive puncta notabilia à quibus annos ſolent numerare, ſunt vel conditus mundus, vel ab Ægyptiaca ſervitute Iſrael liber dimiſſus; vel Templum conditum à Salomone. Cœperunt poſtea ſupputare annos ſuos, & conſcribere omnes contractus ſuos à tempore quo Alexander Macedo, dictus Magnus, invaſit regnum Perſarum; hoc enim rege mortuo, ſub jugo Græcorum fuere, qui illis dominati ſunt. Hæc æra dicta eſt contractuum, qua uſi ſunt Judæi, etiam poſtquam jugum Græcorum excuſſerunt. Ante hanc æram contractuum mira eſt ignorantia Judæorum circa chronologiam uſque ad tempus quo deficit Scriptura, nempe uſque ad Nehemiam. Conſtantiſſima eſt omnium Judæorum aſſertio, inquit Morinus (*Exercitation. Biblicar. lib. 2. exercit. v.*) Perſici imperii durationem non exceſſiſſe annos quinquaginta duos, cùm omnibus antiquæ hiſtoriæ monumentis certum ſit illam durationem

nem non multùm infra ducentos annos eſſe. Pariter ab regno inchoato Alexandri magni uſque ad tempora Machabaica, totum illud intervallum prætermittunt ſilentio. Nihil habent quod de ſuorum geſtis proferre poſſint, ut Morinus demonſtrat.

KALENDARIUM JUDAICUM.

MONITUM.

IN eo notantur feſta, tum à lege olim præſcripta, tum poſtea inſtituta: dies angariarum, ſive jejunia; & lectionis ex ſacris Scripturis eo ordine quo in ſynagogis legebantur. Præter ſolemnia legalia, & quæ poſt excidium prioris Templi inſtituta ſunt, addimus ea quæ nunc Judæi obſervant in ſuis Kalendariis.

Dies angariarum vocant Judæi in quibus jejunant & affligunt animas ſuas. Non iiſdem diebus aſſignantur in diverſis Kalendariorum editionibus. Advertendum autem eſt quòd cùm dies Judæorum, & ideò feſta inciperent ab occaſu ſolis, hæc cadant in duos dies Kalendarii Romani. Si enim, verbi gratia, dies Paſchatis, nempè dies decimus quartus Niſan inciperet die ſecunda Aprilis ad occaſum ſolis, hoc feſtum referri poſſet etiam ad tertiam diem Aprilis.

A primis temporibus legunt Judæi in ſuis ſynagogis legem, quam ſic partiti ſunt, ut ſingulis ſabbatis paraſcha, id eſt, portionem legis, ſive lectionem legentes, integram intra anni ſpatium evolvant, ſive annus ſit embolimæus, ſive non: nam ſi eſſet communis, tum lectiones circa finem Deuteronomii longiores erant & pauciores, ſin embolimæus fuerit, tum pro numero Sabbatorum, in plures & breviores partie-

 bantur,

Digitized by Google

bantur, ea tamen conditione ut in feſto Tabernaculorum, integra perlecta lege. rurſum à Geneſi exordiantur; in hoc enim feſto prima Geneſeos paraſcha legitur. Quoad lectiones exſcripſi Ligfootium.

Nullo monente quiſque advertere poteſt menſes Judaicos non ſemper concurrere cum iiſdem menſibus noſtris aut partibus eorum; quia lunatio paſchalis v. c. modò citior, modò tardior fit: preterquam ex eo quod dies Hebraeorum inciperent ab occaſu, ideò menſes eorum. poſſunt incidere in duos menſes Romanorum, ſed etiam contingit ut non concurrant. Diximus pro primo menſe Judaico illam lunationem habitam cujus plenilunium proximè ſequeretur æquinoctium vernum; quare fit, ut experimur, lunationem illam aliquando menſis intervallo removeri; nempè in Martium menſem, aut in Aprilem incidens. Ita de cæteris menſibus Judaicis, qui omnes duobus menſibus Romanis reſpondere poſſunt.

MEN-

Digitized by Google

MENSIS TISRI,
olim dictus *Ethanim*.

I. Civilis. VII. Eccleſiaſticus.

Plenus, ſeu triginta dierum.

Cadens in partem Septembris & Octobris.

1 ROſch Haſchana. Principium anni, nimirum civilis. *Feſtum Tubarum*, ſive *Clangoris* (*Levit. cap.* 23. *verſ.* 24. 25. *Num. cap.* 29. *verſ.* 1. 2.)
2
3 *Jejunium Godoliæ*, quia tum occiſus eſt Godolias filius Ahicam, filii Sapham, & Judæi qui cum eo erant in Maſpha (4. *Reg. c.* 25. *Jerem. cap.* 41. *v.* 2. Hoc *jejunium* apud Zachariam (*cap.*8. *v.* 19.) dicitur *ſeptimi*, nempe menſis.
4
5 *Jejunium*. Moriuntur viginti Iſraelitæ, Rabi Akiba, filius Joſeph conjicitur in vincula, ubi moritur.
6
7 *Jejunium* ob decretum in patres noſtros gladium & famem propter vitulum fabricatum.

Lectiones.

Deuteronomii cap. 26. v. 1. ad cap. 29. v. 10. Iſai. cap. 60. verſ. 1. ad finem capitis.
8
9
10 *Jejunium* Kippurim, ſive expiationis (*Levit. cap.* 23. *v.* 17.)
11
12

Digitized by Google

13

14

Lectiones.

Deuter. cap. 29 verſ. 10. ad cap. 31. verſ. 1. Si quando plures erant in anno ſeptimanæ; aliter etenim uſque ad finem libri lectionem producebant.

Iſai. cap. 61. v. 10. ad cap. 63. verſ. 10.

15 *Tabernaculorum Feſtum* ſive *Scenopegia*; quæ ſeptem dierum erat, & inſuper octavam diem habebat.

16

17

18

19

20

21 *Hoſanna Rabba*, ſeu ſeptima Tabernaculorum. ἡ ὀσχοφορία id eſt, *Feſtum Ramorum*.

Lectiones.

Geneſ. cap. 1. verſ. 1. ad cap. 6. verſ. 9.

Iſai. cap. 42. verſ. 5. ad cap. 43. verſ. 11.

22 *Octava Tabernaculorum* Aatſereth (*Levitic.* 23. 26.)

23 *Feſtivitas legis*, ſive gaudium legis & benedictio, in hoc Feſto recolunt Judæi teſtamentum & mortem Moſis Legiſlatoris.

Dedicatio Templi Salomonis abſoluta eſt hac die (3. *Reg. cap.* 8. *verſ.* 65. 66.) *Septem diebus & ſeptem diebus, id eſt, quatuordecim diebus* celebrata eſt iſta dedicatio; *& in die octava dimiſit populos* Salomon.

24

25

26

27

28

Digitized by Google

Lectiones.

Geneſ. cap. 6. verſ. 9. ad cap. 12. v. 1.

Iſai. cap. 54. v. 1. ad cap. 55. verſ. 5.

29

Lectiones.

Geneſ. cap. 12. v. 1. ad cap. 18. verſ. 1.

Iſai. cap. 40. v. 27. ad cap. 41. verſ. 17.

30

MENSIS MARHESVAN, vel Marcheſvan.

II. Civilis. VIII. Eccleſiaſticus.

Cavus ſive viginti novem dierum.

Cadit in partem Octobris & Novembris.

1 N*Eomenia.*

2

3

Lectiones.

Geneſ. cap. 18. verſ. 1. ad caput 23. verſ. 1.

Libro 2. Reg. cap. 4. ab initio ad verſum 38. ejuſdem capitis.

4

5

6 Hac die *jejunium* ob excæcatum Sedechiam Regem Judæ, & ejus filios coram ipſo interfectos à Nabuchodonoſor (4. *Reg. cap.* 25. *v.* 27.)

7

8

Lectio-

Lectiones.

Geneſ. cap. 23. verſ. 1. ad cap. 25. verſ. 19.
Lib. 1. Reg. cap. 1. verſ. 1. ad verſum 32.

9
10
11
12
13
14
15

Lectiones.

Geneſ. cap. 25. verſ. 19. ad cap. 28. verſ. 10.
Malach. cap. 1. verſ. 1. ad cap. 2. verſ. 8.

16
17
18
19
20
21
22
23

Lectiones.

Geneſ. cap. 28. verſ. 10. ad cap. 32. verſ. 3.
Oſee. cap. 11. verſ. 7. ad cap. 14. verſ. 2.

24
25
26
27 Petitio pluviæ tempeſtivæ in autumno, quam Hebræi apellant *Jore* (*Jerem. cap.* 5. *v.* 24. *Deut. cap.* 11. *v.* 14.) quæ neceſſaria eſt ſementi. Juxta Genebrardum hæc pluvia non petebatur niſi menſe ſequenti: forſan in alterutro, prout ferebat tempus.
28
29

MEN-

MENSIS KISLEU,
ſive Kasleu.

III. Civilis. IX. Eccleſiaſticus.

Plenus ſive triginta dierum.

Cadit in partem menſis Novembris & Decembris.

1 N*Eomenia*.
2
3

4 *Lectiones*.
5
6

Geneſ. cap. 32. verſ. 3. ad cap. 37. verſ. 1.
Abdiæ totum caput vel *Hos*. cap. 12. verſ. 12. ad finem libri.

7 *Jejunium* ob combuſtum à Rege Joachim volumen, quod ſcripſerat Baruch, dictante Jeremia (*cap.* 36. *verſ.* 23.) Hoc jejunium inſtitutum dicit Scaliger ob excæcatum Sedekiam, & jugulatos coram eo ejus filios.
8
9
10

Lectiones.

Geneſ. cap. 37. verſ. 1. ad cap. 41. verſ. 1.
Amos cap. 2. verſ. 6. ad cap. 3. verſ. 9.

11

11
12
13
14
15
16
17

Lectiones.

Geneſ. cap. 41. verſ. 1. ad cap. 44. verſ. 18.
Lib. 1. Reg. cap. 3. verſ. 15. ad finem capitis.

18
19
20
21
22
23
24
25 *Dedicatio Templi* ſive *Encænia*, cujus mentio fit libro ſecundo Mach. (*cap. 1. verſ. 16.*) *lumina* vel *luminarium Feſtum* appellatur à Joſepho (*Lib. 12. Antiq. cap.* 10.) celebrabatur diebus octo ob lumen Religionis à Macedonibus extinctæ recuperatum. Petitio pluviæ, quæ *Jore* Hebraicè appellatur (*Deuter. cap.* 11. *verſ.* 14.) prima & temporanea. Item pluvia ſementis; tunc ex Genebrardo tempus ſerendi in Judæa.
26

Lectiones.

Geneſ. cap. 44. verſ. 18. ad cap. 47. verſ. 27.
Ezechiel cap. 37. verſ. 15. ad finem capitis.

27
28
29
30

MEN-

Digitized by Google

MENSIS THEBET,

IV. Civilis. X. Eccleſiaſticus.

Cavus, ſive viginti novem dierum.

Cadit in partem Decembris & Januarii.

1 N*Eomenia.*
2
3

Lectiones.

Geneſ. cap. 41. verſ. 27. ad finem libri.
Lib. 1. Reg. cap. 2. ab initio ad verſum 13.

4
5
6
7
8 *Jejunium*, quòd illo die lex in Græcum verſa ſit tempore Ptolemæi Regis, & tenebræ occuparint mundum triduo. Hinc, inquit Genebrardus, Judæos Alexandriæ LXX. Interpretum memoriam coluiſſe anniverſario Feſto, Philo tradit *lib. 10. de vita Moſis*. Verùm Judæi Græca lingua utentes, ſive Helleniſtæ, & Judæi hebraizantes non conveniebant. Idem ille dies aliis cauſa fuit mœroris, aliis lætitiæ. Græcam verſionem odio habent Judæi qui nunc hebraizant omnes.
9 *Jejunium*. Non ſcripſerunt Magiſtri, quare ea dies notata inter dies afflictionis.
10 *Jejunium*. Quod appellatur decimi, quando admovit

movit manum ſuam rex Babylonis, ad obſidendum & expugnandum Hieroſolymam.
11

Lectiones.

Exod. cap. 1. verſ. 1. ad cap. 6. verſ. 1.
Iſai. cap. 27. verſ. 6. ad cap. 28. verſ. 14. vel
Jerem. cap. 1. verſ. 1. ad cap. 2. verſ. 4.

12
13
14
15
16
17

Lectiones.

Exod. cap. 6. verſ. 2. ad cap. 10. verſ. 1.
Ezech. cap. 28. verſ. 25. ad finem capitis 29.

18
19
20
21
22
23
24
25

Lectiones.

Exod. cap. 10. verſ. 1. ad cap. 13. verſ. 17.
Jerem. cap. 46. verſ. 13. ad finem capitis.

26
27
28
29

MEN-

M E N S I S S H E V E T H,

vel Shebet, vel Schebat, vel Sebat.

V. Civilis. XI. Eccleſiaſticus.

Plenus, triginta dierum.

Incidit in partem Januarii & Februarii.

1 NEomenia. Principium anni arborum, nempe à quo numerantur quinque anni, quibus completis licebat arboris novos fructus comedere. (*Levit.* 19. 24.)

2

3

Lectiones.

Exod. cap. 13. verſ. 17. ad cap. 18. verſ. 1.
Jud. cap. 4. verſ. 4. ad cap. 6. verſ. 1.

4

5

6

7

8 *Jejunium*, quoniam tunc mortui ſunt juſti, qui extiterant diebus Joſue (*Judic. cap.* 2. *verſ.* 10.)

9

10

Lectiones.

Exod. cap. 18. verſ. 1. ad cap. 21. verſ.. 1.
Iſai. cap. 6. integrum.

11
12
13
14
15

Lectiones.

Exod. cap. 21. verſ. 1. ad cap. 25. verſ. 14.
Jerem. cap. 34. verſ. 8. ad finem capitis.

16
17
18
19
20
21
22
23 *Jejunium.* Ob id ſcilicet quod Iſraelitæ congregati ſunt omnes adverſus Tribum Benjamin propter concubinam in Gabaa violatam, & propter idolum Michæ (*Judic. cap.* 20.)
24
25
26

Lectiones.

Exod. cap. 25. verſ. 1. ad cap. 27. verſ. 20.
Lib. 1. Reg. cap. 5. verſ. 12. ad cap. 6. verſ. 14.

27
28
29

Lectiones.

Exod. cap. 27. verſ. 20. ad cap. 27. verſ. 11.
Ezech. cap. 43. verſ. 10. ad finem capitis.

30

MEN-

Digitized by Google

MENSIS ADAR,

VI. Civilis. XII. Eccleſiaſticus.

Cavus, ſive viginti novem dierum,

Cadit in partem Februarii & Martii.

1 NEomenia. Ex Genebrardo, *Teruma*, id eſt, primitiæ quæ offerebantur.
2
3

Lectiones.

Exod. cap. 30. verſ. 11. ad cap. 35. verſ. 1.
Lib. 1. Reg. cap. 18. verſ. 1. ad verſ. 39.

4
5
6
7 Mortuus eſt Moſes magiſter noſter (*Deuter.* 34. *verſ.* 5. *&* 6.) quare & jejunium.
8
9 *Jejunium.* Schola Sammai, & ſchola Hillel inter ſe contendere cœperunt.
10
11
12

Lectiones.

Exod. cap. 35. verſ. 1. ad cap. 38. verſ. 21.
Lib. 1. Reg. cap. 17. verſ. 13. ad verſ. 26. ejuſdem capitis.

13 Feſtivitas decreta, quia Nicanor in ea interfe-

Digitized by Google

ctus eſt. (2. *Mach.* 15. *verſ.* 37.) Genebrardus ibi collocat jejunium Eſther.

14 *Sortium feſtum minus* (*Eſther.* 1. 4. *verſ.* 16.)

15 *Sortium feſtum majus* (*Eſther.* *cap.* 9. *verſ.* 16.)

In 2. lib. Mach. hi dies vocantur Mardochæi.

In Talmude tractatu *Shekalim*, dicitur quod decimaquinta menſis Adar ſedent Menſarii in urbibus, & vigeſima quinta ſedent in Templo ad exigendum dimidium ſicli, quod tributum quiſque Judæus Templo pendebat.

Dedicatio Templi Zorobabelis, facta quidem eſt in hoc menſe, ut videre eſt in Eſdræ lib. 1. cap. 6. verſ. 16. ſed non dicitur quo die.

16

17

18

Lectiones.

Exod. cap. 38. verſ. 21. ad finem libri.

Lib. 1. Reg. cap. 7. verſ. 50. ad cap. 8. verſ. 21.

19

20

21

22

23

24

Lectiones.

Levit. cap. 1. verſ. 1. ad cap. 6. verſ. 1.

Iſai. cap. 43. verſ. 21. ad cap. 44. verſ. 24.

25

26

27

28

Digitized by Google

28

29

Locus Emboliſmi, ſive menſis Embolimæi, nempe qui certo anno inſerebatur; ut ille annus fieret tredecim lunarium menſium. Ille tertius decimus menſis appellabatur Ve-Adar, id eſt, *Adar ſecundus.*

Digitized by Google

MENSIS ABIB,
ſive Niſan.

VII. Civilis. I. Eccleſiaſticus.

Plenus ſive dierum triginta.

Cadit in partem Martii & Aprilis.

1 N*eomenia.*
Jejunium, quod eo die mortui ſunt Aaronis filii (*Levit.* 10, 1.)
2
3

Lectiones.

Levit. cap. 6. verſ. 1. ad cap. 9. verſ. 1.
Jerem. cap. 7. verſ. 21. ad cap. 8. verſ. 4.

4
5
6
7
8
9
10 *Jejunium* ob mortem Mariæ (*Num.* 20. 1. *& c.* 3. 4. *& c.* 6. 1.) Hac die decima eligebatur Agnus Paſchalis, qui mactabatur die decima quarta.
11
12

Lectiones.

Levit. cap. 9. verſ. 1. ad cap. 12. verſ. 1.
Lib. 2. Sam. cap. 6. verſ. 1. ad cap. 7. verſ. 17.

13

Digitized by Google

13
14 *Paſcha*, exterminatio fermenti. Comburitur quidquid reperitur panis fermentati poſt exactam inquiſitionem.
15 *Azyma*.
16 *Craſtinus dies Sabbati*, ſive *Feſti*, nempè Paſchatis ſecundus dies, in quo offertur *Omer* ſive manipulus novæ meſſis hordeaceæ, qui ſolemni pompa deferebatur ad Templum. Ab hac die ſecunda poſt Paſcha numerantur dies Pentecoſtes ſive quinquaginta dies, quibus completis celebrabatur feſtum Pentecoſtes.

17
18
19

Lectiones.

Levit. cap. 12. verſ. 1. ad cap. 14. verſ. 1.
Lib. 2. Reg. cap. 4. verſ. 42. ad cap. 5. verſ. 20.

20
21 *Solemnitas finis Azymorum.*
22
23
24
25
26 *Jejunium.* Moritur Joſue filius Nun.
27

Lectiones.

Levit. cap. 14. verſ. 1. ad cap. 16. verſ. 1.
Lib. 2. Reg. cap. 7. verſ. 3. ad finem capitis.

28

Digitized by Google

29 Notat Genebrardus hoc menſe factam petitionem pluviæ, quam *Malkoſch* appellant, tardam, ſerotinam, vernam, meſſi mox futuræ commodiſſimam (*Zachar.* 10.)

30

Digitized by Google

MENSIS JIAR,

VIII. Civilis, II. Eccleſiaſticus;

Cavus, ſive viginti novem dierum,

Cadit in partem Aprilis, & Maji.

1 NEomenia.
2
3 *Lectiones.*
Levit. cap. 16. verſ. 1. ad cap. 19. verſ. 1. Ezech. cap. 22. verſ. 1. ad verſum 17. ejuſdem capitis.
4
5
6
7
8
9
10 Jejunium; quod eo die obierit Heli, & capta ſit Arca fœderis. Lib. 1. Reg. cap. 4. verſ. 18.
11 *Lectiones.*
Levit. cap. 19. verſ. 1. ad cap. 21. verſ. 1. Amos cap. 9. verſ. 7. ad finem lib. vel Ezech. capit. 20. verſ. 2. ad verſ. 21.
12
13
14 Paſcha ſecundum celebrandum ab iis quibus non licitum fuerat, vel non potuerant Paſcha celebrare menſe primo.
15
16
17
18
19

Le-

Lectiones.

Levit. cap. 21. verſ. 1. ad cap. 25, verſ. 1. Ezech. cap. 4. verſ. 15. ad finem.

20

21

22

23 Simon Gazam capit ex Scaligero.

24

25

26

Lectiones:

Levit. cap. 25, verſ. 1. ad cap. 26, verſ. 3. Jerem. cap. 32. verſ. 6. ad verſ. 28.

27

28 Jejunium. Moritur Samuel Propheta; plangitur ab omni populo.

29

MENSIS SIVAN, vel Sivuam,

IX. Civilis, III. Eccleſiaſticus.

Plenus, dierum triginta,

Cadit in partem Maji, & Junii.

1 Neomenia.

2

3

Lectiones:

Levit. cap. 26, verſ. 3. ad finem libri, Jerem. cap. 16. verſ. 19. ad caput 17. verſ. 15.

4

5

6 Pentecoſte, ſive Feſtum ſeptimanarum, nempè ſeptem

Digitized by Google

ſeptem completarum hebdomadarum à die ſecunda poſt Feſtum Paſchatis.

7

8

9

10

Lectiones.

Num. cap. 1. verſ. 1. ad cap. 4. verſ. 21. Oſ. c. 1. verſ. 10. ad cap. 2. verſ. 21.

11

12

13 In hac octava die fuiſſe magnam celebritatem dicit Genebrardus, ſed fallitur, neque enim habebat octavam ſive *Aatſereth*, ſed ipſa Pentecoſte erat quaſi *Aatſereth*, hoc eſt, concluſio Paſchatis.

14

15

16

17

18

Lectiones.

Num. cap. 4. verſ. 21. ad capit. 8. verſ. 1. Judic. cap. 13. verſ. 2. ad finem capitis.

19

20

21

22

23 Jejunium. Quòd decem Tribus tunc deſierint primitias portare Jeroſolymam diebus Jeroboam. Lib. 3. Reg. cap. 12. verſ. 27.

24

25 Jejunium ob interfectum Magiſtrum Simeonem Gamalielis filium, & Magiſtrum Iſmaelem Eliſæi filium, & Magiſtrum Hananiam Saggan, ſive Sacerdotem ſecundum.

26

Le-

Digitized by Google

Lectiones.

Num. cap. 8. verſ. 1. ad cap. 13. verſ. 1. Zachar. cap. 2. verſ. 10. ad cap. 4. verſ. 8.

27 Jejunium. Combuſtus eſt Rabbi Hanina filius Tardion unà cum libro legis. Jerem. c. 26. verſ. 13.

28

29

30

MENSIS TAMMUZ, ſive Tamuz.

X. Civilis, IV. Eccleſiaſticus,

Cavus, ſive viginti novem dierum;

Cadit in partem menſis Junii, & Julii.

1 Neomenia.

2

3

Lectiones.

Num. cap. 13. verſ. 1. ad cap. 16. verſ. 1. Joſue cap. 2. totum.

4

5

6

7

8

9

10

Lectiones.

Num. cap. 16. verſ. 1. ad c. 19. verſ. 1. lib. 1. Samuel cap. 11. verſ. 14. ad cap. 12. verſ. 23.

11

12

Digitized by Google

13
14
15
16
17 Jejunium quarti menſis ob tabulas legis fractas; Exod. capit. 32. verſ. 19. Item quia eo die deſiit ἐνδελεχισμὸς, ſive Sacrificium juge, & Epiſtemon legem combuſſit, poſuitque Idolum in Templo.
18
19

Lectiones.

Num. cap. 19. verſ. 1. ad capit. 22. verſ. 2. Jud. cap. 11. ad verſ. 34.

20
21
22
23
24
25
26

Lectiones.

Num. cap. 22. verſ. 2. ad cap. 25. verſ. 10. Mich. cap. 5. verſ. 7. ad cap. 6. verſ. 9.

27
28
29

Lectiones.

Num. cap. 25. verſ. 10. ad cap. 30. verſ. 2. Lib. 1. Reg. cap. 18. verſ. 46. ad finem capitis.

MEN-

MENSIS AB.

XI. Civilis, V. Eccleſiaſticus,

Plenus, triginta dierum,

Cadit in partem Julii, & Auguſti.

1 Neomenia. Jejunium quòd eo die Aaron Pontifex è vita exceſſerit.
2
3

Lectiones.

Num. cap. 30. verſ. 2. ad cap. 33. verſ. 1. Jerem. cap. 1. verſ. 1. ad cap. 2. verſ. 4.

4
5
6
7
8
9 Jejunium quinti menſis ob incenſam eo die Jeruſalem & Templum primò à Chaldæis, ſecundò à Romanis. Item quòd Moſis Principatu decretum à Deo manaverit patres noſtros non ingreſſuros terram promiſſam.
10
11
12

Lectiones,

Num. cap. 33. verſ. 1. ad finem libri. Jerem. c. 2. à verſu 4. ad verſ. 29.

13
14
15
16
17

18 Je-

Digitized by Google

18 Jejunium. Extincta eſt lucerna veſpertina in diebus Achaz Regis. Hanc lucernam Occidentalem vocat Genebrardus.

19

20 *Lectiones.*

Deuter. cap. 1. verſ. 1. ad cap. 3. verſ. 23. Iſai. cap. 1. verſ. 1. ad verſum 28.

21 Ex Seldeno in hunc diem incidebat Xylophoria, qua die portabantur ligna in Templum. Aliis placet in ſequentem menſem differre hoc feſtum.

22

23

24

25

26

27

28 *Lectiones.*

Deuter. cap. 3. verſ. 23. ad cap. 7. verſ. 12. Iſai. cap. 40. verſ. 1. ad verſ. 27.

29

30

MENSIS ELUL,

XII. Civilis, VI. Eccleſiaſticus,

Cavus, ſive viginti novem dierum.

Cadit in partem Auguſti, & Septembris.

1 NEomenia.

2

3 *Lectiones.*

Deut. cap. 7. verſ. 12. ad cap. 11. verſ. 26. Iſai. cap. 49. verſ. 14. ad cap. 51. verſ. 4.

4

5
6
7
8
9
10
11
12 *Lectiones*.
Deut. cap. 11. verſ. 26. ad cap. 16. verſ. 18. Iſai. cap. 54. verſ. 11. ad cap. 55. verſ. 4.
13
14
15
16
17 Jejunium. Moriuntur exploratores, qui diffamaverant terram, nimirùm promiſſionis.
18
19
20 *Lectiones* :
Deut. cap. 16. verſ. 18. ad cap. 21. verſ. 10. Iſai. cap. 51. verſ. 12. ad cap. 52. verſ. 13.
21 Xylophoria, Feſtum in quo portabantur Templo ligna.
22
23
24
25
26
27
28
29 *Lectiones*:
Deuter. cap. 21. verſ. 10. ad cap. 26. verſ. 1. Iſai. cap. 34. ab initio ad verſum 11.

Finis Kalendarii Judaici.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VI.

De Judæorum Feſtis.

ORdo poſtulat ut exponamus quibus ritibus celebrarentur feſtivitates illæ, quarum tempora in præcedenti Kalendario notantur. Feſtorum alia ſæpiùs in anno recurrebant, ut Sabbatum & Neomeniæ. Alia erant anniverſaria, ut Paſcha, Pentecoſte & cætera. Alia denique poſt aliquot annos recurrebant, ut annus ſeptimus ſive Sabbatarius; qui ideò ſolemnitatibus accenſeri poteſt, quia quaſi erat perpetuum Sabbatum, id eſt, quies. Quieſcebat terra inculta, quicquid tunc temporis ferret, cedebat pauperibus, vel feris. Debita à creditoribus non exigebantur hoc anno.

Similiter & inter ſolemnitates Judæorum numerare licet annum, qui jubilæus dicebatur; ſolemnis enim erat & feſtivus. Dabatur remiſſio ſervis, ut dictum eſt, & emptæ poſſeſſiones ad veteres dominos redibant: ſic cuſtodita eſt diſtinctio Tribuum; & cavit Legislator, ne divites prædia ad ſe rapere ſtuderent, & dum ſoli omnia poſſiderent, cæteri egeſtate premerentur, inſuper figurabat annus ille feſtivus tempus acceptabile, quo nobis reditus in cælum ſub Chriſto patuit, cujus poſſeſſione excideramus ſervi facti. Manumiſſio autem ſervorum & remiſſio poſſeſſionum non fiebat ante decimum diem menſis Tiſri, quo tempore illa publicata eſt tubis. Novem prioribus diebus hujus menſis feriabantur ſervi, genioque indulgebant, ſerta plectentes in ſignum propinquæ libertatis. Mox cùm dies expiationum veniſſet, Senatores Sanhedrin tubis clangebant, atque è veſtigio liberi abibant ſervi, & reddebantur dominis prædia. Hoc non vacat myſterio; aliter enim quàm ſanguine hoſtiæ

Digitized by Google

quæ hac die placabat Deum, hoc eſt ſanguine Chriſti quem hæc hoſtia figurabat, nec libertatem recuperare, ſed nec habere acceſſum ad cœlos poſſumus.

Feſta in anno ſæpiùs recurrentia ſunt primò ſabbatum, quod religiosè à Judæis obſervabatur. Vox iſta *Sabbatum*, ut diximus, venit à verbo Hebræo *ſabath*, *quieſcere*, quia in eo ab omni opere ceſſandum erat. Die veneris ſingula ad victum neceſſaria parabantur, qui ideò vocabatur *παρασκευὴ paraſceve*, id eſt, *præparatio*. Incipiebat Sabbatum die Paraſceves poſt occaſum ſolis; finiebatur verò poſt proximum occaſum ſolis, ut omnes feſti dies. Quandoque in Scripturis tota hebdomas vocatur Sabbatum. Omnia feſta in quibus ſcilicet erat quieſcendum, ſive tenebantur Judæi ceſſare ab omni opere, appellabantur Sabbata. Deus interdixerat ne quis ignem in ſabbato accenderet; ergo in paraſceve paulò ante occaſum ſolis, quiſque in domo ſua candelam accendebat, qua poſtera die uti poſſet. Omnia quæ niſi cocta non manducabantur, in craſtinum diem quoque coquenda erant. Ne autem dum inciperet Sabbatum, Judæi deprehenderentur cuipiam operi vacantes, inſtans illud ſignificabatur buccina ex ſolario celſæ alicujus domus. Primus ſonus edebatur tempore oblationis veſpertinæ, id eſt, circa nonam horam, quæ tertia noſtra eſt pomeridiana. Ad hunc ſonum, ceſſabant opera agri. Ad ſonum ſecundum, opera urbis, valvis ſubductis. Ad tertium, cùm ſol occaſui eſſet proximus, accendebant lucernas. Non ſemel obſervatum quà religione, ne ſuperſtitione dicam, ſolerent Judæi quietem ſabbati obſervare. Omninò illis quieſcendum erat; poterant tamen bis mille cubitos emetiri, iter agendo, quod ſpatium dicebatur *iter ſabbati*; quia ſcilicet cùm olim bis mille cubiti diſterminarent arcam & caſtra Iſraelitarum, & in ſabbatis orationis cauſa ad arcam accederent, ideò tantum ſpatii con-

Digitized by Google

conficere opinati ſunt non adverſari ſabbati quieti.

Jam de Neomeniis ſatis ſuperque locuti ſumus. Has ut feſtos dies obſervari non præceperat Deus; attamen circa illas religio Judæos inceſſerat, quia Deus præceperat (*Num. cap.*8. *v.*11.) ut in menſium initiis offerretur holocauſtum: undè tanta cura in eo die cognoſcendo, quo novilunia, ſive Neomeniæ contingerent, ut ſuprà vidimus.

Feſta majora celebranda erant in Hieroſolymis in Templo, ubi omnes maſculi apparere tenebantur ter in anno, nempè ad tria feſta Paſchatis, Pentecoſtes & Tabernaculorum; quæ lex ſpectabat tantùm maſculos, non mulieres, non virgines, quæ quandoque Scriptura appellat concluſas, abditas. De apparendo Hieroſolymis illis non poſita lex erat; ſed nec interdicebantur ab iſta apparitione.

Primum trium ſolemnium Feſtorum celebrandum erat decima quarta die menſis Niſan (qui primus eſt in rebus Religionis) ad veſperam, ſive potiùs *inter veſperas*, hoc eſt eo tempore, ut ſuprà diximus, quod medium eſt inter duas veſperas, nimirùm poſt meridiem, inter ſolem inclinantem & occidentem. Eo, inquam, tempore Agnus in Templo mactabatur, qui aſſatus comedendus erat initio proximæ noctis, ineunte decima quinta die menſis Niſan.

Advertendum eſt tunc fuiſſe plenilunium, & ideò tempus fuiſſe idoneum ſuſcipiendæ profectioni, quod ne elaberetur, omni celeritate primum Paſcha celebrandum fuit in Ægypto: & paſchata ſequentia pariter celeriter celebranda fuere, ut veteris Paſchatis memoria tum ſervaretur, tum potiſſimùm indicaretur, quale futurum erat verum Paſcha, videlicet JESU CHRISTI ſacrificium in cruce, quod tanta temporis velocitate peractum eſt, ut vix concipiatur quomodo ſuffecerit brevitas iſtius temporis in quo contigere omnia quæ ab Evangeliſtis circa paſſionem

Digitized by Google

ejus enarrantur. Decebat liberationem Ægyptiacæ ſervitutis fieri tempore conſpicuo. Contigit in plenilunio quod facilè oculis advertitur, & in plenilunio menſis Niſan poſt æquinoctium vernum, cùm terra quaſi carcere hyemis ſolvitur, aperitur, & induit ſe floribus, ut aliud anni tempus non faciliùs advertatur. Eodem menſe, cum luna plena eſſet poſt æquinoctium vernum, pariter Deus per JESUM CHRISTUM qui tunc paſſus eſt, diaboli ſervitute, cujus Ægyptiaca ſignum, homines liberavit.

Nomen *Paſcha*, hujus feſti quo mactabatur & comedebatur Agnus, derivatur à *Peſach*, *tranſivit*, quia tranſierit Angelus Domini per ædes Ægyptiorum, & primogenitos eorum interfecit omnes, parcens Judæis. Hi poſtes ſuos tinxerant ſanguine agni, ſcilicet ſoli qui ſanguine Chriſti reſperſi ſunt, mortem æternam non ſubibunt.

Die decima menſis Niſan legebant Agnum Judæi (*Exod. cap.* 12. 3. 6.) mactandum die decima quarta, non alibi ante extructum Templum quàm in Tabernaculo, poſtea Hieroſolymis, (*Deuter.* 16. 5. 6.) unde Dominus verè agnus, de ſe dicebat quod non conveniret ut alibi moreretur quàm Hieroſolymis. Comedendus erat cum lactucis agreſtibus, (*Exod.* 12. 8.) oſſa ejus non erant confringenda, quod & Chriſto in cruce pendenti contigit, latronum verò, qui ſimul crucifixi fuerant, crura fracta ſunt. Non aliquid de agno ſupereſſe debebat. Ne id fieret plures conveniebant ad ejus comeſtionem. Sine ſynaxi, inquam, hoc eſt, ſine cœtu non comedebatur. Ad minimum ſocietas Paſchalis requirebat decem convivas. Hos ritus præceperat Deus, ne in confringendis oſſibus tempus tererent Iſraelitæ, quia accelerandus erat exitus eorum ex Ægypto; ſed & vaticinium fuit, quòd extra morem ſuum Romani non frangerent crura Domini; qui & comedendus erat à Chri-

ſtianis

Digitized by Google

ſtianis in publico cœtu, cujus & typus fuit ſocietas paſchalis quam lex præſcribebat. Aſſandus quoque, non coquendus Agnus Paſchalis, ne partes ejus divellerentur, quod lex præcavebat.

Agnus Paſchalis comedendus erat abſque fermento, quod Græcè dicitur ζύμη; unde panis *azymus*, id eſt, panis ſine fermento, quo utendum erat in Paſchate. Ratio præcepti hujus eſt, quia exitus Iſraelitarum ex Ægypto fieri debuit cum feſtinatione. Rex territus cæde primogenitorum ſtatim dimiſit eos liberos, imo juſſit celeriter exire, ideò non licuit eis, dum parabant viaticum, expectare donec maſſa farinacea fermentaretur. Simul hoc præcepto edocebatur nil retinendum ex vetuſtis conſuetudinibus Ægypti, ſed mores novos eſſe inſtituendos. Panis enim fermentatur, cùm vetus maſſa acida admiſcetur huicce quæ de novo pinſitur. Hæc innovatio potiſſimùm ſpectabat Chriſtianos, quos decet eſſe *azymos*, in quibus videlicet nihil vetuſtum eſſe debet, redolens pravos & vetuſtos mores.

Ex lege Paſchatis, Judæi per ſeptem dies veſcebantur panibus azymis, ſive non fermentatis. (*Exod.* 12. *v.* 19.) Dies illi ideò azymorum dicebantur. Initio decimæ quartæ diei menſis Niſan ſingulari cura expurgabatur domus ab omni fermento, ad quod alludens Paulus, ut doceret Chriſtianos ab omni labe ſe præſtare debere immunes, comeſturos Chriſtum qui verè Paſcha eſt, aiebat: *expurgate vetus fermentum*. Judæi ſcrutabantur ædes ſuas in omnibus angulis, ne ſorex in illos panem fermentatum detuliſſet. Nomen panis ore non uſurpabant, ne animus ſe pollueret cogitatione fermenti. Hac conſuetudine utitur Paulus, ut expelleret cogitationes immundas, docendo ne nominandos quidem eſſe impuros actus.

Lex præcipiebat tantùm ſeptem azymorum dies, à die decima quinta Niſan; verùm cùm eo tempore

Digitized by Google

quo Agnus mactabatur, omne fermentum interdiceretur, à pervigilio Paſchatis, poſt occaſum ſolis, die decima quarta incipiente fieret inquiſitio fermenti, cujus collectæ omnes particulæ ſequenti die ante meridiem igne abſumerentur, ideo decima quarta dies ante numerabatur inter dies Azymorum, & horum prima dicebatur, ut pluribus comprobatum eſt in tractatu quem edidimus de Paſchate. Dies autem decima quinta erat Azymorum celeberrima quà ab omni opere ceſſandum.

Die altera, nempe decima ſexta offerebantur in Templo primitiæ meſſis; tempus enim erat quo ſeges emittebat ſpicas; undè menſis Niſan olim dicebabatur *Abib*, quod nomen ſignificat *ſpica virens*. Primitiæ autem illæ ab Hebræis appellabantur *omer*, id eſt, decima pars menſuræ, quæ dicebatur epha, menſura aridorum; de qua ſuo loco ſermo fiet. Iſtas autem primitias Græci interpretes dixere *δράγμα*, id eſt, manipulus, nempè ſegetis, quæ ſufficeret implendo vaſculo *omer*. Lex non præcipit ex quo genere frumenti demetendus eſſet ille manipulus; ſed traditione Judæi acceperant eligendam hordeaceam ſegetem, quæ citiùs matureſcit. Sed ſi in Paſchatis diebus nondum eſſet matura, igne torrendas eſſe hordei ſpicas & confringendas in morem farris lex prçmonebat. (*Levit. cap.* 2. *v.* 14.)

Hanc legem ſic adimplebant Sacerdotes, quibus id ſorte obtingebat. Manipulum ferebant in atrium Templi, excutiebant, & grana excuſſa & ventilata igne torrebant in ſartagine perforata. Confringebantur indè mola molendinaria, ea videlicet qua fabæ frangebantur, atque ex his confractis ſuccernebant ſimilaginis menſuram *omer*, quantùm ſufficeret huic vaſculo implendo. Hanc ſimilaginem perinde ac omnia ſarta oleo commiſcebant, pugillum thuris adjungentes, atque ad orientem agitabant, videlicet movebant

huc

huc & illuc, ſurſum & deorſum; poſtea adolebant in altari. Falx non poterat mitti in meſſem ante illam oblationem. Ab hac autem die, quo facta erat, nempe die decima ſexta menſis Niſan, ſeptem ſeptimanę, ſive quadraginta novem dies numerabantur. Patris-familias ea cura erat ſingulis diebus effari, qui dies ab iſto termino numeraretur an prima, an ſecunda eſſet ſeptimana ex ſeptem ſeptimanis; & qui dies talis & talis ſeptimanæ. Verbi cauſa, die decima ſeptima menſis Niſan, veſpere poſt occaſum ſolis, cùm dies ille inciperet, ſic loquebatur in primo die: Hic primus dies, nempe decimus ſextus, primus eſt primæ hebdomadis omer. Sequenti die; hic dies eſt ſecundus primæ hebdomadis, & ſic reliquis diebus hebdomadis. Altera ineunte hebdomade, dicebat pater-familias, hic dies eſt primus ſecundæ hebdomadis, qui eſt octavus omer. Hunc-ce diem opinor eum eſſe qui in Evangelio Lucæ (*cap. 6.*) dicitur *σάββατον δευτερόπρωτον ſabbatum ſecunda primum*. Libellum habent Judæi in quo continetur ratio ſic numerandi omer, ſive quid quaque die quiſque pater-familias debeat dicere, ut rite omer numeret, cujus primus terminus eſt *ἀπὸ τῆς δευτέρας τοῦ πάσχα*, unde ratio appellandi ſeptimanas, ſive ſabbata diſtinguendi quæ intercurrunt inter Paſcha & Pentecoſtem. Iſta numeratio actus erat religioſus & præſcriptus. Fiebat veſpere, ea hora qua novus dies inciperet.

Redeamus ad feſtum Paſchatis. Qui vel ob ægritudinem vel ob peregrinationem, vel ob aliam quamcunque cauſam non potuerant in menſe Niſan Paſcha celebrare, id facere tenebantur altero menſe, nempè *Jar* die decima quarta. Si quis incircumciſus aut aliqua labe pollutus de carne agni Paſchalis comedere auſus fuiſſet, ſtatim mors manu Dei illata ſequebatur comes. Sic Deus interminaverat; quod & primis temporibus contingebat, cùm quis corpus ve-

Digitized by Google

ri Agni non dijudicaret. Ad hæc alludens aiebat Paulus, *ideò inter vos multi infirmi & imbecilles & dormiunt multi*.

Completis ſeptem ſeptimanis, ſive elapſis quadraginta novem diebus à die decima ſexta menſis *niſan*, qui ſequebatur, dies quinquageſimus ab hoc initio, ſextus menſis *ſivan*, habebatur celeberrimus. Feſtum, inquam, erat ſolemne, quod à Græcis *Pentecoſte* appellatur, quia eſſet πεντηκοστὴ, id eſt, quinquageſima dies. Joſephus verò eam cum Hebræis vocat *aſarta*, id eſt, *concluſionem*, quia hoc-ce feſto ſolemne Paſchale concluderetur. Reipſa ſolemnitas Chriſti veri Paſchatis in die Pentecoſtes completa eſt, cùm Spiritus Sanctus in Apoſtolos deſcendit, tuncque perfecta eſt Chriſtianorum ſeges ab Apoſtolis demetenda. Feſtum Pentecoſtes dicebatur etiam *ſolemne meſſis*, quia in eo placentæ coctæ ex novis frugibus & fermentatæ offerebantur Deo (*Levit.* 23.) quæ nimirùm primitiæ eſſent panis uſitati & quotidiani. Ideò fermentatas illas eſſe oportuit. Ex his unam ſumebat ſummus Sacerdos, & altera dividebatur inter omnes claſſes Sacerdotum quæ tunc aderant; neque enim inferebantur altari; à quo removendum erat omne fermentum.

Lex quinquageſimo die poſtquam exierant Iſraelitæ ex Ægypto, data eſt in monte Sinai, ad quem pervenerunt tertia die menſis tertii; & juſſit Moyſes ut in tertium diem parati eſſent ad eam recipiendam. Data ergo lex ſexta die tertii menſis; qua Spiritus Sanctus novam legem ſcripſit, non ut priùs in tabulis lapideis, ſed in hominum cordibus. Meridiana luce clarius eſt omnia quæ Judæis contigere in exitu Ægypti, fuiſſe vaticinia rerum quæ fieri deberent initio Eccleſiæ Chriſtianæ. Pentecoſte licet feſtum ſolemne, unius erat diei: non per ſeptiduum aut octiduum celebrabatur, ſive non habebat octavam,

vam, ut putavit Genebrardus; dicebatur autem *aſarta*, id eſt, *concluſio*, quia concludebat ſolemnes ritus Paſchatis Judaici, & ſolemnia myſteria Paſchatis Chriſtiani.

Elapſis ſex primis anni eccleſiaſtici menſibus, die prima ſeptimi menſis, incipiebat annus civilis, in menſe *Tiſri*, cujus primus dies clangore tubarum annuntiabatur. Agebatur ille feſtus, à tubis, quæ tunc ſonabant, dictus feſtum Tubarum; & *Roſch haſchana*, id eſt, caput anni, quod Deus ſanctum eſſe voluit, præcipiens (*Levit. cap.* 22.) ut nullum ſervile opus in eo fieret, & holocauſtum peculiare offerretur. Putant Hebræi ad hoc-ce principium referendum tempus mundi conditi. Etenim veriſimile eſt arbores ſuis exornatas fructibus protinùs enatas eſſe; nec hominem recens natum expectaſſe, ut terræ primò mandaretur ſemen, & exinde naſceretur ſeges. Maimonides allegat ex Ariſtotelis libro VIII. Moralium ſacrificia antiqua, coetuſque & conventus, qui ſacrificiorum cauſa habebantur, facta fuiſſe poſt collectionem fructuum & proventuum, quaſi eſſent ſacrificia pro reſpiratione facta. Ut prima dies Tiſri, ſive æquinoctium autumnale erat initium in rebus mundi, Paſcha quod celebrabatur vere novo, fuit principium mundi incorporei nempe Eccleſiæ Chriſtianæ.

In decimam diem ejuſdem menſis Tiſri incidebat feſtum, quod appellatur *expiatio:* ſcilicet quia hac die præceperat Deus, ut quiſque animam ſuam affligeret, abſtinens omni cibo & potu; ideò *jejunium* etiam dicebatur. Sic in Actibus (*cap.* 27.) cùm dicit Paulus navigationem periculoſam fuiſſe *eo quod jam præteriiſſet jejunium*, decet intelligere hoc-ce feſtum, quod occurrebat hyeme imminente, quando mare periculoſum eſt. *Expiatio* & dicebatur feſtum illud, quia in illo offerebatur Deo ſolemne piaculum; ſuper quod ſummus Sacerdos, facta confeſſione ſuorum peccatorum

torum & totius populi, coram Deo remiſſionem impetrabat, expians Tabernaculum, altare & omnes Iſraelitas.

Hac die & non alia ille intrabat in Sanctum Sanctorum ſolus; cujus etiam aſpectu ne paſceret oculos ſuos, præferebat thuribulum, cujus fumo caligarent oculi ejus. *Nec ſine ſanguine*, ut ait Apoſtolus, huc intrabat; Sanctum enim Sanctorum typus erat cœli, in quod Chriſtus non penetravit niſi per proprium ſanguinem. Summus Sacerdos proprio ſumptu emebat vitulum ſive juvencum, quem immolabat, recitata ſuper eum propriorum peccatorum confeſſione. Accipiebat autem ab Iſraelitis duos hircos caprarum, unum in peccatum, hoc eſt, in ſacrificium pro peccato, & alium in holocauſtum. Duos autem illos hircos ſiſtebat coram Deo; poſtea ſortem jaciebat uter ſacrificari, uter vivus dimitti deberet. Sic definita ſententia hic immolabatur, alter abigebatur in deſertum; Uterque typus Chriſti, *quem definito conſilio & praſcientia Dei traditum per manus iniquorum affigentes* vos Judæi *interemiſtis*; ut his Petrus exprobrat in Actis. (*cap.* 11. 23.) Hirco qui emittendus erat, illigabat ad caput pannum coccineum in formam linguæ; alligabat quoque coccinum ad jugulum hirci mactandi, atque immolabat juvencum ſuum in hoſtiam pro peccato, item & hircum cui obvenerat ſors *pro Domino*, qui ſcilicet ſacrificandus erat. Juvenci & hirci ſanguinem inferebat in Templum; & utrumque commiſcens aſpergebat altare aureum, & velum quo Sanctum Sanctorum à Sancto ſeparabatur.

Hircus emittendus extra Templum & urbem, ab Hebræis nominabatur *ad Azael*, à Græcis ἀποπομπαῖος; Quo nomine deos ſuos tutelares, depulſores malorum appellabant, à Latinis *emiſſarius*. Vox *Azael* ambigua eſt; compoſita videtur ex *ez*, capra, & *Azal*, hoc

hoc eſt, *abiit*, *ſeparavit*. Quia hircus ille ſepararetur & dimitteretur extra Templum, deductus in deſertum, oneratus populi peccatis, quorum confeſſionem ſuper eo faciebat Pontifex, Ergo ille hircus Emiſſarius cenſebatur malorum depulſor; in caput enim ejus Pontifex omnia peccata populi rejiciebar. Ita Chriſtus quem in ipſo Templo Sacerdotes dignum morte judicaverant, extra portam paſſus eſt, peccatis hominum oneratus, quæ morte ſua piavit in monte Golgotha, ſive Calvário, quaſi dicas montem *devolutionis*, à verbo *galgal*, id eſt, *devolvit*, *volutavit*. Hircus emiſſarius præceps devolvebatur, & ſic occidebat,

Non prætermittendum hac feſta expiationis die, quæ erat decima dies menſis Tiſri, reparatas tabulas à Moyſe, quas fregerat iratus ob adoratum vitulum. Tunc populus luctu emendavit (*Exod. c.* 33.) quod pravum facinus admiſerat, Ideò in poſterum dies electus eſt ad ſolemne feſtum Expiationum, Sentiunt Hebræi Moyſen ter jejunaſſe in monte per quadraginta dies prima (*Exod.* 32. 30.) vice, Secunda (*Exod.* 34. 28.) ſi tempus illud computetur à die quo lex data eſt ſeptimo menſis Sivan, deprehendemus poſtremum Moſis jejunium, quando filiis Iſrael remiſſionem peccatorum impetravit, & legis tabulas renovavit, deſiiſſe die decima menſis Tiſri, quà cum reconciliationis nuncio deſcendit; quæ ſententia eſt Joannis Meyeri in erudito libro de diebus feſtis Judæorum.

Die decima quinta ejuſdem menſis Tiſri, feſtum Tabernaculorum agebatur per dies octo continuos, quibus habitabant Judæi ſub tabernaculis; undè à Græcis dicitur *ſcenopegia* σκηνοπηγία à compingendis tabernaculis. Illa fiebant in tectis ædium, ut apud Nehemiam (*cap.* 8.) in ædium atriis, in atriis Templi, in plateis. Incipiebant Judæi ſub Tabernaculis eſſe pri-

Digitized by Google

ſe prima die feſta, & pergebant per totum feſti tempus, illicitum putantes extra illa edere, bibere, aut dormire. Conſtabant ramis arborum, juxta id quod præcipitur in Levitico (*cap.* 23.) *ſumetiſque vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ*, nempè mala citrea, *ſpatulaſque palmarum, & ramos ligni denſarum frondium, & ſalices de torrente, & lætabimini coram Domino Deo veſtro*. Ergò erat feſtum hilare & jucundum; ſolebatque appellari ſimpliciter *chag*, nempe *feſtum*, quatenùs vox illa notat hilaritatem. Itaque prima die feſti parabant ramos palmarum, ſalicum, myrtorum, eoſque colligabant funiculis aureis, argenteis, & aliis vittis, & tota prima feſti die manibus geſtabant, ſeu orarent, ſeu eſſent in ſynagoga, manu non dimittentes; nec reliquis feſti diebus unquam ſine eo ad Templum veniebant.

Quaque die hujus feſti cum hiſ-ce ramis altare circumdabant lætantes; quæ lætitia, ut opinor, in Apocalypſi repræſentatur, (*cap.* 7.) ubi Sancti palmas in manibus habentes circumeunt thronum Agni, videlicet altare. Interea protendentes ramos clamabant *Hoſanna*, hoc eſt, *ſerva queſo, ò Domine*, quæ verba ſunt Pſalmi 117. quibus ſtatim ſubjungitur in Vulgata noſtra *conſtituite diem ſolemnem in condenſis uſque ad cornu altaris*. Hoc eſt, agite diem feſtum cum ramis denſis & perplexis, quibus circa cornua altaris ite. Interea tuba canebat: Septima autem die Judæi circuibant ſepties altare; idque vocabatur *magnum hoſanna*. Magnam in his omnibus Judæi præferebant lætitiam potiſſimùm in hauſtione & effuſione aquæ, qui præcipuus erat ritus feſti. Sacerdos quiſpiam cum aureo cantharo ibat ad fontem vel piſciſcinam Siloe, eumque aqua implebat; poſtea rediens in Templum aſcendebat in altare, & peracto ſacrificio jugi matutino, poſtquam membra victimæ impoſita fuerant altari, hanc aquam libabat vino mixtam.

Digitized by Google

tam. Interea hymnis perſonabat Templum, & magna lætitia perfundebantur Judæi.

Veri Iſraelitæ maximè in feſto Tabernaculorum de ſpe venturi Meſſiæ ſoliti erant gaudere; cujus dona abundantia aqua quæ libabatur, figurabat. Hæc dum cogitabant, haud mediocri afficiebantur lætitia. Ipſi nunc Judæi interpretantur de hac re locum illum Iſaiæ. (*Cap.* 12. *v.* 3.) *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*. Ad hunc-ce locum, & ad hos ritus Tabernaculorum alludebat Dominus, dum ipſe intereſſet huic feſto clamans: *Si quis ſitit, veniat ad me*. (*Joan.* 7. 37.) Octavus dies feſti Tabernaculorum erat pariter ſolemnis ac primus. Vocatur in vulgata, (*Levit.* 23. 36.) *dies cœtus & collectæ*. In Hebræo codice *Azereth*, quæ vox indicat hanc-ce diem fuiſſe concluſionem feſti, ut diximus, vel æquè ac in primo die opera ſervilia prohibita fuiſſe, ut alii ſentiunt. Feſtum Tabernaculorum videtur inſtitutum in recordationem peregrinationis patrum in deſerto, per quod tempus habitaverant ſub tabernaculis. Hæc ratio feſti redditur ab ipſo Deo, (*Levit.* 23. 43.) *ut diſcant poſteri veſtri, quòd in Tabernaculis habitare fecerim filios Iſrael, cùm educerem eos de terra Ægypti*.

Paſcha, Pentecoſte, & feſtum Tabernaculorum tria ſolemnia feſta erant, ad quæ celebranda omnes viri ex omnibus terræ finibus Hieroſolymam convenire & coram Domino comparere tenebantur. (*Exod.* 23. 17.) In primo, hordei demetendi primitiæ offerebantur: in ſecundo, jam collectæ ſegetis primitiæ. Tertium feſtum agebatur poſt collectos omnes fructus tam de area quàm de torculari; idcirco magna lætitia agendum eſſe hoc feſtum præcepit Deus. (*Deuter.* 16. 13.) *Solemnitatem quoque Tabernaculorum celebrabis per ſeptem dies quando collegeris de area & torculari fruges tuas: & epulaberis in feſtivitate tua, tu, filius*

filius tuus & filia, ſervus tuus & ancilla. Levites quoque & advena, pupillus & vidua, qui intra portas tuas ſunt.

Feſta minora paucis perſtringam, iis immorans circa quæ ſit quidpiam animadverſione dignum. Primùm loquar de feſto *Purim*, ſive *ſortium*, quod peragebatur decima quarta menſis Adar, & decima quinta, nempe duobus diebus continuis. Fuerat inſtitutum non in lege, ſed à Judæis, in memoriam quod olim Regina Eſther obtinuerat ab Aſſuero, ut revocaret edictum quo Judæos ubique occidendos juſſerat. (*Eſther. cap. 9.*) Dictum eſt *Purim*, ſive *ſortium*, quia Aman miſerat *Pur* (quod nomen Perſicum ſignificat *ſortem*) ut detegeret diem qui Judæis inauſpicatus magis eſſet; ſed contra ceſſit. Aman perditus eſt; ſervati ſunt Judæi: ideò poſtea hunc diem pro feſto habuere, in quo ſe totos dant hilaritati, ut non tam feſtum ſit, quàm bachanalia. Totum librum Eſther legunt in ſynagogis ſuis hoc-ce die feſti. Quoties autem nomen Aman occurrit, malleis & piſtillis ad id factis ſcamna certatim pueri pulſant, ac ſi caput ſui quondam hoſtis ita tunderent. Schikartus refert olim lapidi nomen Amanis literis Hebræis inſcribere ſolitos, deinde quoties legeretur, alium alteri fortiter illiſiſſe, donec mutua concuſſione attereretur, accinentes interim *deleatur nomen ejus, nomen improbi putreſcat.* Adeò poſt tot ſæcula ſe prodit adhuc animus vindictæ inſatiabilis. In anno biſſextili, ſive anno in quo menſis Adar geminatur, bis etiam celebratur feſtum illud *Purim*, nempe & in priori & in poſteriori Adar.

Encænia ſive dedicationes Templi Hieroſolymitani diverſæ obſervabantur, nempè quatuor, diverſis anni temporibus, quæ non notantur in Kalendario tanquam ſolemniter agendæ. Prima fuit Salomonis, menſe ſeptimo (3. *Reg. c.8.2. Paral. c.11.*) quæ, ut dicit Scriptura, *celebrata eſt ſeptem diebus & ſeptem diebus*, id eſt, *qua-*

Digitized by Google

quatuordecim diebus. Nimirum illa dedicatio incidebat circa feſtum Tabernaculorum, ſeptem primis diebus dedicatum eſt Templum; poſtea alii ſeptem dies adjuncti ſunt celebrando feſto Tabernaculorum. Joſephus (*Antiq. lib.* III.) verò dicit, *præterea ſcenopegiæ feſtum ante Templum ſplendidè ac magnificè Rex per quatuordecim dies celebravit cum univerſo populo epulatus*. Hoc benignè interpretandum eſt de diebus quibus dedicatio Templi & feſtivitas Tabernaculorum peracta eſt; aut error irrepſit in codice ejus, nempe particula *δὶς*, qua ejecta ſenſus clarus eſt.

Secunda dedicatio fuit templi ſecundi, nempè Zorobabelis, de qua Eſdras, (*Lib.* 1. *cap.* 6.) celebrata eſt menſe Adar.

Tertia dedicatio fuit non Templi, ſed altaris, cùm primùm Judas Machabæus altare holocauſti inſtauravit atque dedicavit die 25. menſis Kasleu. (2. *Mach.* 4. *v.* 59.) Judæi hoc feſtum nunc appellant diem luminum, quia primo die una lucerna accenditur, duæ die ſequenti, & ſic augetur luminum numerus, per octo dies quibus celebratur illud feſtum.

Quarta fuit dedicatio Templi ab Herode conſtructi, quam Joſephus dicit magna pompa celebratam. Solent inſuper Judæi ſingulis annis alios dies feſtos agere, ſicut illum, quo Jephte filiam ſuam immolaverat; quo ignis cœleſtis extinctus poſt exilium Babylonicum ſuſcitatus eſt; quo Judith Holophernem interfecit; victoria parta eſt de Nicanore, duce Demetrii regis Syriæ.

Joſephus ſcribit feſtum diem celebratum, quem appellat *τὰ ξυλοφόρια*, in quo Judæi omnes ex ſilvis magnam lignorum copiam in Templum comportabant ad alendos ſacros ignes, quos lex jubebat eſſe perpetuos. Inter feſta Judæorum enumerari poteſt annus intermiſſionis, qui occurrebat ſingulis anno-

rum

Digitized by Google

rum ſeptenniis, ſive poſt ſeptem annos. Præceperat Deus (*Levit. cap.* 25.) ut hoc anno terra quieſceret; ideò dicebatur ab Hebræis *ſchemiſta*, hoc eſt, intermiſſionis, & ſabbaticus ſive quietis.

CAPUT VII.

In feſtis diebus colebatur Deus potiſſimùm ſacrificiis, quorum finis erat annuntiare mortem Chriſti. Natura, ſpecies, ritus eorum exponuntur. Simul diſſeritur de oblationibus, donis, primitiis, decimis.

NUnc diſſerendum de præcipua re, qua conſtabat religioſus cultus, ſcilicet de ſacrificiis, ad quæ peragenda dies feſti conſtituti erant. Protinus dicam legis Moſaicæ ritus omnes & in primis ſacrificia Chriſtum figuraſſe. Hoc cùm non advertitur, ipſum Templum nihil aliud videtur niſi laniena, apta potiùs ad faſtidium movendum, quàm ad ingerendam ullam religionem. Sacrificium mactatio eſt vivi animalis, cujus ſanguis effundebatur ad placandum & ad colendum Deum, uti in omni religione creditum eſt. Undè verò tanta virtus ſanguini animalium ineſſe credita ſit, ſive undè nata conſuetudo mactandi animalia in laudes Dei? Ex prava opinione & ruditate Gentium, ſunt qui reſpondeant. Deus, inquiunt, quæ ſacrificia Judæi in Ægypto didicerant, toleravit emendata, & in ſacratiorem uſum erecta. An veriſimile eſt Deum eoſdem, quos ſuis idolis deferrent Ægyptii, ſibi honores poſtulaſſe; & cùm cultum ſuum inſtitueret, non maluiſſe verum & novum ordinare, quàm accipere falſum, & antiquitùs profanatum à viris ſibi infenſis?

Origo ſacrificiorum altiùs repetenda, quàm ab Ægyptiis; quippe ab antiquis Patriarchis, ab Abele, à Noe, ab Abraham oblata, & Deo placuiſſe certum eſt ex

eſt ex Scripturis. Abel dicitur (*Gen. cap.* 4. *v.* 4.) de primogenitis gregis ſui Deo obtuliſſe. Quod ſi quis contendat de vero ſacrificio non eſſe intelligendum, hoc eſt, de mactatione & ſanguinis effuſione, quid reſpondebit ad illud Geneſeos? (*cap.* 8. *v.* 20.) *Ædificavit autem Noe altare Domino*; *& tollens de cunctis pecoribus*, *& volucribus mundis*, *obtulit holocauſta ſuper altare*. Quoties ſacrificavit Abraham, etiam ex juſſu Dei, qui & ei præceperat ut filium ſuum in holocauſtum offerret, cujus loco immolavit arietem, pariter Deo jubente? Non mirum eſt dæmonem, qui ſimilem Deo eſſe ambivit, ſibi Dei honores ſuffurari, cùm adverteret Patriarchas ſacrificiis Deum colentes, & impudiſſe cultores ſuos, ut & ſibi ſacrificarent. Quin etiam fieri potuit, ut cæteræ gentes, quæ omnes ortum ducunt ex filiis Noe, paterno exemplo, his quos pro diis habebant, eundem cultum exhibuerint, quem Deo redditum ſciebant.

His qui non altiùs repetunt ſacrificiorum originem, quàm ex idololatria, quæ poſt primos Patriarchas nata eſt, cauſam erroris præbuit ignoratio rei, ex qua vera ratio ſacrificii pendet. Vulgo dicitur ideò ſacrificia Deo grata eſſe, quia ſupremum ejus dominium, quo vitæ neciſque dominus eſt, agnoſcitur. Nulla enim re eum indigere ſignificat mactatio victimæ, quæ igne abſumpta nulli uſui eſt. Verùm incendendo ſegetes & ſylvas, pariter ſignificari poſſet nullius rei Deum indigum eſſe. Principis jus in ſubditorum vitam fit manifeſtum, cùm ejus imperio vita illis vel adimitur, vel ſervatur. Pariter cùm quiſpiam propriam pecudem in ſacrificium cædit, ſuum potiùs quàm Dei, cui mactat, dominium oſtendit, mactans quod ſuum eſt. Itaque Abeli ſapienti & ſancto viro nunquam in mentem veniſſet quòd grata eſſet animantium innocentium mactatio,

Digitized by Google

gratus carnium, extorum, adipumque nidor, niſi Deus explicato juſſu ipſe hoc-ce rituum genus inſtituiſſet.

Ea animis omnium Gentium, inter quas uſitata fuere ſacrificia, inſita fuit notio, vicariam animam in illis addici morti, pro anima quæ ob reatum ſupplicio digna eſſet. *Hoc ipſum lex de victimis lata cuique hoc advertenti indicat.* Verba ſunt Euſebii Cæſarienſis (*De demonſtr. Evang. lib.* 1. *cap.* 10.) *Nam capiti victima unumquemque dum ſacrificat manus habere injectas imperat, & ad Sacerdotem animal ipſum adducere capite comprehenſum atque detentum, quaſi qui pro ſui ipſius capite hoſtiam exhibeat.* Sed ipſe Deus hanc notionem ſacrificii veram eſſe liquidò adſtruit; vetat enim ne quis comedat ſanguinem, (*Levit. c.* 17. *v.* 11.) *Quia*, inquit, *anima carnis in ſanguine eſt, & ego dedi illum vobis, ut ſuper altare in eo expietis pro animabus veſtris, & ſanguis pro anima piaculo ſit.* Undè autem iſta opinio omnes Gentes invaſerit, quæ cum ipſis Scripturis ſanctis concors eſt? Procul dubio venit ex antiqua primorum Patriarcharum traditione; ex quibus tam cæteri populi quàm Iſraelitæ orti ſunt.

Scilicet jam à primo tempore quo Adam cecidit promiſſus eſt Meſſias, qui ſanguine ſuo piaret humanum ſcelus, mortem oppetens: in hujus mortis ſymbolum Patriarchæ mactaverunt animalia; quæ mactatio ab eo quod figurabat, vim omnem ſuam & dignitatem accipiebat. *Quandiù*, iterùm Euſebium loquentem inducimus, *nulla melior, nulla magna, nulla pretioſa, nulla Deo digna hominibus victima ſuppetebat, animalia ut vita ſuæ λύτρα*, hoc eſt, pretium redemptionis, ac quidem naturæ propriæ *ἀντίψυχα*, id eſt, animarum ſuarum vice alienas animas, *dare conveniebant; ſicut etiam Dei veteres amici & cultores faciebant. Qui venerabilem quandam Deoque acceptam*

Digitized by Google

ceptam & magnam hoſtiam venturam olim ad homines, divino indicante Spiritu, tantò antè didicerant, quæ totius mundi expiatio exiſteret; cujus etiam ſigna quædam & notas ipſi interea obirent atque perficerent, quippe qui & Prophetæ eſſent, & ejus quod futurum expectaretur figuram in ſe quandam antè gerentes.

Deus primum hominum parentem cum collocavit in paradiſo, permiſerat ei ut de omni ligno ejus comederet, uno excepto ſcientiæ boni & mali, ſic præcipiens in Geneſi. (*cap. 2.*) *Ex omni ligno paradiſi comede: de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas; in quocumque enim die comederis ex eo morte morieris.* Comedit Adam, ideò morti addicendus. Expulit eum Deus paradiſo, & juſſit ut in poſterum veſceretur de fructibus terræ, quam cum labore coleret; ſed protinus ei declaravit fore ut ex ipſo naſceretur ſemen, quod contereret caput ſerpentis, cujus aſtutia Æva uxor decepta impulerat maritum ſuum in peccatum. Codex Sacer hiſtoriam Geneſeos contraxit. Plurima ibi reticet quæ poſtea patefacit. Certè priora poſterioribus illuſtrantur.

Fieri non poterat quin pœnas, quas Deus intentaverat, homo reus non ſubiret. Neceſſe, inquam, erat ut morte moreretur, quam meritus fuerat comedens de ligno vetito. Semen quidem ejus debebat conterere caput ſerpentis; ſed quoniam qui reus eſt, veniam ipſe non poteſt obtinere, neceſſe fuit ut Deus aſſumeret hoc-ce ſemen, nempe Filius Dei fieret homo, qui, quatenus homo, mortem pateretur, qua, ut Deus, mereretur veniam peccati.

Deus hoc-ce myſterium Adamo patefecit, ſcilicet quòd Filius Dei paſſurus eſſet in eadem carne, quam haberet ex eo; & idcircò pretium paſſionum ejus infinitum foret. Donec adveniret ille Redemptor, in quo omnis ſpes ſalutis collocanda, excitanda fuit

magna de illo expectatio. Ad hoc itaque inſtituta, & celebrata ſunt ſacrificia, ut hanc pretioſam mortem adumbrarent, fidem ejus ingererent mentibus, nec ſinerent memoriam ejus ſive expectationem excidere. Frequentabant Patriarchæ ſacrificia: ſæpiùs mactabant pecudes puras & innocentes, quarum ſanguis effuſus typus eſſet mortis Chriſti innocentis. In hunc uſum & non in alium in primis temporibus deſtinatæ videntur pecudes, oves, boves, hædi, Etenim ante diluvium mos non erat veſci carne animalium; quæ itaque non mactabantur niſi in ſacrificiis. Indè videre eſt quomodo pellibus ſtatim induti homines; & ad alios uſus illæ adhibitæ ſunt, puta ad conficienda tabernacula. Indè etiam factum ut inter animalia alia munda, alia immunda reputata ſint, etiam antequam ulla lex eſſet. Omnia per ſe munda ſunt; ſed veriſimile eſt Adamum elegiſſe in ſacrificium ea animalia, quæ magis idonea erant ſymbola mortis Chriſti; verbi cauſa, agnos, qui manſueti & patientes ſunt. Videre eſt cùm Noe induxit animalia in Arcam, ex juſſu Dei diſtinxiſſe quæ munda eſſent, ex his eligens ſeptem paria; quod non fecit de immundis, hoc eſt, de illis quæ Adamus & filii ejus ſacrificantes repudiaverant.

Statim, ut dixi, inſtituta ſunt ſacrificia. Videmus oblata ab Abele & à Caino: quæ verbis expreſſis non præcipiuntur; ſed cum alia dicantur accepta fuiſſe Deo, alia diſplicuiſſe, inde colligimus Deo placuiſſe, quæ inſtituta fuerant ab Adamo, ritu qui conveniret. Mactatio pecudum idoneus erat typus mortis Chriſti, igitur Abel cum offerret de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum, reſpexit ad eum Dominus; Cain verò non adeò religioſus offerebat tantùm munera terræ, ſcilicet quos fructus tellus miniſtrabat. Frumentum aut quæcumque aliæ

fruges

Digitized by Google

fruges non apta erant mortis Chriſti ſymbola, ſine qua cùm peccatum piari non poſſet, ut ait Apoſtolus ad Hebræos, (*cap. 9.*) *ſine ſanguinis effuſione non fiat peccatorum remiſſio*. Idcircò Cain non perinde placuit ac Abel; quod patuit, quia ignis de cœlo delapſus incendit oblata Abelis, ut idem auctor Epiſtolæ ad Hebræos declarat. (*cap. 10.*) *Fide plurimam hoſtiam Abel quàm Cain obtulit Deo, per quam teſtimonium conſecutus eſt eſſe juſtus, teſtimonium perhibente muneribus ejus Deo*. Teſtimonium illud fuit ignis de cœlo, quo ſolitus eſt Deus comburere ſacrificia quæ ſibi accepta eſſe ſignificabat; ſicut videre eſt ubique in Scriptura. *Memor ſit omnis ſacrificii tui*, canebat Pſaltes, (*Pſal. 19.*) regem compellans, *& holocauſtum tuum pingue fiat*. In fonte Hebræo, incineret, id eſt, incendat Deus.

Ergo cùm Cain videret Deum ad fratris ſacrificia reſpexiſſe, neglexiſſe munera ſua, motus invidia interfecit fratrem. Ob illud facinus, *Cain egreſſus à facie Domini, habitavit profugus in terra ad orientalem plagam Edem*. Undè egreſſus eſt Cain, & quò ſe recepit? *Ejicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abſcondar*, inquiebat ad Deum, à quo damnabatur ut reus cædis fraternæ. Veriſimile eſt Adamum in cœtu ſacrificaſſe cum filiis ſuis. Pro eo quod in Vulgata dicitur oblatas à Cain fruges, & ab Abele pecudes, fons dicit de utroque, quòd illas *adduxerint*. Ad quem? puto ad parentem Adamum, qui cœpit ſacerdotium exercere, ut pote dignior. Uſque ad legem primogeniti fungebantur ſacerdotio. Inſuper veriſimile eſt Adamum elegiſſe locum conſpicuum, in quo ſtatuerit aram; & huc conveniebant, quicumque offerrent, ſive huc adducebant offerenda.

In hoc cœtu erudiebat Adam filios ſuos, imbuebat doctrina & moribus; quæ à Deo didicerat, & in ſingulos dies diſcebat, tradens filiis ſuis. Ab hoc

Digitized by Google

igitur cœtu, cui præſens intererat Deus, ejectus eſt Cain, ideo dictus egreſſus ſive expulſus à facie Dei. Itaque progenies Cain in dies pejor facta, vivens ſine Deo & ſine legibus, evaſit prorſus impia. Hæc nomine filii hominum ſignificatur in Scriptura; Sethi verò altera Adæ ſoboles cenſetur Dei; ex qua nati filii Dei. Sumuntur mores à converſantibus, proles Sethi verſans in cœtu piorum, tum exemplis tum præceptis Adæ excitabatur ad pietatem colendam; ubi autem filii Dei commixti ſunt cum filiis hominum, & ab his acceperunt filias in matrimonium, & eorum opera didicere. Pauci tamen in juſtitia perſeveravere, per quos vera fides de Chriſto propagari potuit, primi homines multa ſæcula vivebant: ſaltem in cœtu virorum piorum tradebatur vera doctrina, vera religio, & vera fides eorum quæ attinebant ad annales mundi, ad creationem ejus ex nihilo, ortum, vitam, Patriarcharum ætatem, mortem. Ab origine mundi uſque ad diluvium, mille & ſexcenti anni præterierunt; quod tempus ratione habita longioris vitæ hominum, quaſi unius & alterius ſæculi cenſeri poteſt, cujus hiſtoriam quiſque poteſt à traditione accipere, & filiis ſuis communicare. Ex traditione acceptam hiſtoriam originis mundi litteris mandavit Moyſes; quam Salomon in Proverbiis commendat ſequendam, cui intenti erant Judæi. Moris his fuit ut ſtudio legis incumberent, non ſolùm legis quæ ſcripta eſſet, ſed & oralis, nempe traditæ ore parentum. Hoc eſt quod Philo appellat operam dare Philoſophiæ; quod Judæi facere ſolebant ſabbatis, ut ille dicit libro 3. de vita ſua.

Cùm omnis caro corrupta eſſet, ſtatuit Deus mundum diluvio perdere, ut vidimus in hiſtoria; Deus autem ſemper ſibi reſervavit pios cultores. Noachus ſacrificavit; & ideò mortem Chriſti futuram annuntiavit, & doctrina imbuit quotquot ſacrificio intererunt.

erunt. Abraham ſacrificavit, paratus in ſacrificium mactare unicam ſibi prolem Iſaachum; ſed ejus loco immolavit, qui occurrit, arietem. Imperaverat Deus illam Iſaachi immolationem; qua edocerentur homines quòd unigenitum filium ſuum aliquando morti traditurus eſſet.

Non fortuito loco hi Patriarchæ ſacrificabant. Iſaachus in Geneſi (*cap.* 26, *v.* 25.) dicitur ædificaſſe altare; certè ut ſacrificaret, & eſſet locus ad quem pii convenirent; quod & fecit Jacob. (*Geneſ.* 35. 7.) Ergo conſtare debet ab Adamo uſque ad Moyſen traditam de ſacrificiis doctrinam, ſimul & Chriſti fidem; quæ erat ſacrificiorum finis; nempe inſtituta illa ut annuntiarent mortem ejus, ut dictum eſt. Hæc ſacrificialis doctrina non prorſus latuit gentes, quæ omnes ortum ducunt ex tribus filiis Noe; & quod proavi eorum viderant obſervatum à Noacho & filiis ejus, ipſi imitati ſunt. Sed oblivioni tradiderunt, quod præcipuum erat, ſcilicet ſacrificia habenda pro ſymbolis Chriſti. Noverant ſine effuſione ſanguinis non remitti peccata: ſed alius erat quàm animalium ſanguis, qui inquinat potiùs quàm mundat; niſi quatenus excitat fidem Chriſti: quod cùm & ipſi Judæi ſatis non intelligerent, ſatagit Deus per Prophetas mentem eorum excitare, ut verum Chriſti ſacrificium intuerentur, à quo ſolo ſalus expectanda eſſet. Denuntiat ſe faſtidire victimarum carnes apud Iſaiam; (*cap.* 1. *v.* 11.) *Quo mihi multitudinem victimarum veſtrarum? Plenus ſum. Holocauſta arietum & adipem pinguium, & ſanguinem vitulorum & agnorum & hircorum nolui.* In deſerto ſacrificia non fuere frequentia; imo nulla facta ſunt versùs finem quadraginta annorum, quibus Iſraelitæ erraverunt in deſerto; quia qui hoc-ce tempore nati ſunt, non circumciſi fuiſſent, & ideò prohiberentur ſacrificare. Patribus morte abſumptis, ubi nata eſt no-

Digitized by Google

va progenies, Deus, tranſito Jordane, fœdus inſtauravit, & ſacrificium, initio facto à Paſchate in Galgala in campeſtribus Jericho, ubi omnes Iſraelitæ circumciſi ſunt, ut videre eſt in *capite* 5. Joſue.

Qui ſacrificia ſimul præcepit, & repudiat, non ſibi Deus conſtare videretur, niſi verba ſic accipiamus, ut cenſeantur dicta adversùs eos qui ad ſacrificii finem non advertebant. Reipſa Deus non delectatur ſanguine hircorum, & carnibus taurorum; nec ſanguis brutorum animam peccatricem purgare poteſt, ſed repræſentare ſanguinem pretioſum Chriſti, quo verè mundati ſumus. Placebant itaque ſacrificia Deo, quoniam ſibi fieri poſtulabat; ſed quatenus ſigna ſacrificii ſibi offerendi à filio ejus, quo ſacrificio nulla res præſtantior cogitari poteſt, nec alius cultus dignus eſt Deo. Diſplicebant ſine ulla ratione, qua carebant ſæpiùs carnalium Judæorum ſacrificia; qui de Chriſto non cogitabant, occupati ſolo delectu animalium, quaſi pinguiora magis Deum placarent.

Cùm ea ſit ratio veterum ſacrificiorum, ut inſtituta ſint in typos mortis Chriſti, non mirum eſt, ſi Deus illa ordinarit, & præſcripſerit ritus eorum omnes; quod abſurdum eſſet cogitare ab eo factum, ſi à dæmoniis illa primò adinventa eſſent. Hæc prænotare ingens operæ pretium eſt; nulla enim alia obſervatio magis inducit in veram notitiam Scripturarum veterum: in quibus ubique mentio fit ſacrificiorum; quæ ſine faſtidio legi non poſſunt, niſi animus hac prænotatione occupatus ſit, his-ce præſtantius quidpiam ſacrificium ſignificari. Itaque cum tanta ſit ſacrificiorum dignitas, de illis diligenter diſſerendum, ea præſertim inveſtigando, ex quibus clariora fiunt quæ habent Codices ſacri; ad quorum expoſitionem neceſſarium primùm ſcire quid ſit ſacrificium, ex quibus fiebat, quo fiebat ritu, quæ cum

Digitized by Google

cum illo conjuncta, à quo fieri poterat, in quo loco, quo tempore, quæ fuerint diverſæ ſacrificiorum ſpecies, quæ ſacrificia propria cuique feſto, quæ eſſet participatio eorum.

Sacrificium, ut ex prænotatis liquet, eſt mactatio ſive mors vivi animalis in pœnam peccati, quod ipſe qui illud offerebat, patraverat, aut pro quo ſuſcipiebat Deo ſatisfacere. Dignus morte æterna, ut Deum placaret, dabat pro ſe vicariam animam, ex ſuis propriis gregibus. Ergo ſacrificia oſtendebant quid commeruiſſent peccatum & peccator, mortem nempe & ignem, dum mortem & combuſtionem victimæ oculis ingerebant. Erant ergo veluti ſigna pœnitentiæ & expiationis pignora.

Animantium, ex quibus ſacra fiebant, genera ſunt quinque: boves, oves, capræ, turtures, & pulli columbarum. Hæc utique talia genera erant, qualium erat & ſumma manſuetudo, & maxima in terra Chanaan copia, & præcipuus in victu communi uſus. Sicut ipſius generis, ita ſingulorum animalium ad ſacrificia adhibitorum delectus ſummus habendus erat. *Si cæcum fuerit, ſi fractum, ſi cicatricem habens, ſi papulas, aut ſcabiem aut impetiginem, non offeretis ea Domino*. (*Lev.c.22.v.22.*) Hinc factum ut quodque animal diligenter explorari ſoleret, priùs quàm admoveretur ad aram. Maimonides, in Tractatu ſuo de rebus altari interdictis, enumerat vitia quæ animal temerarent. Communia homini & pecudi aſſignat quinquaginta, viginti tria pecudi, quæ ſcrutatur & explicat recenſens omnes corporis partes, & quo vitio quæque poſſet affici notans. Scilicet victimæ immaculatæ repræſentabant Agnum verè ſine macula, JESUM CHRISTUM Dominum noſtrum.

Quoties quis immolandam victimam ſuſciperet, ſiſtebat illam ante altare, deinde manum capiti ejus impo-

Digitized by Google

imponebat utramque, ut dicit Maimonides: alii ſentiunt unam ſuffeciſſe; ſed omnes volunt, ſive unam, ſive utramque, ex totis viribus imponendas fuiſſe. Præterea ſolemnes quaſdam preces recitabat. Si plures ſimul offerrent unam hoſtiam, ei manus imponebant univerſi, non illi ſimul unà, ſed unus poſt alium, ut Maimonides docet. Hæc impoſitio manuum ritus erat, quo hominis peccata veluti tranſmittebantur in victimam pro ipſo morituram; & cujus morte imminente, agnoſcebat ſe mortem commeruiſſe. Erat, inquam, hæc impoſitio typus impoſitionis peccatorum noſtrorum, quorum onus in ſe ſuſcepit Chriſtus, ſimul & emblema pœnitentiæ. Idcirco, ut adſtruit Maimonides, qui ſacrificium pro peccato aut delicto offerebant, ſi non agerent pœnitentiam, & peccatorum confeſſionem diſertis verbis conceptam non ederent, haud purgabantur.

Deinde jugulabatur animal. Jugulandi autem modus erat, ut reſecarentur ſimul aſpera arteria & œſophagus. Excipiebatur ſanguis patera, quæ movebatur, ne concreſceret ſanguis, antequam transferretur, & pro ſacrificiorum genere omnia reſpergerentur illo ſanguine vela, cornua altaris, & pleraque alia. Reliquus autem ſanguis effundebatur ad pedem aut baſim altaris (*Levit. cap.* 4. *v.* 18.) una vel pluribus aſperſionibus, prout exigebat natura ſacrificii. Ideo altare cingebatur foſſa, ex qua ſanguis per occultos canales effluebat è Templo in torrentem Cedronis. Altare autem, quod editum erat, figurabat crucem, in qua exaltatus eſt Chriſtus, & quæ reſperſa eſt ſanguine ejus pretioſo.

Poſt aſperſionem ſanguinis, & detractam ei pellem, victima concidebatur in partes, quæ per collem, quo ad altare aſcendebatur, deferebantur cum pompa, & agitabantur ad partes Orientis, hoc eſt, movebantur huc illuc, ſurſum & deorſum. Ardebat ignis

Digitized by Google

ignis perpetuus in altari (*Levit. cap.* 6.) quem nutriebat Sacerdos ſubjiciens ligna manè per ſingulos dies. Adolebatur tota victima hoc igne, vel pars tantùm pro genere ſacrificii.

In aſcenſu altaris, ſive in colle, ſaliebant Sacerdotes victimæ partes; omnis enim victima ſale ſaliebatur, ex lege. (*Lev. c.* 2. *v.* 13.) Sacrificiis libamina adjiciebantur. Quicquid offerebatur vini & ſimilæ unà cum victima, appellabatur *libamentum*. In libamento *Fertum* dicebatur quod erat ex ſimila, id eſt, farina mundiſſima, oleo & thure confectum, in clibano, aut ſartagine, aut craticula coctum. Fertum erat etiam frumentum igne toſtum. Pars incendebatur, pars ſacerdotibus tradebatur. Omnia iſta, videlicet victima, vinum, ſimila ſive ferta dicuntur ab Hebræis *corbanoth*, hoc eſt, dona Deo oblata, & ritu ſacro conſumenda, interimenda, cremanda, aut effundenda, aut ad ſacras epulas adhibenda. Ferta autem magis propriè dicebantur Hebraicè *Minecha*, id eſt, oblatio, Græcè προσφορά. Oblationes verò ex animantibus appellabantur *zebachim*, id eſt, ſacrificia, *zabach* propriè eſt *mactare*. Sacrificium à Græcis nominatur θυσία à θύω *macto*. Ferta quæ fiebant farina triticea vel hordeacea, cum vino augebantur, appellabantur ferta libaminum. Omnia autem ferta ſuper altari offerenda priùs oleo ſubigenda erant, & ſuperaddendum thus, ut præcipitur in Levitico. (*cap.* 2. *v.* 1.) Condiebantur ſale, & hoc eſt quod Virgilius *ſalſas fruges* appellat. Hæc in altari adolebantur; vinum verò affundebatur ejuſdem altaris crepidini. Cautum erat, ne quid fermentati, aut mellis altari ſuperponeretur.

Sartaginis autem & craticulæ, in quibus cocta ferta, quæ in furno non coquerentur, id diſcriminis ex Maimonide intererat, quòd craticula inſtructa eſſet ora, quia mola quæ in hac coquebatur, mollis

Digitized by Google

mollis eſſet; ne autem excederet, ora craticulæ obſtabat. Vas illud, quod à Vulgato interprete appellatur *craticula*, in fonte dicitur *Raſcheſchel*, quod potiùs ahenum cacabum, ſive vas in quo aliquid ebullitur, denotat, quàm craticulam, quæ vernaculè dicitur *un gril*, italicè *una graticola*. Sartago autem *chaba* ora carebat, & in illa coquebatur mola oppidò dura, quæ hinc indè excurrere non poterat. Præſcribit Leviticus quibus menſuris ſimilæ & olei conſtarent ferta; quæ coquenda clibano, quæ ſartagine, quæ craticula, pro qualitate ſacrificiorum.

A quocumque poterat jugulari victima; proprium autem munus ſacerdotum erat excipere ſanguinem, transferre, & eo aſpergere altare, cæteraque munia obire. Quin etiam hominibus alienis, id eſt, non ſacerdotibus licebat pelle victimam exuere, eandemque in partes diſſecare; ſed ſacerdotum proprium munus erat ſanguine victimæ altare aſpergere; *immolabitque vitulum coram Domino*, is ſcilicet qui offert, & *offerent filii Aaron ſacerdotes, ſanguinem ejus fundentes per altaris circuitum*. (*Levit. cap.* 1. *v.* 5.) Sic præceptum fuerat, inquit Origenes, quia Annas & Caiphas, & cæteri Sacerdotes, qui conſilium inierunt contra Dominum, erant filii Aaron, & ipſi obtulerunt & ſanguinem fuderunt in eodem loco, in quo erat altare, id eſt, in Jeruſalem, ſive potiùs in Templo ipſo, ubi Sacerdotes Jeſum mortis reum judicarunt.

Ante extructum Templum, non licebat mactare victimam, niſi ad Tabernaculi oſtium (*Levit. cap.*3.) poſtea in domo electa, hoc eſt, in loco, quem elegit Dominus, ut præcipitur (*Deut. cap.* 12. *v.* 14.) nempe in Templo. In quocumque atrii loco poterat fieri jugulatio pecudis, ſed non extra illud: neque etiam Agnus Paſchalis extra atrium mactari poterat. Ad iſtam legem, de non mactando ſacrificio extra

Digitized by Google

extra Templum Hieroſolymitanum, alludebat Dominus, cùm apud Lucam (*cap.* 13.) dicebat: *quia non capit Prophetam perire extra Jeruſalem*. Scilicet typi mortis Prophetæ extra hanc urbem exhiberi non poterant. Sanctiores victimæ ad ſolum aquilonare altaris latus mactari poterant. (*Levit. cap.* 1.) Aliæ ubique in atrio Sacerdotum, etiam in atrio Iſraelis; antequam conderetur Templum, lex de loco ſacrificiorum non tam arcta erat. Samuel, David, Salomon non adduxerunt omnia ſua ſacrificia ad Tabernaculum. Quandoque ſacrificaverunt in excelſis, quod poſtea piaculum fuit. Elias quidem extra terram Juda coram Iſraelitis in monte Carmelo ſacrificavit juvencum Deo vero, qui igne cœleſti ſacrificium illud ſibi placere, teſtatus eſt. Sed non idcirco putandum eſt hoc Eliæ ſacrificio religionem Templi Hieroſolymitani abrogatam; imò vindicata eſt à Propheta zelo divino adversùs Baalim. Miraculum quod tunc editum eſt, narratur in *tertio* Regum. *cap.* 18.

Nulla ſacrificia fiebant niſi interdiu; nec aſpergebatur ſanguis, niſi victimæ quæ de die eſſet occiſa. Ubi ſol occiderat, ſanguis fiebat prophanus; ſed cùm aſperſio facta fuerat in die, poterant adoleri membra & exta tota nocte. Matutinum ſacrificium fiebat, cùm ſol nondum ortus colluſtraret orientalem plagam. Veſpertinum, ubi primùm umbra ejus porrigebatur. Agnus Paſchalis immolabatur inter veſperas, hoc eſt, ſole inclinante, nempe hora nona, quæ tertia eſt noſtra pomeridiana, qua Joſephus expreſſis verbis dicit fuiſſe Agnum Paſchalem mactandum; & qua hora contigit Jeſum expiraſſe in cruce. Agnus in quotidiano ſacrificio immolandus ita vinciebatur, ut anteriora & poſteriora ejus crura colligarentur (quem ligationis modum Rabbini appellant *ligationem Iſaac*) & jacebat capite ad meridiem obver-

Digitized by Google

obverſo, facie verò ad occidentem; quo ſitu corporis videtur Chriſtus obtuliſſe carnis ſuæ ſacrificium.

Jam enumeremus diverſas ſacrificiorum ſpecies. Cùm ſacrificium Chriſti ſe Deo Patri offerentis non poſſet ob multiplicem virtutem uno ſacrificii genere repræſentari, ideo plurimæ ſacrificiorum ſpecies fuere inſtituendæ. Inter ſacrificia alia erant ſanctiſſima, alia levia, ſive minùs ſancta, aut inferioris ſanctitatis. Quatuor ſacrificiorum ſpecies Maimonides admittit, holocauſtum, ſacrificium pro peccato, pro delicto, & ſacrificium pacificorum: ſacrificia autem illa erant vel privati alicujus, vel totius Iſraelis. De his ſpeciebus juvat aliquid delibare.

Holocauſtum, ut nomen, quod Græcum eſt, indicat, totum igne abſumebatur. Hebræis dicitur *Hola*, quod non aliud ſignificat quàm *aſcenſum:* ſcilicet aſcendebat victima ad altaris ignem, quo correpta abibat in fumum. Videntur autem Græci confudiſſe *bola*, *aſcenſio* cum ὅλος *totus*: etenim in quibuſdam ſacrificiis, etiam quæ holocauſta nominabant, pars quædam cedebat Sacerdotibus, vel laicis, à quibus oblata; ita tota hoſtia non conſumebatur igne. Ritus hujus ſacrificii deſcribitur in Levitico. (*cap.* 1.) Ignis cælitùs demiſſus aliquando corripiebat victimam in holocauſtum oblatam.

Sacrificia, quæ incendio abſumebantur in altari, dicebantur Hebraicè *iſche*, id eſt, ignita, ab *iſch* ignis. Res inanimatæ igni deſtinatæ etiam dicebantur *kethora* vel *kethoreth*, id eſt, ſuffitus, Græcis *θυμιάματα*, quæ incenſa in fumos abibant. Nomen oblationis rerum inanimatarum, quæ alio ritu ſacro deſtruebantur, erat *neſek*, *σπονδὴ* libamen.

Sacrificia alia voluntaria cenſebantur, alia neceſſaria. Quæ ſponte & ultro, quoties luberet, offerri poterant, dicebantur voluntaria, etiam *ſchelammim*, id eſt, pacifica, ex *ſchalam*, quod eſt *retribuere* vel

pace

pace frui. Pacifica ſacrificia etiam ſalutaria dicebantur, nempe facta propter recuperatam ſalutem, & ob res proſperas: Euchariſtica, quia fiebant dum gratiarum actio redderetur. Sacrificia neceſſaria erant gemina pro peccato & pro delicto. Primum appellatur ſimpliciter *περὶ ἁμαρτίας pro peccato*. Ita verba illa Pauli ad Hebræos (*cap.* 10. *v.* 8.) quibus Jeſum inducit loquentem, *hoſtias & oblationes & holocautomata pro peccato noluiſti*, non ſic intelligenda ſunt quaſi Deus non admiſerit oblatum à Chriſto ſacrificium pro peccatis hominum. In fonte Græco eſt, *καὶ περὶ ἁμαρτίας*, id eſt, Deus non delectatus fuerat antiquis ſacrificiis, neque oblationibus, neque holocauſtis, neque ſacrificio quod dicebatur *pro peccato*. Similiter & in Epiſtola ad Romanos ubi Paulus dicit in Vulgata noſtra: (*cap.* 8.) *Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne*. Illud *de peccato* in fonte Græco *περὶ ἁμαρτίας* intelligendum eſt ſacrificium quod pro peccato dicebatur, in cujus ſimilitudine venit JESUS CHRISTUS. Similiter, cùm in Epiſtola ad Hebræos (*cap.* 9. *v.* 28.) dicitur de Chriſto, *ſine peccato apparebit expectantibus ſe in ſalutem*, ſenſus, ut mihi videtur, eſt, quod non opus erit, ut in corpore ſuo offerat ſacrificium *pro peccato*. Denique ſecunda Epiſtola ad Corinth. (*cap.* 5. *v.* 21.) *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*, nempe ſacrificium *pro peccato*, *ut nos efficeremur juſtitia Dei ipſo*.

Per peccatum intelligunt Hebræi vel voluntariam vel imprudentem prætergreſſionem legis divinæ, quę niſi expiaretur, haberet pœnam comitem à Deo immiſſam; cùm autem & crederent pleroſque morbos, ut parturientium dolores, & immunditiem leproſorum, eſſe alicujus peccati irrogata ſupplicia, idcirco ſacrificia quæ à leproſis & à puerperis offerebantur,

tur, numerant inter ſacrificia *pro peccato*, id eſt, oblata ad placandum Deum, cujus ira provocata fuerat peccato.

Ut liqueat quid ſit ſacrificium *pro delicto*, quærendum quid intelligant Hebræi per *Aſcham*, quam vocem Latinus interpres reddit *delictum*. Propriè *Aſcham* reatus eſt. Puta execratio, perjurium, error, ignorantia. Præſertim culpa erat, ut ita dicam, incerta: nempè cùm aliquis certò non ſibi conſcius eſset culpæ alicujus, ſive dubius an admiſiſset, necne, tenebatur, ne incurreret in odium Dei, certum piaculum facere, ſive offerre ſacrificium quod *pro delicto* appellabatur. Rem non ſatis explicat nomen *delictum*. Conſtat præſcripta fuiſse ſacrificia his qui culpæ dubii erant, ut videre eſt in hoc loco Levitici. (*cap.* 5. *v.* 17.) *Anima ſi peccaverit per ignorantiam, feceritque unum ex his quæ Domini lege prohibentur, & peccati rea intellexerit iniquitatem ſuam.* Fons ſic reddi poteſt. *Homo autem cùm peccaverit, & contra quodvis præceptorum Domini, quod facere minimè licet, fecerit; & ſi hoc feciſſe non certò novit, reus tamen eſt.* Pergit autem loqui Vulgatus interpres: *Offeret arietem immaculatum de gregibus Sacerdoti, juxta menſuram æſtimationemque peccati; qui orabit pro eo, quia neſciens fecerit, & dimittetur ei.*

Sacrificia ſic diſtingui poſsunt, ut alia dicantur *conſecrationis*, nempe Sacerdotum, quæ deſcribitur (*Levit. c.* 6.) *Emundationis* pro puerpera, (*cap.* 12.) pro leproſo, (*cap.* 13. 14.) pro ſeminifluo, (*cap.* 15.) & pro muliere menſtruoſa ibidem. Item *expiationis*, quæ offerebantur pro ſanctuario, ſive pro templo, & pro labe totius populi.

Sacrificia & diſtinguebantur feſtis diebus, quibus propria erant. Sacrificio jugi matutino & veſpertino, in Calendis ſive Neomeniis, addebatur aliud

ſacri-

Digitized by Google

ſacrificium, ſicut in Paſchatis diebus. Agnus Paſchalis jugulabatur in atrio Templi, etiam à quolibet; ſed à ſolis Sacerdotibus ſanguis ejus excipiebatur patera, quæ effundebatur ad baſim altaris. Caro ejus aſportabatur comedenda in familiis. Poſt magnum azymorum diem, nempe decima ſexta die menſis Paſchalis, offerebatur ſacrificium cum manipulo novæ meſſis. Die Pentecoſtes, ut in Calendis, addebatur ſacrificium quotidiano. Præterea offerebantur duo fermentati panes in primitias novæ meſſis; ſed non comburendi in altari, à quo omne fermentum removebatur, ut dictum eſt. Sic in reliquis feſtis addebatur ſacrificium jugibus ſacrificiis. In ſcenopegia libabatur aqua cum vino. In die expiationis offerebantur hirci duo, quorum alter immolatus in hoſtiam pro peccato cremabatur; alter vivus emittebatur in ſolitudinem. Primi inferebatur ſanguis in ſancta Sanctorum: ſuper alterum ſacerdos confitebatur peccata populi.

Lex præſcribebat quas partes victimarum comederent Sacerdotes, quas ille qui obtuliſſet. Participatio illa erat pars ſacrificii, ſive ad ſacrificium pertinens; juxta quod dicebat Paulus. (1. *Corinth. cap.* 9. *v.* 13.) *Neſcitis quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt: & qui altari deſerviunt, cum altari participant.* In fonte Græco τῷ θυσιαστηρίῳ συμμερίζονται. *Dividunt cum altari*, cui debebatur portio voranda igne ejus. Altera portio tum Sacerdotum erat tum offerentium. Ad hunc morem alludebat Paulus *capite ſequenti* x. 21. *non poteſtis menſæ Domini*, id eſt altaris *participes eſſe & dæmoniorum*. In loco ſancto comedenda erat victima, à viris mundis & circumciſis, non alibi quàm in atrio, cum ſacrificium eſſet ſanctiſſimum; minùs enim ſancta, ut agnus Paſchalis, poterant comedi intra mœnia urbis Jeruſalem, ſed non extra.

Præter ſacrificia quæ fiebant ex animalibus, aliæ erant oblationes, ut dictum eſt, ex panibus, vino, thure, & oleo. Oblatio incenſi quotidie fiebat, ſcilicet *Thymiama*, ſive ſuffimentum certis aromatibus compoſitum, incendebatur in altari aureo, quod ideò *Thymiamatis* dicebatur. Altera oblatio ordinaria fiebat duodecim panum propoſitionis, qui unoquoque ſabbato coram Domino novi apponebantur: ablati à Sacerdotibus comedebantur. Oblationes ſpontaneæ ſunt vel vota, vel ſponſiones: illæ minùs adſtringebant, quàm vota. Votorum duæ claſſes erant: prima conſecrationis; ſecunda obligationis. Votum conſecrationis fuit, cùm aliquid devoveretur in uſus ſacros, altaris ſcilicet aut Templi, veluti cùm voto quis hoc vel illud dicaret in ſacrificium, vel ad coemendum lignum, ſalem, vinum &c. pro altari. Votum obligationis, ſicut cùm quis ſe voto aſtringeret ad hoc vel illud, quod ex ſe erat licitum, veluti ſe hoc vel illud non comeſturum, non induturum, non facturum, &c. ſicut nec bibere vinum, nec capillos tondere, nec habitare in domo. Vota fiebant cùm quis diceret, v. g. in me recipio holocauſtum, vel pretium hujus pecoris in holocauſtum recipio; formulas breves adhibebant Judæi; verbi gratia, ut quis voveret omnia bona, ſufficiebat dicere, omne quod ex me eſt, *corban*, hoc eſt, voveo Deo omnia quæ penes me ſunt. Vox illa idem ſonat ac donum. Ex quo intelligere eſt quis ſenſus ſit horum verborum Matthæi. (*cap.* 15. *v.* 5.) *Munus quodcumque eſt ex me tibi proderit*, quæ non alia ſunt ab his Marci. (*cap.* 7. *v.* 11.) *Corban* (*quod eſt donum*) *quodcumque ex me tibi profuerit*. Scilicet ſtatuerant Phariſæi, ut ſtatim ac filius promiſiſſet Deo bona ſua, etiam quæ neceſſaria erant patri & matri alendis, teneri illa Deo reddere, ſimul ac emiſiſſet illam vocem *corban*. Scilicet res votæ cenſebantur ſacræ, à quibus non minùs

Digitized by Google

minùs abſtinendum quàm à ſacris. Lex jubebat reddere citò quod votum eſſet.

Conjunctæ cum ſacrificiis cenſeri poſſunt primitiæ ſive animalium ſive fructuum; erant enim oblationes factæ Deo. Primogeniti omnes maſculi debebantur Deo. (*Exod. cap.* 22.) Homines & omnia animalia, quæ immunda erant, Judæi redimebant. Similiter boves primogeniti Deo debebantur. Non poterat falx mitti in meſſem, niſi Omer, ſive manipulus Deo eſſet oblatus altera die poſt magnum diem azymorum; ſimiliter nec panis ex tritico coqui, niſi poſtquam primò panes novi ex tritico fuiſſent etiam Deo oblati in die Pentecoſtes. Ante illas primitias Deo oblatas omnia cenſebantur immunda, poſtea munda & ſancta. Ad hunc morem alludit Paulus, (*Rom. cap.* 11. *v.* 16.) *quod ſi delibatio*, Græcè *ἀπαρχὴ*, primitiæ, *ſancta eſt, & maſſa*, nempe reliqua maſſa ſancta habetur. Præcipit lex, inquit Philo, (*Lib. de Sacerd. honorib.*) ut quotieſcumque panis à piſtoribus fermentatur ac ſubigitur; totius pars ſeparetur in primitias, quæ deſtinabantur in uſum Sacerdotum. Hoc pacto offerentium pietati proſpicitur; dum enim aſſueſcebant ſemper alimenti partem Deo decidere, nunquam in ejus oblivionem veniebant. Maimonides dicit qui fructus ſuos comediſſet necdum decimatos, eum obnoxium fuiſſe morti divinitùs infligendæ. Pariter offerebantur primitiæ vini, olei, (*Deuter. cap.* 18.) & pomorum.

Decimæ ex omni terræ proventu ſingulis annis pendebantur, ſcilicet pars decima. Decimarum autem quatuor genera diſtinguit ex lege Hieronymus, & illa explicat, commentans caput xlv. Ezechielis. Prima à populo pendebatur Levitis. (*Num.* 18.) Qui comediſſet non decimata, reus fuiſſet mortis. Secunda à Levitis, qui partem decimam decimarum dabant Sacerdotibus. (*Num.* 18.) Tertiam unuſquiſ-

que in ſuis terris Decimam ſeparabat, quam comederet in veſtibulo Templi, invitans Levitas ac Sacerdotes. (*Deut. cap.* 14.) Quarta Decima recondebatur pro tertio quoque anno ad pauperes ſuſtentandos, (*Deut.* 14. 28.) dum terra quieſcebat. *Anno tertio ſeparabis aliam decimam, ex omnibus quæ naſcuntur tibi eo tempore, & repones intra januas tuas. Venietque Levites, qui aliam non habet partem nec poſſeſſionem tecum, & peregrinus ac pupillus & vidua, qui intra portas tuas ſunt, & comedent & ſaturabuntur.*

Tempus anni, à quo decimas computabant, varium fuit. Ab *elul* ad *elul* numerabant annum, ut pecus ritè decimarent: à *tiſri* ad *tiſri* propter frumentum & legumina ſupputabant, à *ſchebat* ad *ſchebat* propter arborum fructus.

Si quis vellet redimere decimas ſuas, quintam partem earum addebat. Decimæ enim illæ, diverſæ ab iis quas debebant Judæi Levitis & Sacerdotibus, Hieroſolymam ad Templum deferebantur ex omni Hebræorum ditione. Qui autem remotas regiones incolebant, venditis in patria decimis, ut adſtruit Joſephus. (*Antiq. lib.* 4. *cap.* 8.) Juxta legem Deuteronomii (*cap.* 14.) pecuniam indè redactam in ſacra urbe inſumebant in ſacrificia & convivia, quæ læta agere lex jubebat. Hæc eſt pecunia, quam idem Joſephus (*Lib.* 16. *cap.* 10.) appellat *votivam*; quam per certos homines Judæi Hieroſolymam mittebant ab omnibus orbis plagis. Morem hunc ſervabant Chriſtiani eleemoſynas ſuas mittentes Hieroſolymam, ad alendos ſanctos; de quo more interpretor quod ſcribit Paulus, (1. *Cor. cap.* 16. *v.* 1.) *de collectis autem quæ fiunt in ſanctos, ſicut ordinavi Eccleſiis Galatiæ, ita & vos facite per unam ſabbati*, id eſt, prima die hebdomadis, *unuſquiſque veſtrum apud ſe ſeponat recondens quod ei benè placuerit; ut non,*

cùm

eum venero, tunc collectæ fiant, cùm autem præſens fuero, quos probaveritis per Epiſtolas, hos mittam perferre gratiam veſtram in Jeruſalem.

Ut ritè numerarentur pecudes, dum decimabantur, colligebat pecuarius omnes agnos ſuos vel vitulos ſuos in unum ſtabulum; cujus oſtium parvum erat, ita ut duo ſimul exire non poſſent. Matrès eorum extra caulam conſtituebat, ut cùm agni vel vituli eas balantes vel mugientes audirent, ordine alter poſt alterum egrederentur. Tum incipiebat pecus ſuum numerare, & quod decimo loco exiret, ſive macrum eſſet ſive pingue, ſive maſculum, ſive fœmineum, percutiebat virga quadam minio tincta, & dicebat: hoc erit pro decima. Mos ille adſtruitur ex Levitico. (*cap.* 27. *v.* 32.) *Omnium decimarum bovis & ovis & capræ, quæ ſub paſtoris virga tranſeunt; quidquid decimum venerit, ſanctificabitur Domino.*

Conſulebat pauperibus, quorum in favorem lex ſic præcipit: (*cùm meſſueris ſegetes terræ tuæ*, loquitur Deus, *non tondebis uſque ad ſolum ſuperficiem terræ: nec remanentes ſpicas colliges.* In fonte *non conſummabis metendo angulum agri tui.* Nempe Judæi, cum agros metebant, ex juſſu Dei, relinquebant angulum agri, ſive portionem quam non metebant: cujus quantitas non præſtituitur in lege ſacra; ſed ex ſcitis ſcribarum, ſeu eorum quibus permiſſa eſt ſanctionum ſuperinducendarum poteſtas, pars erat minimùm ſexageſima. Addit lex (*v.* 10.) *neque in vinea tua racemos & grana decidentia congregabis ſed pauperibus & peregrinis carpenda dimittes.* In fonte *ſpicilegium non colliges.* Manipulum caſu oblitum in agro pauperibus Judæi relinquebant.

CAPUT VIII.

De Templi miniſtris; de Levitis, de Sacerdotibus, de ſummo Sacerdote Dei & veſtibus ejus; de Ephod, & in eo Urim & Thumim. De aliis perſonis ſacris, Nazaræis, Rechabitis, Prophetis.

DEo ſummo Regi conveniebat deſervire plures miniſtros, qui adſtarent ſatellites & cuſtodes ſacri palatii, menſæ ejus, id eſt altari miniſtrarent, cæteriſque defungerentur muneribus, quæ ordinata oportebat ad edendos typos Chriſti, qui rerum Hebræarum omnium finis eſt. Olim Tabernaculum, poſtea Templum pro ſummi Regis palatio fuit; in quo ergo qui Dei ſervitio addicti erant, ſua obire munera tenebantur. Jam diximus miniſterium Tabernaculi & deinde Templi demandatum fuiſſe Tribui Levi; cui ut tota vacaret, omnibus aliis curis ſoluta erat. Non omnibus verò qui ex illa Tribu eſſent, ſed iis ſolis, qui ex familia Aaronis ortum ducebant, commiſit Deus ſacerdotalia munia, hoc eſt, quæ præcipua erant in Templo. Cum Levitica tribus cultui divino addicta eſſet, ſortem non acceperat in terra promiſſionis. Ideo non numerabatur inter duodecim tribus, quia per eas diſperſa erat, & earum decimis alebatur, quarum ipſi decimas Sacerdotibus pendebant.

Quamvis conſtaret quempiam eſſe Levitici generis, miniſtrare non poterat, niſi priùs certis & legitimis ritibus conſecraretur. *Tolle Levitas ex medio filiorum Iſrael*, inquit Deus Moyſen alloquens, (*Num. cap.* 8.). *& purificabis eos juxta hunc ritum. Aſpergantur aqua luſtrationis; & radant omnes pilos carnis ſuæ. Cumque laverint veſtimenta ſua, & mundati fuerint, tollent bovem de armentis, &c.* Nullus

inſuper

inſuper munus ſuum effecturus admittebatur in atrium, quin priùs eſſet quinquennio miniſterium edoctus, inquit Maimonides. Lex alibi (*Num. cap.* 8. *v.* 24.) illos à vigeſimo quinto anno, & alibi (*cap.* 4. *v.* 3.) à trigeſimo tantùm anno idoneos dicit obeundis officiis ſuis. Quo pacto illa ſibi concilientur, ait Maimonides. Nempe quinquennium in addiſcenda miniſterii ratione ponebatur. Etenim Levita miniſterium inire non poterat, quin jam vir grandis eſſet. Cùm autem quinquageſimum annum impleverat, jam liber vacabat; quod idem Maimonides ſic intelligit, ut id non concederetur Levitis, niſi eo tempore quo Tabernaculum portabatur ex uno loco in alium; nam poſtea anni miniſterio non faciebant inhabiles. Quæ vaſa, quæ ſupellectilia, quas quiſque partes Tabernaculi portaret, ubi ſedes ejus mutanda erat, Moyſes præceperat: Ubi autem Deus ſedes quietas Iſraelitis dedit, alia illis munera ſubſtituit. Alios fecit Janitores, alios Cantores, alios theſaurarios; eos in curias partitus viginti quatuor, quarum ſingulæ ex Maimonide plenam hebdomadam miniſtrabant. Tum verò princeps cujuſque curiæ cunctos curiales ſuos diſtinguebat in familias, ut ſingulis diebus miniſtrarent. His-ce autem diariis miniſtris ſuum cuique munus aſſignabant familiarum principes. Solis autem ex Aaronis familia altaris munera obire licitum erat.

Numeravit David tempore ſuo Levitas à triginta annis & ſupra: & invenit triginta octo millia. Hinc æſtimari poteſt, quanta eſſet magnificentia Templi, in quo tot miniſtri adſtarent Deo. *Ex his electi ſunt*, ut dicit Scriptura, (1. *Paral. c.* 23.) *& diſtributi in miniſterium domus Domini viginti quatuor millia; Præpoſitorum & Judicum ſex millia. Porro quatuor millia Janitores: & totidem Pſaltæ, canentes Domino, in organis quæ fecerat ad canendum; & di-*

ſtribuit eos David per vices filiorum Levi. Juvat attexere quæ paucis interjectis ſubjiciuntur. *Juxta præcepta quoque David noviſſima ſupputabitur numerus filiorum Levi à viginti annis & ſupra. Et erunt ſub manu filiorum Aaron in cultum domus Domini, in veſtibulis, & in exhedris, & in loco purificationis, & in ſanctuario, & in univerſis operibus miniſterii Templi Domini. Sacerdotes autem, ſuper panes propoſitionis, & ad ſimilæ ſacrificium, & ad lagana azyma, & ſartaginem & ad torrendum, & ſuper omne pondus atque menſuram. Levitæ verò ut ſtent manè ad confitendum & canendum Domino: ſimiliterque ad veſperam tam in oblatione holocauſtorum Domini, quàm in Sabbatis & Kalendis, & ſolemnitatibus reliquis, juxta numerum & ceremonias uniuſcujuſque rei, jugiter coram Domino. Et cuſtodiant obſervationes Tabernaculi fœderis, & ritum ſanctuarii, & obſervationem filiorum Aaron fratrum ſuorum, ut miniſtrent in domo Domini.*

Templum habuit magiſtratus ſuos, quos Lucas (*cap.* 22. *v.* 52.) appellat στρατηγὸς τȣ͂ ἱερȣ͂, quæ vox Græca denotat hujuſce magiſtratus munus fuiſſe militare. Scilicet Templum habebatur pro caſtris Dei. Maimonides numerat quindecim præfectos, qui præerant deſcriptioni temporum, claudendis portis, cuſtodiis agendis, cantoribus, cymbalo, cæteriſque muſicis inſtrumentis, ſortibus, ſigillis, libationibus, ægrotis, aquis, propoſitionis panibus efficiendis, ſuffimento componendo, texendis velis, veſtimentis ſacerdotalibus apparandis. Quæ paulò fuſiùs explicabo verbis Maimonidis, ut magis magiſque pateat quo ordine & qua magnificentia omnia peragerentur in Templo.

Atque horum cuique præfectorum multi erant homines ſubjecti, qui hoc cui ille præfectus erat, opus efficerent. Is igitur, qui temporibus deſcribendis præerat,

Digitized by Google

rät, unà cum ſuis obſervabat tempora; utque ſacrificiorum venerat hora; vel ipſe, vel ejus permiſſu aliquis è ſubditis magna voce pronuntiabat, AD SACRIFICIA SACERDOTES, AD SUGGESTUM LEVITÆ, & AD STATIONEM ISRAELITÆ: *cujus ut eſſet audita vox, quiſque munus aggrediebatur. Qui portis claudendis praeerat, is claudi portas jubebat, aperirique: nec harum ad aperturam clangebant buccinatores niſi ejus permiſſu.... Qui prapoſitus erat cuſtodiis, hic vir.... nocte tota Levitas excubias agentes luſtrabat; quorum ſi reperiret aliquem in ſtatione ſua dormientem, baculo tondebat, & veſtes ejus adurebat. Qui preſidebat cantoribus, quotidie Levitas deligebat, qui carmen in ſuggeſtu voce canerent. Item ejus juſſu ſacrificiis faciendis clangebatur...... Qui preſidebat cymbalo, is omnia fidium genera aſſignabat cantoribus.... Qui ſortibus praſidebat, ab eo quotidie fiebat ſortitio de Sacerdotibus, ut eorum quiſque id quod ſorte ſibi obtigiſſet, munus efficeret.* Ne in molem excreſcat opus, non exſcribo totum locum Maimonidis de his-ce Templi præfectis; adjungam tamen fuiſſe Præfectum, qui Sacerdotes curaret ægrotantes: cùm enim illi, inquit Maimonides, in pavimento nudis pedibus ſemper inſiſterent, & ſacris operantes una omninò tunica tegerentur, ſæpè dolore viſcerum laborabant.

Non hujus eſt loci, recenſere portas Templi, & quibus janitoribus cuſtodia ejus committeretur, aut quorum janitorum eſſet invigilare ſalis, vini, olei cuſtodiæ, quæ omnia quantùm ſatis eſt expoſuimus in libris de Templo. David elegerat 288. viros cantandi peritos, qui cæteros cantores erudirent; viginti quatuor claſſes cantorum erant, ita cuique claſſi præerant duodecim viri peritiores. Alii voce, alii inſtrumentis canebant.

Cuique Sacerdotum claſſi ſuus præerat antiſtes, qui Prin-

Princeps appellabatur. Hieroſolymam operatum aſcendebat ſingulis hebdomadibus una claſſis. Vices mutabantur ſabbato: abibat una curia, & ſuccedebat ei proximè ſequens, uſque dum miniſtraſſent omnes; atque ad eundem ordinem perpetuò redibant. Ad dies verò ſolemnes nulla claſſis aberat. Princeps cujuſque claſſis ſic illam diſtribuebat, ut ſingulis hebdomadæ diebus ſingulæ familiæ rem divinam facerent. Cùm autem plura numero munia in Templo obeunda eſſent; multiſque Sacerdotibus non ſolùm quæque claſſis, ſed & quæque familia conſtaret, ſorti committebatur, quod quiſque Sacerdos impleret munus: ſic Zacharias Joannis Præcurſoris pater, ut Lucas loquitur, ſortitus erat *ut incenſum poneret*, id eſt, ut odoramenta in altari thymiamatis incenderet.

Antequam ultrà pergamus, advertendum qua ratione legerentur Sacerdotes in miniſterium Altaris: qui ab hoc-ce miniſterio arcerentur; & quæ illis lex vivendi poſita dum miniſtrarent. Judæi enumerant vitia quibus affecti Sacerdotes in corpore ſuo revocabantur ab Altari. Primùm ſtatuunt quinquaginta vitia quibus pecudes & homines temerabantur; nonaginta alia recenſent quæ ſolùm homines temerabant. Sacerdos cujus in genere profani quid inveniebatur, veſtes induebat atras, quibus obvolutus ex atrio diſcedebat. Quiſquis verò integer ac purus declarabatur à Judicibus, qui de ordine Sacerdotum cognoſcebant, albis ſeſe induebat, atque ingreſſus cum fratribus ſacra obibat. Ad hanc-ce conſuetudinem credo Joannem alluſiſſe in Apocalypſi. (*Cap.* 3. *v.* 5.) *Qui vicerit, ſic veſtiatur veſtimentis albis, & non delebo nomen ejus de libro vitæ*, Cujus genus purum, corpus autem vitio affectum exiſtebat, hic in cella lignorum conſiſtens ligna diffindebat, quibus Altaris focus exſtrueretur, & ea purgabat vermibus, ne impura & profana eſſent. Vino & mulieribus abſtinebant, cùm implebant vices ſuas.

Veſce-

Digitized by Google

ſuerat

Tab. VII.



Veſce-

Digitized by Google

Veſcebantur non aliis quàm ſacris carnibus, & panibus propoſitionis: ſtantes & nudis predibus operabantur.

Cunctis autem Sacerdotibus præfectus erat ſummus Sacerdos. Is inaugurabatur unctione olei ſacri, & veſtimento Sacerdotii magni. Unguentum illud pretioſum diducebatur ſupra ejus oculos in forma *chi* Græci, qualis eſt iſta figura X, ut diſcimus ex Maimonide, qui & docet hanc unctionem non fuiſſe factam tempore Templi ſecundi: poſtea ſola veſtium additione Pontifex inauguratus eſt. Unguentum quo frons ejus illinebatur, copiosè affundebatur; unde non mirum ſi deflueret in barbam ejus, ut regius Pſaltes canit: ***Sicut unguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron.*** Non aliud erat fragrantioris odoris unguentum.

Summum Sacerdotium, primitùs ad primogenitum hæreditate perveniebat; & duratio ejus, qualem eam inſtituerat Deus, totius vitæ erat: ſed translato ad reges Græcos imperio, deinde ad Romanos, eorum arbitrio Pontificatus fuit plurium aut pauciorum annorum, pro arbitrio Principum, penes quos ſumma poteſtas erat. Ab Aſſamonæorum ſivè Machabæorum temporibus, Pontificatus translatus fuerat è domo Aaronis ad familiam Judæ Machabæi, Leviticam quidem, ſed non de cognatione Aaronis. Extraneus, inquam, alienuſque, nullo ſucceſſionis jure, accepit Pontificatum Judas. Attamen de gente Sacerdotum fuit, ſi fides adhibenda huic recenſioni ſummorum Pontificum, quam texuit Joſephus. Summi Sacerdotes duo ſimul non fiebant; ſed conſtituebatur ſecundus Sacerdos, qui dignitate proximus eſſet à ſummo. Is appellabatur ***Sagan***. Sunt qui conjiciunt Annam fuiſſe ***Sagan*** Caiphæ; undè ad illum Jeſus pariter ac ad Caipham deductus eſt. Sedebat Sagan ad dexteram Pontificis. Has conditiones Deus Sacerdotibus propoſuerat

ſuerat (*in Levitico cap. x. 1.*) *Dixit Dominus ad Aaron: vinum & omne quod inebriare poteſt, non bibetis tu & filii tui, quando intrabitis in Tabernaculum teſtimonii, ne moriamini.* 2. *Ne contaminetur Sacerdos in mortibus civium ſuorum, niſi tantùm in conſanguineis.* (*Levit. cap. 21.*) *Scortum & vile proſtibulum non ducent uxorem, nec etiam quæ repudiata eſt à marito. Sacerdotis filia ſi deprehenſa fuerit in ſtupro, & violaverit nomen patris ſui, flammis exuretur.*

Jam de veſtibus Sacerdotum ſermo faciendus eſt. Veſtes Sacerdotum præcipiuntur in Exodo, (*cap. 8.*) factæ narrantur in Levitico, (*cap. 8.*) omnium autem Sacerdotum hæ erant veſtes. 1. Linea fœminalia. 2. Tunica linea, tam ſtrictè corpori adhærens, ut nulla remaneret ruga. 3. Balteus. 4. Tiara, quæ erat genus pilei rotundi. Hæc quæ ſequuntur, erant propria ſummi Pontificis, quem tibi exhibemus tabula (*Tab. 7.*) expreſſum. Veſtis ei propria, quam primùm conſideramus, dicitur in fonte *mehil*; quæ vox variè redditur à Græcis interpretibus. Semel ab eis appellatur ποδήρης, qua appellatione utitur Joſephus; ποδήρης autem veſtis eſt ad ipſos uſque pedes promiſſa, ſive pertingens; ſed cùm ipſi Græci aliis pleriſque nominibus *mehil* explicent, non neceſſe eſt ut genus veſtis talaris intelligamus. Erat tantùm *pallium* ſive *tunica*. In hujus extrema parte, qualecumque fuerit, loco fimbriæ erant LXII. tintinnabula ex auro & totidem mala punica. Illa *mehil*, ſive tunica, ſi ad talos uſque demiſſa fuiſſet, malogranata & tintinnabula terram attingentia ſonum edere non potuiſſent. Hoc ergo ſenſu *mehil* dici potuit ποδήρης, quia demiſſum fuerit ferè ad pedes, ut videre eſt in imagine.

Cave autem, Lector, ne æſtimes illud *mehil* fuiſſe lineam veſtem: ex Scriptura erat hyacinthina. Tunica omnibus Sacerdotibus propria, non niſi linea erat, facta ex pretioſa byſſo, & texta ſeno filo retorto.

torto. Sed hæc tunica habebat fundas intextas ad majorem ornatum. Hoc apparet in extrema parte hujuſce tunicæ, quam *mehil* non abſcondit. Cernere eſt in imagine illas fundas intextas; nempe erant partes quæ eminerent ſupra profundiores. Præterea obſervandæ ſunt extremitates baltei dependentis uſque ad terram.

Proſequamur veſtes proprias ſummo Sacerdoti. Habebat ſuperhumerale, quod Hebræis dictum *Ephod*, Græcis ἐπωμὶς, quod idem eſt ac *ſuperhumerale*. In utroque humero erant duo lapides, in quorum altero, qui in dextra parte erat, ſcripta nomina ſex majorum filiorum Jacob, in altera autem ſex minorum. Pannus pectori ſummi Sacerdotis apponebatur, quadratus, ſemicubiti magnitudine, Hebraicè dictus *choſen* aut *Hoſen*, nempe pectorale, Græcis λογίον, Latinis *rationale*, quia, ut modò dicemus, eſſet veluti oraculum. In hoc-ce pectorali erant duodecim lapides pretioſi, inſcripti duodecim nominibus filiorum Jacob. Præterea *Urim*, & *Thumim* habebat, ſive *Thummim* quidquid illæ fuerint duæ voces. Idem certè ſonant quod *lumen* vel *doctrina* & *veritas*, ſive *perfectio*. Alii volunt *Urim* & *Thumim* fuiſſe ſigna ſacra in pectorali ſummi Sacerdotis ornamento, quæ indicabant res occultas & futuras: ita erant veluti oraculum. Cùm ſummus Sacerdos ſibi applicabat hoc pectorale ſive rationale, & induebat illud, cognoſcebat res arcanas & conſilia Dei. Sunt ergo qui ſentiunt *Urim* & *Thumim* fuiſſe lucem quam emitterent duodecim lapides faſciæ pectoralis, qua luce ſummus Sacerdos veritatem doceretur. Scilicet miraculosè ita fulgebant duodecim lapides, vel ita obſervabantur, ut fulgore vel obſcuritate quis fuiſſet reus, deprehenderetur. Scribit Joſephus (*Antiq. lib.* 3. *cap.* 9.) deſiiſſe illas gemmas lucere annis 200. antequam ſcriberet, quoniam Dei ira ob tranſgreſſionem legum provo-

cata

Digitized by Google

cata eſset. Sed quicumque fuerit ille fulgor, vel quęcumque fuerit lapidum obſcuritas, non apparet quomodo res diverſæ potuiſsent indicari. Ideo ſatius eſt dicere ſic veritatem fuiſse in Ephod, quia hoc indutus Pontifex clara & perfecta cognitione veritatis donabatur à Deo. Cùm Abiathar fugiens Saulem ſecum detuliſset Ephod: *applica*, inquiebat ad illum David, *Ephod, ut cognoſcam ſi tradent me viri Ceila*. Induere hoc veſtimento, ut Deo movente tuum cor, id reſciſcas. In Exodo (*cap.* 28. *v.* 30.) dicit Deus ad Moyſen: *Pones autem in rationali judicii doctrinam & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino*. Illa videntur indicare *Urim* & *Thumin* fuiſse quampiam rem diſtinctam à pectorali; ſed & ſic interpretari poſsumus, ut Ephod indutus Aaron, accepturus eſset *Urim*, id eſt, lucem ſive cognitionem, & *Thumim* perfectionem & integritatem.

Itaque *Urim* & *Thumim* non habenda neque pro inſcriptis literis, nec pro rebus effigiatis. Donabatur cognitione veritatis qui induebat Ephod, non quodcumque, ſed cui adhærebat faſcia pectoralis. Gedeon ex præda Madianitarum conflavit Ephod, quod poſuit in civitate ſua, (*Jud. cap.* 8.) *& factum eſt Gedeoni & omni domui ejus in ruinam*. Quomodo, niſi adjuncta fuerint idola? Eſto hæc ſtatim non facta ſint auctore Gedeon; ſed poſtea ad idololatriam delapſi ſunt Iſraelitæ, & plurimi ſibi ſtatuebant propriam religionem: quod fecit Michas, qui mille centum nummos, quos acceperat à matre, impendit faciendo Ephod & theraphim; quæ ſunt imagines, figuræ, idola, ut dicitur libro Judicum. (*cap.* 17. *v.* 5.) *Qui ædiculam quoque in ea*, in domo ſua *ſeparavit, & fecit Ephod & theraphim, id eſt veſtem ſacerdotalem, & idola, implevitque unius filiorum ſuorum manus, & factus eſt ei Sacerdos*. Conſecravit filium

lium ſuum, ut Sacerdotio fungeretur, induens Ephod, & conſulens ſua theraphim; à quibus deludi poterant reſponſis quæ dæmon edebat. Cùm in Ephod Moſaico fuiſſet *Urim* & *Thumim*, nempe veritas & perfectio, in Ephod idolorum fore ut eſſet error & fraudulentia. Oſee inter mala quæ filiis Iſrael prædicit, denuntiat (*cap.* 3. *v.* 4.): *Quia dies multos ſedebunt filii Iſrael ſine rege, ſine principe, & ſine ſacrificio, & ſine altari, & ſine Ephod, & ſine theraphim*. Quaſi dicat Deus, Iſraelitas ita omni cognitione deſerturos iri, ut neque à Deo vera luce illuſtrentur, nec falſa à dæmonibus. Theraphim erant ſimulacra, in quæ ſe inſerebat malus dæmon, & vanis reſponſis deludebat cultores ſuos. Ubi in Vulgata apud Ezechielem (*cap.* 21. *v.* 22.) legimus, rex Babylonis *interrogavit idola*, in fonte eſt *interrogavit theraphim*. Et apud Zachariam (*cap.* 10. *v.* 2.) *ſimulacra locuta ſunt inutile*, in fonte *theraphim locuta ſunt falſa, inania*. Seu ex eorum ore exirent oracula, ſive potiùs Sacerdotes idolorum vana reſponſa ederent nomine Dei. Scilicet, ut ſummus Sacerdos, verum Deum cœli conſulens indutus Ephod, illuſtrabatur luce ſive cognitione veritatis, qui colebant theraphim, ſive vana ſimulacra, pariter ab illis illuſtrari ſuadebant populos.

Iterum hic advertam quòd Deus conſultus dicebatur per *Urim* quoties Sacerdos veſtibus ſuo ordini congruentibus indutus accederet ad Arcam. Si quid agendum erit *Eleazar Sacerdos conſulet Dominum*. (*Num.* 17. *v.* 21.) In fonte *Eleazar de more Urim conſulet Dominum*. Ita *Urim* videtur proprium ſummi Sacerdotis; hujus enim & non aliorum erat induere verum Ephod. Quando Moyſes benedicit Tribui Leviticæ in Deuteronomio (*cap.* 33. *v.* 8.) ſic eam alloquitur. *Levi quoque ait, perfectio tua & doctrina tua viro ſancto tuo quem probaſti in tentatione*. In fonte *Urim tuum & Thumim*

tuum

tuum viro ſancto tuo quem probaſti: nempe ſummum ſacerdotium huic deferes quem probaveris. In primo Regum (*cap.* 28. *v.* 5.) cùm Saul conſuluit Dominum, *non reſpondit ei, neque per ſomnia, neque per Sacerdotes, neque per Prophetas*. Vulgatus Sacerdotes interpretatur quod fons Hebræus dicit Deum conſultum per *Urim*; quia ſcilicet Deus conſulitur per *Urim*, quando ad eum accedit ſummus Sacerdos ſuo Ephod amictus.

In ornatu pontificio non prætermittenda ſilentio lamina, in qua ſcriptum erat CODESCH LA JEHOVA, hoc eſt, *Sanctus Dei*. Hæc vitta hyacintina conſtringebatur ſuper cidarim, ſive tiaram ſummi Pontificis, quæ tiara, ſicut cæterorum Sacerdotum, linea erat; ſed diſtinguebatur his hyacintinis vittis. Hanc tiaram repræſentamus qualem eam deſcripſit Joannes Braunius, in erudito opere ſuo de veſtitu Sacerdotum. Aliam ſubjicit interpres Gallicus Joſephi, quam hic exhibemus. Nullæ in illa apparent vittæ, quibus Scriptura dicit illigatam fuiſſe laminam auream. Oculos & mentem adverte, lector, ad illam deſcriptionem, quę verbis Exodi (*cap.* 28.) non mihi videtur tam conſentanea. Tres autem ordines calyculorum Hyoſciami, quos agnoſcit in ipſa tiara autor verſionis Gallicæ, ponit Joſepbus in ipſa lamina.

Omnium Sacerdotum munera erant ignem perpetuò nutrire in altari holocauſtorum; (*Levit. cap.* 6.) vaſa ſacra cuſtodire: (*Num. cap.* 3.) offerre ſacrificium, mactare victimas, pelles illis detrahere, concidere in partes & lavare: aſperſiones facere aqua vel ſanguine ſuper perſonas, victimas, librum legis; odores incendere, lucernas componere, panes propoſitionis conficere, inferre novos, auferre veteres. Proprium Sacerdotale munus in ſacrificiis erat excipere ſanguinem victimarum, & illo aſpergere altare. Qui ob aliquam maculam ſacra facere non poterant, occupabantur, ut

dixi-

Digitized by Google

diximus, in findendis lignis, & evermiculandis quæ in altaris foco conſumebantur, quæque oportebat vermium eſſe expertia. Præter munera omnium Sacerdotum, hoc proprium erat ſummo Sacerdoti, quòd ſemel in anno, in die expiationum, ſolus ingredi poterat in ſanctuarium, & offerre ſacrificium, quod ſtatutum erat ad expiationem peccatorum ſuorum, & totius populi.

Ut Levitæ miniſtrabant Sacerdotibus; ita ipſis Levitis dati ſunt qui lignatum aquatumque mitterentur. Ii primùm fuere Gabaonitæ, quos Joſue huic miniſterio addixit. Mox alii ex devictis gentibus acceſſere, atque uno nomine appellati ſunt *Nathinæi*, quaſi deditit ios aut adſcriptitios dixeris, à verbo Hebræo *Nathan*, dare.

Si quidem hoc-ce loco diſſerimus de ſacris perſonis, ſive hiſ-ce viris per quos res ſacræ adminiſtrarentur, in Synagogis autem Deo colendo vacarent Judæi; decet & de miniſtris Synagogarum ſermonem facere.

Primùm erant in Synagoga viri & ætate & ſapientia ſenes, qui eſſent Synagogæ præſides, dicti à Græcis *Archiſynagogi*; hoc eſt, Synagogæ principes. Qui unus inter illos præeſſet, dicebatur ab Hebræis *Roſch Hakahal*, hoc eſt, caput congregationis. Viros omnes literatos, ſapientia & doctrina pollentes, Hebræi vocant *Hacamim*, id eſt, *ſapientes*. Horum non mediocris erat auctoritas. Judicabant de rebus pecuniariis, furtis, damnis, &c. Ad hoc alludit Paulus (1. *Cor. cap. 6. v. 5.*) dum exprobrat Chriſtianis quod lites ſuas deferrent ad judices gentium. *Sic non eſt inter vos ſapiens quiſquam, qui poſſit judicare inter fratrem ſuum?* Etiam illi pœnis afficiebant quos judicabant rebelles legi; de quo præmonuerat Jeſus diſcipulos ſuos: *in Synagogis flagellabunt vos*. Præter præſides illos, qui Archiſynagogi dicebantur, erat publicus Synagogæ

miniſter, qui oraret publicè, curaret de lectione Legis, conciones haberet. Hic dicebatur *chaſam*, hoc eſt, ſpeculator, inſpector, cuſtos, Epiſcopus. Erant præterea qui colligerent eleemoſynas, quibus & pauperum cura commiſſa erat. Appellabantur *parnaſim*; hoc eſt, paſtores, gubernatores, principes. Lex non legebatur niſi Hebraicè; ideò poſtquam Hebraica lingua deſiit eſſe vernacula, neceſſarius fuit interpres, qui dicebatur *Targumiſta*. Doctor, qui Hebraicè exponebat Scripturam, habebat interpretem, in cujus aure tenui ſuſurro muſſitabat, quod ille ſonorè toti populo enuntiaret. Huc ſpectat illud Salvatoris. (*Matth. c.* 10. *v.*27.) *Quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta*. Synagogæ non ſolùm precibus deſerviebant, ſed & ſcholis, in quibus Diſcipuli ſtuderent, ſic diſpoſiti, ut in ſubſelliis ſederent ſapientes, infra verò eorum pedes Diſcipuli; unde Paulus dicebat ſe ad pedes Gamalielis doctum legem; quod alii ſic intelligunt, ut Apoſtolus velit indicare ſe educatum in ædibus Gamalielis.

Inter perſonas ſacras poſſumus numerare eos, qui ſanctioris vitæ genere diverſi erant à populo; quales fuere Nazaræi, ſive, ut alii loquuntur, Naziræi. Erant certo vitæ genere ſeparati ab aliis hominibus, ut indicat nomen eorum, quod idem ſonat Hebraicè ac *ſeparatio*. Ipſi inſtituti à Deo, quiſquis ſe Deo devoverat, ut Nazaræus eſſet, abſtinebat tempore conſecrationis ſuæ ab omni potu inebriante, nec tondebat capillos. Conditiones & leges Nazaræorum deſcribuntur in Numeris. (*cap. 6.*) Alii erant Nazaræi ab utero, ut Samſon & Joannes Baptiſta. Alii votivi, qui propria deſtinatione ſe ſeparabant ad tempus, donec completum eſſet tempus conſecrationis ſuæ, poſt quod ſe tondebant ante oſtium Tabernaculi. Maimonides obſervat à viris religioſis ſumptus factos, ut ritè oblatis victimis, unus & plures Nazaræi comam depo-

Digitized by Google

deponerent, peractis voti diebus. Hec obſervatio lucem affert loco Actuum (*cap.* 21. *verſ.* 24.) ubi, quod plerique putant, non agitur de Paulo, ac ſi ille ipſe Nazaræatus votum concepiſſet. Apoſtoli conſilium ei dederant, ad amovendam de ſe opinionem quòd legis Moſaicæ inimicus eſſet, ut ſumptus faceret in victimas quas offerre Deo debebant quatuor viri, qui Nazaræatus votum voverant. Vir autem qui quaſi in partem Nazaræatus venerat, ſumptus hos faciens, ſanctificare ſe tenebatur. Itaque Paulus indicans diem, quo expletis voti diebus debebat impendere pecuniam in ſacrificium, falſa oſtendebat quæ de illo audiebantur, eum eſſe legis adverſarium.

Erant inter Judæos alii viri, ſicuti Nazaræi, certa vitæ diſciplina à cæteris diſtincti, videlicet Rechabitæ, qui nec vinum bibebant, nec ædificabant domum ad habitandum, ſed habitabant in tabernaculis, & vineam & agrum & ſementem non habebant, ut de illis Jeremias (*c.*35.) adſtruit. Horum originem repetunt à Raguel, ſive Jethro ſocero Moyſis. In Exodo (*cap.*2.) Moyſes dicitur uxorem duxiſſe filiam Raguelis, & paviſſe oves Jethro (*cap.* 3.) ſoceri ſui. Ita Raguel & Jethro non ſunt diverſi homines, niſi alter ex duobus avus ſit. Quidquid ſit, in Num. (*cap.*10. *v.* 29.) Hobab filius Raguelis Madianitæ, dicitur cognatus Moyſis, à quo impetraverit, ut cum Iſraelitis maneret, ſcilicet ne Moyſes familiam ejus cum cæteris Madianitis deleret. Igitur Hobab adjungens ſe Iſraelitis, cum illis profectus eſt, & eandem ſortem habuit. Progenies Hobab ipſi ſunt Cinæi, quos Balaam intuitus eſt, (*Num.* 24.) vaticinium edens; & primo cap. Jud. appellantur cognati Moyſis, qui habitaverint ad meridiem Judæorum. Mentio eorum etiam fit in primo lib. Paralip. (*cap.* 2. 55.) *Hi ſunt Cinæi, qui venerunt de calore patris domus Rechab.*

M 2 Quem

Quem Latinus interpres vocat ***calorem***, in Hebræo codice appellatur ***chama;*** quod nomen, cum deducitur à verbo *chaman* calefieri, ſonat *calor*: ſed idem nomen *chama* reddi poteſt *ſocer*, ut ſenſus ſit. ***Hi ſunt Cinæi, qui venerunt de ſocero***, nempe Moyſis, qui fuit pater domus Rechabitarum. Nullus ergo dubitandi locus eſt, quin Cinæi ortum ducant ex ſocero Moyſis; & quoniam admiſſi ſunt inter Iſraelitas, par eſt credere Deum Iſraelis coluiſſe. In quarto Regum (*cap.*10. 15.) Jehu rex Iſrael, circa annum 3120. accepit Jonadab filium Rechab in comitem & adjutorem, cum interfecit omnes Sacerdotes Baal. Nempe Jonadab inſtitutum Rechabitarum obſervans, in multo honore habebatur apud Regem, commendatus zelo ſuo. Ad hunc-ce Jonadab Jeremias videretur Inſtitutum Rechabitarum referre, niſi verba ejus accipi poſſent, non de primo autore inſtituti, ſed de inſtauratore vel reſtauratore, qui ante ducentos aut trecentos annos claruiſſet. Jethro ipſe vel Hobab, qui fuit cognatus Moyſis, cenſendus eſt pater Cinæorum; quos vixiſſe more Rechabitarum colligo ex eo quòd Scriptura (*Judic. c.* 4.) dicit de Cinæis, nempe de his filiis Hobab, qui fuit Moyſis cognatus, unum ex iis Cinæis nomine Heber receſſiſſe à fratribus ſuis, ut veriſimile eſt, quoniam ipſi receſſerant à doctrina & moribus parentum ſuorum. Inter domum Heber & Jabin regis Azor fuiſſe pacem, dicit Scriptura. Si illi Cinæi more patrum viverent ſub tentoriis ſine cupiditate, facilè obtinebant pacem à quocumque, & ideo à Jabin qui tunc temporis premebat Iſraelitas ſervitute, à qua Jahel uxor Heber eos liberavit. Debora prophetiſſa excitavit populum Dei ut jugum excuteret; & reipſa vicit Siſaram principem exercitus Regis Jabin. Jahel occurrens fugienti Siſaræ, cui nota erat, excepit illum in ſuo tentorio; quo utebatur pro domo, ut Rechabitæ ſolebant.

lebant. Siſara ab illa aquam petiit; ſciebat enim in domo ejus vinum non reperiri. Pro aqua Jahel lac obtulit; paſcebant enim pecora Rechabitæ; nam oves habebat ſocer Moyſis, quos ille pavit, antequam à Deo mitteretur in Ægyptum.

Tempore Jeremiæ Prophetæ cum Babylonii graſſarentur, coacti ſunt Rechabitæ, qui hactenus non ædificaverant domos ad habitandum, & vineam & ſementem non habuerant, ſed habitaverant in tabernaculis; tunc, inquam, compulſi ſunt ingredi urbes. Se receperunt Jeroſolymam, & hos Jeremias, ut narrat (*cap.* 35.) admiſit in Templo, & locavit in proprio conclavi. Non erant Rechabitæ nati ex Abraham, ſed peregrini; quia verò proſelyti juſtitiæ, poterant ingredi Templum. Poſt captivitatem, diſſolutum eſt Rechabitarum inſtitutum, niſi, ut aliqui putant, ſub nomine Eſſenorum floruerint. Eſſeni enim celebres fuere, nec diverſum vitæ genus profeſſi ſunt. Mirum autem eſt ante tot annos hocce vitæ genus eremiticum excultum fuiſſe ab hominibus, qui in populo Dei eſſent aſcriptitii.

Inter ſacras perſonas, de quibus nunc fit ſermo, cenſendi ſunt Patriarchæ, electa à Deo primarum familiarum capita, Adam, Noe, Abraham, Jacob, qui in domo ſua, vel alibi, pro ſe ſuaque familia, Sacerdotum officia implebant, ſacrificantes & populo Dei tunc exiguo divina annuntiantes, prout illis arcana ſua detegebat Deus.

Pariter inter ſacras perſonas numeramus prophetas, qui olim dicebantur *videntes*. Illi divino Spiritu afflati, judicia & voluntatem Dei, tum præſentem, tum futuram, regibus, populo confidenter annuntiabant. Non fuerunt ordinariè Sacerdotes, ſed ex quacumque Tribu, imo & ex gentibus aliquando ſuſcitati ſunt. Prophetarum autem non unum munus erat ventura annuntiare, ſed & edocere popu-

 los,

Jos, legem Dei interpretari; ita ut interdum hæc vox Propheta idem denotet ac Interpres & Doctor, Olim Prophetæ in Scriptura appellabantur *videntes*, ipſorum verò prophetia *viſio*; quia Deus modo extraordinario mentem ipſorum cognitione myſteriorum illuminabat, ita ut res carnis ſenſibus non ſubjectas quaſi præſentes viderent mentis oculis. Ita prophetiæ reipſa erant *viſiones*. Sed & prophetia vocatur *verbum Domini*, quatenùs ſermo Dei loquentis erat, & denudantis myſteria ſua. Denique dicebatur *onus* quatenus denotabat judicia Dei, & indicabat plagas, quibus populus, adversùs quem prophetia erat, onerandus eſſet.

Poſt Patriarchas, qui & ipſi prophetiæ dono exornati ſunt, primus & omnium præſtantiſſimus Moyſes extitit. Hic verò ſpiritus propheticus, quo Deus præcipuè Moyſen ipſum afflavit, à Moyſe ad ſeniores ſeptuaginta translatus eſt; ita ut & ipſi vaticinium edere cœperint, ut declaratur in Numeris. (*cap.*11.) *Multifariam multiſque modis olim Deus loquebatur patribus noſtris in Prophetis*, inquiebat auctor Epiſtolæ ad Hebræos, donec *noviſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in filio*. Familiari colloquio Dei utebatur Adam; & ab eo imbuebatur ſcientia. Toto tempore quo ille vixit, non alio quàm hoc teſte oculato homines indigebant, à quo ſcire poterant mundum conditum, & omnia è nihilo ortum ducere. Cùm Dei & operum ejus ſive creationis mundi memoria deleretur, & more belluarum viverent; Deus ſignificavit Noe, à ſe humanum genus univerſali diluvio deletum iri; & reipſa delevit. Cùm magis magiſque homines in ſcelera ruerent, Abrahamum juſſit exire patria, & illi promiſit aliam terram; cujus ſpe & exſpectatione ipſe Abraham veluti magnus Propheta implevit animos filiorum ſuorum. Poſtea excitavit Deus Moyſen, cujus & ipſe prophetiam confirma-

vit

Digitized by Google

vit portentis; ita ut ſine teſtimonio non ſe reliquerit; & omnem ex animis amoverit dubitationem de veritate legis ſuæ, quam per Moyſen promulgavit.

Sic Deus pergens loqui multifariam, multiſque modis, tempore Samuelis videtur inſtituiſſe Prophetarum collegium; quos ſpiritu ſuo afflabat; quique perpetua ſucceſſione, partem ſpiritus, quem acceperant, filiis ſuis communicabant. Sic Diſcipuli Prophetarum vocabantur filii eorum; ad quem loquendi morem alluditur apud Matthæum, (*cap.* 11. *v.* 9.) *juſtificata eſt ſapientia à filiis ſuis*. Hi prophetæ & filii eorum non ſolùm prædicebant futura, ſed & erudiebant populos: pangebant cantica, hymnos. Ea quorum non decebat interire memoriam, mandabant ſcripto. Uno verbo Doctores erant, ſed qui docti priùs à Deo docerent. Pleni Deo eructabant, quæ Deus infundebat animis eorum, ſive per viſiones patefaciens quæ futura erant, ſive per occultas inſpirationes revelans eis arcana, ſive occulto motu commovens eos, ut ea dicerent, quæ ipſe eis declarabat. Hæc eſt ſignificatio nominis Prophetæ. Juxta Græcam & Latinam linguam *propheta* idem eſt ac prædicens futura. Hebræis propheta dicebatur *roe* id eſt *videns*, cujus ſcilicet cognitioni futura ſubdita erant. Item *nabi*, ex verbo quod ſonat eructare, tum & dicere. Prophetæ nomine Dei compellabant populum; & illi eructabant quibus à Deo impleti fuerant.

A tempore Samuelis, uſque ad tempus quo iterum ædificatum eſt Templum, ſemper extitit tale Prophetarum collegium in Judæa, in Iſrael, in ſingulis ætatibus & civitatibus, adeo ut & horum numerarentur greges. Convenerant ad Samuelem multi Scripturæ exponendæ ſtudio ſe dicantes, quibus ille præfuit; atque ex iis aliquot Deus ſuſcitavit qui Prophetæ officium exercerent. Poſt Samuelem perpe-

tua ſucceſſione fuere viri Prophetæ, uſque ad Malachiam tempore Darii, cùm Templum eſt reſtitutum. De hoc-ce Prophetarum collegio interpretandus eſt locus Regum (*Lib.* 1. *cap.* 10.) ubi ſic Samuel Saulem compellat. *Venies in collem Dei, ubi eſt ſtatio Philiſtæorum; & cùm ingreſſus fueris ibi urbem, obvium habebis gregem Prophetarum deſcendentium de excelſo, & ante eos pſalterium & tympanum, & tibiam & citharam, ipſoſque Prophetantes:* & paulo poſt. *Venerunt ad prædictum collem, & ecce cuneus Prophetarum obvius eſt ei, &c.*

Igitur poſt Samuelem magnus fuit Prophetarum proventus, quorum omnium nomina non ſunt literis prodita. Hoc indicat liber quartus Regum, ubi Helias ſic capite xx. alloquitur Heliſæum: *ſede hic, quia Dominus miſit me uſque in Bethel.* Item *ſede hic, quia Dominus miſit me in Jericho.* Et poſt, *ſede hic, quia Dominus miſit me uſque ad Jordanem. Iverunt igitur & quinquaginta filii Prophetarum, & ſecuti ſunt eos.* Ex his-ce locis Scripturæ liquet fuiſſe Prophetarum cœtus ſive collegia. Deum multiplici modo conſulebant Hebræi. Per oraculum, cùm ad propitiatorium arcæ fœderis accedebant, atque ibi Deum rogabant, qui è medio Cherubim reſpondebat. Vox ſcilicet è medio Cherubim audiebatur; unde pars illa Templi dicebatur Oraculum. *Loquar ad te,* verba ſunt Dei in Exodo (*cap.* 25.) ad Moyſen, *ſupra propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim, qui erunt ſuper arcam Teſtimonii; cuncta quæ mandabo per te filiis Iſrael.* Conſultus Deus ſæpè reſpondit, modò per Prophetas, modò per Sacerdotes. Prophetæ Deo afflante loquebantur; ſummus verò Sacerdos per Urim, ut ſupra dictum eſt, advertebat quæ occulta erant. Quandoque Deus per ſomnia patefecit quid fieri vellet. Denique per Angelos non ſemel mandata ſua hominibus ſignificavit, ut Danieli & aliis.

Mani-

Digitized by Google

Manifeſtum ergo nunquam à Deo deſertos quos in Eccleſiam ſuam advocaverat, ſive elegerat, ut his conſtaret Eccleſia electorum ſuorum. Ab Adam primo hominum parente, fuere Patriarchæ, quos Deus imbuit doctrina, & ipſi prophetaverunt. Prophetavit Jacob; nec ulla dubitatio mentem ſubire poteſt de protectione Dei ſupra familiam ejus. Apertis ſignis & portentis in Ægypto, in deſerto, in terra Chanaan editis id patuit; quod & ſola in Tabernaculo edita miracula demonſtravere, nubes illud obumbrans, vox ex Sancto Sanctorum audita, ignis cœlo delapſus, in cineres redigens oblatas in altari æneo carnes.

A Samuele uſque ad noviſſimum veteris fœderis Malachiam perpetua collegii prophetici continuatio oſtendebat veram Eccleſiam Dei. Primùm viri illi Prophetæ optimis moribus erant; quos neque ambitio, nec divitiarum aut voluptatum amor revocaret à ſuis muneribus; nec ullus metus obſtitit quominus etiam principibus, & omni populo annuntiarent ſcelera eorum, mandata Dei audacter perferrent. Plerique ex illis edebant miracula; quin etiam excitabant mortuos è tumulis. Certum argumentum, Deum ore eorum locutum, cum ea quæ prænuntiaverant, certò contingebant.

Cùm tanta eſſet prophetarum erga Deum religio, tantus hominum contemptus, vita adeo auſtera; certæ eorum prædictiones: tanta inter eos concordia, tantus conſenſus; in dubium revocari non poterant ſive quæ dicerent, ſive quæ ſcriberent, ſive vaticinia de futuro, ſive monumenta de præterito. Recentiores teſtimonium perhibebant prioribus, quorum vaticinia ſubinde implebantur. Itaque his-ce temporibus conſpicuis ſignis veritas veteris Eccleſiæ fulgebat, quæ ergo latere non poterat. Habebatque vindices, cùm impetebatur: nam collegium prophe-

ticum

ticum non ſolùm ſatagebat quæ vera eſſent aſſerere; ſed & objurgare & confutare eos qui de corde ſuo prophetabant, hoc eſt vanas & falſas viſiones proponebant. Judicium de veris & falſis Prophetis non erat difficile, eventus confirmabat varia vaticinia: falſi vates à vero Deo avertebant Iſraelem; nec aggregati erant veris Prophetis, qui repellebant eos à ſuo conſortio. Quæ à Samuele uſque ad Malachiam ſcriptis mandata ſunt, fidem merentur. Etenim pleraque viros Prophetas auctores habent, aut probata ſunt Prophetis, & horum collegio. Cùm enim poſiti illi eſſent cuſtodes in Iſrael, ſi quidpiam non recti exiiſſet in vulgus, ſtatim erroris arguiſſent ſcriptorem.

CAPUT IX.

De Judæorum Doctoribus; de ſectis inter eos, nempe Phariſæorum, Sadducæorum, & aliorum; tum & de perſonis ſchiſmaticis. De Samaritanis.

DUm agimus de perſonis ſacris, ſubjungemus quæ quoquo loco dicenda erant circa alias perſonas inter Judæos conſpicuas, quales fuere eorum Doctores, & hi qui alicui ſectæ adhærerent, ut Phariſæi, Sadducæi, & alii. Tum & ſermonem faciemus de iis qui ſchiſmatici eſſent, vel cenſerentur. Initium ducam à Doctoribus, qui cœpere, ubi deficere Prophetæ. Primi qui cæteris præſtabant doctrina, non utique titulis, ſed re, diſtinguebantur à vulgo. Sapientes habebantur, & ſalutabantur nomine Sapientum. Quia primi parentes generis humani nati ſunt & vixere in Aſia, ſapientia meritò cenſetur profecta ab oriente; ideo dicta orientalis; ſive quæ celebratur, par dicitur ſapientiæ orientalium. Advertendum tamen eſt nomen *Kedem*, quod orientem denotat, &

Digitized by Google

tat, & reddi poſſe *antiquum*; ut ſapientia Orientalium ea dicatur quæ ſit antiquorum, nempe Patriarcharum. Sapiens nomen erat omnium Doctorum: ſed poſtea qui doctrinæ ſuæ obtendebant ſpecioſius nomen, tempore quo Chriſtus verſabatur in terris, uſurpaverunt titulum *Rabban*, id eſt, virum excellentem ſive ſcientia præcellentem. Poſtea prodiit titulus Rabbi, à radice rabab *multiplicatus fuit*, ut illi dicerentur Rabbi, qui varia & multiplici doctrina eſſent inſtructi. *Rab* idem ſonat Hebræis ac *magnus* Latinis; volunt autem Judæi *Rabban* eſſe nomen excellentioris dignitatis. Quodcumque diſcrimen inter hos titulos interponatur, *Rabban* & Rabbi præcipui tituli ſunt ſapientum inter Judæos. Olim quiſque Doctor & ſapiens proprio ſalutabatur nomine; poſtea Rabbi vocari amaverunt Judæorum Doctores. Rabbino tantùm deferendum eſſe ſanciebant Rabbini, ut Rabbinus præferendus eſſet Regi, Rex Pontifici ſummo, & ſic Rabbinus omnibus. Aiebant enim, ſi moriatur ſapiens, non eſt ei par; ſi moriatur Rex, quivis Iſraelita idoneus eſt regno.

Dudum ante tempora Chriſti Doctores dicebantur *ſopherim*, à verbo *ſaphar*, quod ſignificat *numerare*, *narrare*. In genere omnes literati ſic vocabantur. *Sopherim* redduntur à Græcis *Grammatici* & *nomici* & *nomodidaſcali*; à Latinis *ſcribæ*, *legiſperiti*. Vox ſcribæ latiſſima eſt; non enim verbum *ſaphar* ad anguſtias verbi Græci τῶ γράφειν, aut Latini *ſcribere* reſtringendum. Prophetæ, Doctores, Interpretes, & Expoſitores legis dicebantur Scribæ. Horum erat ſacras Scripturas exponere, vindicare à corruptelis, illas prælegere populo in Templo & in Synagogis, & interpretationem obſcurorum locorum, ubi opus, adjicere, dubia ex Moyſe & Prophetis objecta ſolvere, perplexas quæſtiones enodare, genealogias Tribuum, Regiæ maximè ſtirpis aſſervare, & alia hujuſmodi

Digitized by Google

modi munia ſacra obire. Ut porrò Prophetæ voluntatem Dei prænunciarunt; ſic Scribæ legem ejus interpretati ſunt: quo & munere Moyſes functus eſt, populum edocens voce & ſcripto. Quæ voce docuit, ea primùm cum Joſue communicavit, Joſue indè cum ſenioribus, ſeniores cum Prophetis, Prophetæ cum Scribis. Moyſes primus legem dedit; ſic etiam primus expoſuit.

Primitùs erat munus Sacerdotum legem populum edocere, ut ex illis verbis colligimus: (*Levit. c.* 10.) *Dixit Dominus ad Aaron: vinum, & omne quod inebriare poteſt, non bibetis tu & filii tui, quando intrabitis in Tabernaculum Teſtimonii, ne moriamini; & ut habeatis ſcientiam diſcernendi inter ſanctum & prophanum, inter pollutum & mundum; docetiſque filios Iſrael omnia legitima mea, quæ locutus eſt Dominus ad eos per manum Moyſi.* Ex Joſepho (*Lib.* 2. *adversùs Apionem.*) Legis-lator non ſemel legem ſuos audire voluerat, ſed in unaquaque ſeptimana, alia opera relinquentes, ad legem audiendam ſaltem bis congregari, principe antecedente ac docente quæ opus facto ac dicto eſſent, reliquis audientibus. Ex quo nunc etiam philoſophantur ſabbatis patrio more: nam ſynagogæ in civitatibus ſcholæ ſunt omnium virtutum, quibus divina humanaque intelliguntur & corriguntur. David cùm Levitarum numerum iniiſſet, ex his ſexies mille Scribas ac Judices fecit.

Poſt captivitatem Babylonicam Scribas eſſe ortos, ſunt qui cenſeant: tempore illo prophetiæ donum in Malachia expiraſſe, & Sacerdotes cœpiſſe plus negotiis politicis & gubernationi civili operam dare quàm meditationi legis & inſtitutioni plebis. Hæc itaque miniſterii pars reſervata eſt certo hominum generi, qui dicebantur *ſopherim*, id eſt, Scribæ, quod nomen, ut dixi, Expoſitores legis denotat. Antiquiſſimum ſanè *ſcribarum* nomen fuiſſe certò conſtat ex Scri-

Digitized by Google

Scriptura. Eſdras enim coætaneus Zachariæ, Aggæo, & Malachiæ ſæpè vocatur *ſopher* Scriba: additur velox, id eſt, exercitatus. In libro tertio apocrypho, cui Eſdræ nomen præſcribitur, vocatur ordinariè *ἀναγνώστης τοῦ νόμου lector legis*.

Scholæ Doctorum Judæorum dividebantur inter diſcipulos Hillelis & Schammai, qui fuere ſua doctrina celebres. Domus Hillelis, ut loquuntur Hebræi, id eſt, ſchola Hillelis, prima fuit, cujus caput Hillel. Opiniones peculiares tenebat: oppoſuit ſe illis alius doctor pariter celebris, Schammai dictus, contrarias planè opiniones ſequens, qui ipſe quoque non pauciores aſſeclas habuit. B. Hieronymus dicit (*in cap.* 8. *Iſaiæ.*) ſcholas Schammai & Hillel non multò priùs quàm Dominus naſceretur, ortas in Judæa; quorum prior, inquit, *diſſipator* interpretatur, ſequens *profanus*, eò quòd per traditiones & *δευτερώσεις* ſuas ambo legis præcepta diſſipaverint, atque maculaverint,

Doctores autem Judæorum occupabantur circa *Micra*, hoc eſt, textum Bibliorum: circa *Miſchna*, hoc eſt, circa traditiones: circa *Midras*, hoc eſt, circa ſtudium Scripturarum, ut eas vel myſticè vel allegoricè explicarent, à verbo *Daraſch* quærere, inquirere. Ad hoc alludit Dominus, cùm dicit (*Joan. c.5. v.39.*) *Scrutamini Scripturas*, hoc eſt, ſtudete Scripturis. Qui legem ſcriptam profundiùs interpretabantur, *Agadici* dicebantur, à verbo *Nagad* narrare. In Exodo (*c.*13. *v.*8.) jubentur patres enarrare filiis ſuis res mirandas, quarum ipſi fuere teſtes. In fonte Hebræo *Higadta*, id eſt, narrabis, &c.

Non ideò minùs Doctores Judæi manibus laborabant. Etenim, quod celebre effatum eſt Gamalielis in libro qui inſcribitur *Pirke avot*: pulchrum eſt ſtudium Legis unà cum opificio aliquo; hæc enim duo juncta peccati oblivionem inducunt: at ſtudium Legis

Digitized by Google

gis abſque opere manuario, tandem & ceſſare ſolet; & eſſe cauſa peccatorum. Indè Paulus, qui præceptore Gamaliele uſus, paternam legem diligenter didicerat, ipſe manibus laborabat, ne quem gravaret, ſcenofactoriam artem exercens

Scholaris vocabatur *Talmid*, id eſt, diſcipulus; qui dato profectuum ſuorum ſpecimine, ubi dignus aliquo gradu inveniebatur, per manuum impoſitionem fiebat conſors ſive ſocius alicujus Rabbi, ut olim Moyſes ſibi ſocium ſumpſerat Joſuam (*num.cap.* 27. *v.*18.) per manuum impoſitionem. Quo tempore diſcipulo manus imponebat Rabbi, his utebatur verbis. *Ego tibi impono manum, & manus tibi impoſita eſto*. Poſtmodum ubi aptus erat alios docendi, vocabatur *Rabbi*. Rabbini primarii ſedebant cathedris diſtinctis, *amantes primas cathedras*, ut exprobrat eis Dominus. (*Math.cap.*23. *v.*6.) Socii & conſortes ipſorum conſidebant ſcamnis, ſive depreſſioribus ſubſelliis; diſcipuli planè ad pedes ſuorum præceptorum.

Temporibus Prophetarum, ſectæ ignotæ erant. Poſteà natæ hæreſes, perverſæque & pugnantes de religione ſententiæ. Cujus rei ratio perquam probabilis iſta reddi poteſt. Verbis loquar Cunæi. *Enimverò qua tempeſtate vates verba cum numine commutabant, aut alio pacto cælitùs ea accipiebant, quæ publicanda mortalium generi erant; nullæ diſceptationes, controverſiæque oriri de ſacrorum curatione, deque legibus & præceptionibus divinis poterant, propterea quòd erant in medio, qui mortalium ineptas hæſitationes, & diſputandi intemperiem reſecarent. Autoritate enim pluſquam humana armati vates, legum ſacrarum atque ipſius numinis voluntatem proloquebantur. Quare qui illis auſcultare recuſabant, profectò quoniam infirmitate judicii, aut errore, vel ignorantia labi in pravos ſenſus nequibant, neceſſe fuit ut refractarii contumaceſque fierent, & excuſſa pietate ad idolorum cultum*

Digitized by Google

tum deſciſcerent. Nihil medium erat. Capeſſunda vatum imperia erant, aut ponenda numinis reverentia fuit. At ſub Templo poſteriore, cùm Prophetas major vis, afflatuſque divinus non ageret, omnia hæc ſecùs fuere. Quoniam enim jam nuſquam erant ſacrarum legum, cæleſtiumque arcanorum conſulti, in quorum verbis ineſſet plena fides, continuò dehinc mortales, non contenti ſcire, quæ ab illis acceperant, ardorem mentium ultra ad rimandum omnia tulere, & ſuis ſe tenebris involvit humana imbecillitas. Quare controverſias & quæſtiones ex ſacris literis eruere, morbus eſſe cœpit deterioris ævi. Hæc Cunæus; quæ verba prolata ore viri heterodoxi digna ſunt animadverſione.

Prima ſecta quæ conſideranda venit, eorum eſt qui appellabantur Sadducæi ab Hæreſeos auctore, qui Sadoc dicebatur. Hi fatum & reſurrectionem negarunt, animas dixere mortales, nullum eſſe Angelum, neque Spiritum, & Deum non omnia videre affirmabant. Quo tempore cœperint, ignoratur. Poſt tempora tamen Prophetarum orti ſunt, ſub illis enim nullæ ſectæ, ut dictum eſt. Vulgò creditur paulò poſt Alexandrum magnum vixiſſe Sadoc diſcipulum Antigoni Sochæi. Antiquiores ſunt cæteris ſectariis. Statuebant Deo quaſi principi ſerviendum ſine ullo mercedis intuitu; unde legi erant ſubditi, licet animas mortales crederent. Traditiones Patrum reſpuebant, ſive, ut loquuntur Judæi, legem ſine ſcripto traditam. Quinque libros Moſis tantùm recipiebant, in quibus Moyſes videtur illis nihil promittere ſupra hujus vitæ bona; unde de adipiſcendis poſt vitam bonis non ſolliciti. Cæteros autem libros Scripturæ ab eis repudiatos fuiſſe indè colligitur, quòd non poterant hos pro canonicis habere ſimul, & adhærere ſuis opinionibus, quæ clarè adverſantur Prophetarum doctrinæ.

Antigonum Sochæum, cujus Sadoc diſcipulus fuit, Judæi ſcribunt claruiſſe anno mundi 3460. ante Chriſti na-

Digitized by Google

ſti nativitatem circiter annis ter centum. Præter alia, quæ dictando diſcipulos ſuos docuerat, hæc præceperat. Non eritis, inquit, ſicut ſervi, qui domino ſerviunt hac conditione, ut recipiant præmium: ſed eſtote ut ſervi, qui ſerviunt Domino abſque intentione recipiendi præmium, & ſit timor Dei ſuper vos. Hæc in malam partem accipientes diſcipuli ejus Sadoc & Baithos, ſic interpretati ſunt, quaſi poſt præſentem vitam nihil præmii à Deo ſit expectandum; undè conſequenter negaverunt reſurrectionem mortuorum, & incorpoream, & immortalem mentis humanæ naturam. Attamen, qui leges Moyſis ſervarent, admittebantur in conſortium Judæorum. Sacrificabant in Templo, & ut videre eſt in Actibus Apoſtolorum, inter judices Synedrii ſedebant.

Alia ſecta, quæ Sadducæis oppoſita erat, dicebatur Phariſæorum. Illi ſic appellabantur à verbo Hebræo *paraſch* quod ſignificat *exponere*, *explanare*; quaſi illi fuerint ſubtiliſſimi legis explanatores, expoſitores: vel à verbo eodem *paras*, quod Hebraicè etiam ſonat *diviſit*; ſic dicti, quia ſanctitate ab aliis ſemoti videri ambiebant. *Non ſum ſicut cæteri hominum*, inquiebat ille Phariſæus, (*Luc. cap* 10. *v.* 11.) ſicut turba *quæ non novit legem*. (*Joan. c.*7.*v.*49.) Ne legem prætergrederentur, ea omnia quæ quodammodo cum præceptis conjuncta videbantur, licèt hæc non prohiberentur, nec imperarentur, pari religione ac præcepta ipſa ſervabant; ideò decimas pendebant etiam ex oleribus. Traditionibus vanis legem adulterabant. Famam ſanctitatis aucupantes in plateis orabant, & faciem exterminabant, ut viderentur jejunantes. His omnidus pellicientes viduas, quarum domos devorabant. Non capiebant cibum illotis manibus; unde eorum querela adversùs diſcipulos Domini. (*Math.*15.2.) *Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem ſeniorum? Non enim lavant manus ſuas, cùm panem*

panem manducant. Illi autem, ut dicit Marcus, (*cap.* 7. *v.* 3.) *Niſi crebrò laverint manus, non manducant, tenentes traditionem ſeniorum*. In Græco fonte vox eſt Græca *πυγμῇ*, quam Latinus interpres reddit *crebrò*, quaſi idem ſit ac *πύκα*. Indicatur quæpiam diligentia, ut ſignificet *accuratè, diligenter*. Scilicet dum lavabant, ſatagebant ne aqua qua abluta fuerat pars quædam, refluens aliam pollueret. *Dilatabant phylacteria ſua & magnificabant fimbrias ſuas*. Quid ſint illa phylacteria, quid illæ fimbriæ, dicemus infra. *Jejunabant bis in ſabbato*, nempe duobus diebus hebdomadis. Joſephus (*Antiq. lib.* 13. *cap.* 9.) meminit Phariſæorum, differens de temporibus Jonathæ Aſſamonæi, annis ante nativitatem Chriſti ad minimum 146. à quo tempore creditur viguiſſe eorum inſtitutum. Victus eorum ſimplex erat, nullis mollitus deliciis. Idcircò ſecta eorum cæteris ſectis præpoſita. Vocat eam Apoſtolus accuratiſſimam. (*Actor. cap.* 26. *v.* 5.) Phariſæi, inquit Joſephus, (*De Bel. l.* 2. *cap.* 12.) certiorem legalium rituum cognitionem profeſſi ſunt, vitam abjectam egerunt, nihil molle, nihil delicatum adhibentes; fato omnia tribuerunt, nec tamen liberum hominis arbitrium ſuſtulerunt. Judicium Dei futurum cenſuerunt, quo homines pro meritis præmia pœnaſque conſequentur. Animas immortales duxerunt, earumque poſt mortem alias æterno carceri deſtinandas, alias in vitam reverſuras, ita ut bonorum animæ in corpora hominum remigrarent, malorum autem in pecudum; quæ fuit ſententia Pythagoreorum, qui metempſycoſin ſive tranſmigrationem animarum à corpore in corpus admittebant. Ideo diverſam de Salvatore noſtro opinionem habebant: alii cenſebant ipſum eſſe Joannem Baptiſtam, alii Eliam, alii Jeremiam; quaſi Chriſti corpori anima vel Joannis, vel Eliæ, vel Jeremiæ vitam afflaviſſet. Plerique ex Phariſæis erant Scribæ, hoc eſt, legis-

periti. Sed ſcriba denotat virum, cujuſcumque ſectæ ſit, peritum Legis; Phariſæus verò certum vitæ inſtitutum.

Phariſæi & Sadducæi ante adventum Chriſti floruerant. Hieroſolymis autem, ut inquit Joſephus, (*Ant. l.*13. *cap.*18. *& ſeq.*) populares Phariſæis, optimates Sadducæis ſe adjunxerant. Phariſæorum ergo extraordinarias in Republica opes ægrè ferens Joannes, unus ex Principibus Aſſamonæis, leges ab eis latas (hæ novæ traditiones erant) præter antiquas Moſaicas ſuſtulit, & ad Sadducæos ſe contulit. Attamen Phariſæi potentia adhuc valuerunt, ut auxilio Demetrii Euceri, Syriæ regis, bellum Alexandro Regi Judæorum intulerint, & Moabitide ac Galaaditide terra ipſum cedere compulerint. Indè mortuo illo, Alexandram Reginam ſibi obſequentem adepti, leges ſuas recuperarunt, ac multò vehementiùs ſævire in urbe ac regno toto inſtituerunt, quouſque res ad duos fratres regios recidit, Hircanum & Ariſtobulum, quorum alter Phariſæus, alter Sadducæus fuit.

Sectis Judæorum adjungit Epiphanius Herodianos, de quibus mentio fit in Evangelio, qui, ut vulgaris fert opinio, crederent Herodem Aſcalonitam eſſe verum Meſſiam. Alii ſentiunt hos Herodianos ipſos eſſe ſervos ſive domeſticos Herodis. Erant inter Judæos qui Herodi fortiter reſiſterent, quia regnum uſurpaverat. Forſan qui illi ſuffragabantur, & partes ejus palam tenerent, Herodiani fuere appellati. Idem Epiphanius Sectis quæ inter Judæos vigerent, adjungit Hemerobaptiſtas, hominum genus, qui ſingulis anni diebus ſeſe in aqua abluerent; undè nomen illis *Hemerobaptiſtarum*. Pariter recenſet inter ſectas Judæorum Nazaræos. Conſtat ſic appellatos Chriſtianos à Judæis. Etenim citat D. Hieronymus Evangelium Nazaræorum ſcriptum Hebraico ſermone. Fideles cœpere dici Chriſtiani Antiochiæ; in Judæa verò

à Ju-

Digitized by Google

à Judæis dicti ſunt per deſpectum Nazaræi. Sic appellaverunt Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM, quia putabant eum natum in oppidulo Nazareth; ſub hoc autem nomine ter in die in Synagogis maledicebant Chriſtianis.

Joſephus inter præcipuas ſectas Judæorum numerat ſectam Eſſenorum. Sunt qui conjiciant originem eos ducere ab iis qui cum Juda Macchabæo locis deſertis ſe abdiderant, ut Legem liberrimè implerent. Opinor dictos Eſſenos vel Eſſæos, quaſi Haſſideos, voce quæ idem Hebraicè ſonat ac *pius*, *ſanctus*, *chaſid*, id eſt, *miſericors*, *benignus* Græcè ὅσιος ſanctus. Appellantur in Scriptura Haſſidæi, qui Judæ Macchabæo adhæſerunt. Alii deducunt à Syriaca voce *aſa*, quæ idem ſonat ac *θεραπεύειν ſanare*, *mederi*; hinc toties viri illi à Joſepho vocantur *θεραπευταί*. Philo Eſſenorum religionem vocat *θεραπείαν*. Sic Joſephus & Philo deſcribunt inſtitutum Eſſæorum, ut videantur exhibere primam vitam Chriſtianorum & Monachorum. Ideò autem pro hæreticis habentur à Joſepho, quòd cauſſantes ſanctioribus ceremoniis uti, nollent in Templo Hieroſolymitano ſacrificare; ita ſchiſmate erant diviſi. De illis altum ſilentium eſt in Scripturis. Juvat autem attexere quæ de illis diſſerunt Joſephus & Philo. Sic de illis Joſephus. (*Lib.2. de Bello cap.7.*) Eſſæi nuptias reſpuerunt, alienos verò filios adoptarunt, divitias ſpernentes, haud certas urbes quas incolerent, habuerunt, & bona ſua cum ſociis ſuis communicarunt, nec veſtem, nec calceum novum, niſi veteribus attritis ſumpſerunt. Commerciorum nullus inter eos uſus. Egentibus præſto fuere, eandem ab illis beneficentiam relaturi. Religionem mirificè coluere, frigida aqua ſe quotidiè abluentes. Inter veſcendum ſummum ſilentium adhibuere. Non niſi probata continentia homines in ſocietatem recepere; receptos autem magnis execratio-

N 2 nibus

nibus obſtrinxere ſe Deum, fidem, juſtitiamque culturos. Deprehenſos in peccatis ſocietate deturbavere, ac ne cibum delatum caperent, vetuere. Judicia ſeveriſſimè exercuere, mortem & cruciatus contempſere. Animas bonorum ad fortunatas inſulas abire, malorum ad loca inferna, putavere. Idem Joſephus ſic alibi diſſerit (*Lib.* 18. *Ant.*): Eſſæi cuncta ad Deum referunt: immortalem animam cenſent: in Templo anathemata prohibent, ſacrificia cum populo non celebrant, quòd ſe putant munditia & ſanctitate illis præſtare. Moribus optimis ſunt. Agriculturæ ſtudent, omnia habent communia, neque uxoribus neque ſervis utuntur. Sacerdotes viros optimos eligunt; cibum ſimplicem, atque habitum parcum & mundum adhibent.

Nec Plinius ignoravit Eſſæos, de quibus loquitur. (*Lib.* 5. *cap.* 17.) *Ab occidente littora Eſſeni fugitant, uſque qua nocent.* Scilicet fugiebant littora Eſſeni, ut interiora Judææ habitarent, ne puritati ac tranquillitati vitæ, quam ſectabantur, maritima commercia nocerent, ut obſervat Salmaſius. Pergit loqui Plinius, *Gens ſola, & in toto orbe præter cæteras mira, ſine ulla fœmina, omni venere abdicata, ſine pecunia, ſocia palmarum. In diem ex æquo convenarum turba renaſcitur, largè frequentantibus, quos vita feſſos ad mores eorum fortunæ fluctus agitat. Ita per ſeculorum millia (incredibile dictu) gens æterna eſt; in qua nemo naſcitur. Tam fœcunda illis aliorum vitæ pœnitentia eſt. Infra hos Engadda oppidum fuit, ſecundum ab Hieroſolymis fertilitate palmetorumque nemoribus, nunc alterum buſtum. Indè Maſada caſtellum in rupe, & ipſum haud procul aſphaltite.*

Adhuc præclariùs de Eſſæis verba facit Philo. (*Lib. omnes probos eſſe liberos*) In Syria, inquit, & Palæſtina, quæ partes Judæorum ſunt non modicæ, dicuntur quidam, nomine Eſſæi, numero ultra quatuor

tuor

quatuor millia, à voce Græca Eſſæi ὅσιοι, id eſt, ſancti, vocati, quia ſumma religione Deo ſerviunt, non mactando victimas, ſed ſuas ipſorum mentes componendo ad ſanctimoniam. Hi vicatim habitant, urbes fugiunt propter familiaria civibus earum vitia. Alii agriculturæ ſtudent, alii artes exercent, quæ pacis ſociæ ſunt. Neque aurum, neque argentum ſibi condunt, neque agros latos ſibi parant cupiditate redituum, ſed neceſſitate victus. Nemo bellicorum armorum apud eos eſt opifex, ſed neque in pace ullum mercaturæ genus attingunt. Servos non habent, ſed liberi omnes ſunt, mutua miniſteria ſibi exhibentes. Rationalem & naturalem philoſophiam reſpuunt, divinam amplectuntur. Morali maximè ſtudent, patriarum legum auxilio uſi: quas præcipuè ſeptima die docentur. Imbuuntur autem ſanctitate, juſtitia, cæteriſque virtutibus, tres regulas adhibentes, Dei, virtutis, hominumque amorem. Deum eos diligere, illud eſt indicio quòd perpetuam caſtitatem ſervant, jusjurandum & mendacium non dicant, & quod bonorum omnium, nullius verò mali auctorem eſſe Deum arbitrentur. Virtutis ſtudioſos eſſe, ex eo perſpici poteſt quòd pecuniam & gloriam negligant, voluptates reſpuant: hominum verò charitate flagrare indicat amor & ſocietas inter eos. Una enim eſt omnibus domus, una veſtis, unum ærarium, unus ſumptus: communis victus & vita. Quin etiam quæſtus in commune conferunt, ægrotantes communiter curant, & ſeniores loco parentum habent.

Joſephus his ſectis Judæorum annumerat eos qui ſectati ſunt Judam Gauloniten ſive Galilæum ex urbe Gamala. Huic ſectæ condendæ quæ fuerit occaſio, juvat ex ipſo Joſepho diſcere. Ille (*Antiq. lib.* 18. *cap.* 1.) narrat quomodo, pulſo Archelao in exilium, Judæa redacta eſt in provinciam, & à Romanis cenſita, ut vectigalibus ſubjaceret. Tunc, inquit

Joſephus, extitit Judas Gaulonites ex urbe Gamala, qui ſollicitavit ad defectionem populos, cenſum nihil aliud eſſe dictitans quàm manifeſtam ſervitutis profeſſionem. Multi præbuere aures ſermonibus ejus, & quaſi alteri quàm Deo ſervire illicitum fuiſſet, jugum Romanorum detrectavere. Putabant rem indignam Judæos pendere vectigalia alienigenis; indè pro exitialibus hominibus habebant publicanos, nempe eos qui exigebant publica vectigalia, quæ à Romanis impoſita erant. Horum publicanorum princeps dicebatur ἀρχιτελώνης, qualis fuit Zacchæus, cui publicani cæteri parebant. Reperiebantur tamen inter Judæos, qui publica vectigalia colligerent. Matthæus & Zacchæus publicani, ut nomen eorum indicat, erant Judæi.

Non vetabat lex pendere vectigalia. Allegat quidem Tertullianus ex Deuteronomio. (*cap.* 3. 17.) *Non erit vectigal pendens ex filiis Iſrael.* Fons reddi poteſt: non erit meretrix, nec puer meritorius, cinædus de filiis Iſrael. In Vulgata noſtra: *Non erit meretrix de filiabus Iſrael*, Ibi Græci habent οὐκ ἔσται τελεσφόρος, οὐκ ἔσται τελισκόμενος, Hebræi per *chadiſcha* intelligunt *meretricem*, per *chadeſch* puerum qui ſe proſtituit libidini, & quaſi ſe conſecrat. Nomina Græca eam vim habent; meretrices enim ex impudicitia ſua quaſi vectigalia colligunt. Ambiguitas nominis Græci impulit Tertullianum in errorem; τελεσφόρος enim ſonare poteſt vectigal pendens. Reipſa prohibuerat Deus (*Deut. cap.* 17.) ne in regem alienigena eligeretur. Ita factum eſt, ut cùm omnes odio ferrentur in Romanos, aliqui zelo ſuo magis exarſerint, & ſecta peculiaris inſtituta fuerit, eorum nempe qui Judam ſectabantur, qui ſe juſtos dicebant, & crederent ſolum Deum Dominum habendum ac principem, faciliùs vel exquiſitiſſima pœnarum genera laturi unà cum cognatis ſuis ac cariſ-

ſimis,

Digitized by Google

ſimis, quàm mortalem aliquem appellaturi Dominum. Hi ſunt, ut puto, qui Zelotæ appellantur in Hiſtoria Judaica, & dicebantur *juſti δίκαιοι*. Hos juſtos intelligo eos de quibus loquitur Lucas, (*cap.* 20. 20.) qui inſidiabantur Chriſto, ut eum caperent in ſermone, & traderent illum principatui & poteſtati præſidis. Scilicet illi inſidiatores ſe ſimulabant juſtos, hoc eſt, de diſcipulis Judæ, & petebant ab eo an licitum eſſet tributa ſolvere, quæ accuſabatur prohibere; Ita expectabant ab eo reſponſum, quo excitare poſſent in eum odium Romanorum. Pariter interpretor de Judæ Galilæi ſectatore, quòd uxor Pilati Jeſum appellat *Juſtum*, cum deterreret maritum à judicio ejus. *Nihil tibi & juſto illi*. Non ſignificabat alium juſtum, quàm qui ſectabatur Judam Galilæum. Hi Galilæi (*Luc.* 13. 1.) *quorum ſanguinem Pilatus miſcuit cum ſacrificiis eorum*, videntur fuiſſe de iſta ſecta; ſectæ nomen eſt, non nationis; nam Pilatus non præerat Galilæis; ſed cùm diſcipuli Judæ Galilæi vetarent victimas cædi pro ſalute Imperii aut Cæſaris, videtur Pilatus ira impulſus ipſos, dum pararent victimas, ſacrificaſſe.

Judæi generatim appellant *minnin*, ſive *minneos*, omnes hæreticos; quo nomine ſpeciatim intelligunt Chriſtianos, quos pro hæreticis habent. Olim verò, ut ex Evangelio diſcimus, præcipui hæretici reputabantur Samaritani; quorum ea eſt prima origo. Jeroboam filius Nabath, prætextu jugi quod rex Roboam populo volebat imponere, in ſuas partes allexit decem Tribus, & in Tribum Ephraim, ex qua erat, ſe recepit, ibique novum regnum inſtituit. Novum illud regnum dictum eſt Iſrael, quia major pars Tribuum adhæſerat Jeroboam; à Judæis verò per deriſionem appellati ſunt Ephraimitæ ab Ephraim. Dicti etiam Samaritani à monte & urbe Samariæ. Stante primo Templo, Samaria erat nomen urbis;

poſtea fuit nomen regionis, cujus metropolis fuit Sichem, quæ & Neapolis poſtea dicta eſt.

Tempore Ezechiæ regis Juda, Salmanaſar rex Aſſyriorum Samariam cepit, & decem Tribus abduxit in captivitatem, quarum in locum, poſt aliquot annos, Aſſaradon filius Sennacherib regis Aſſyriorum novos colonos induxit in Samariam, nempe Chutæos, & alios; qui cùm à leonibus infeſtarentur, quòd Deum Iſraelis non colerent, miſit ad eos Aſſaradon aliquos è deportatis Samaria Sacerdotibus, qui docerent eos cultum Dei. Indè Gentilium ritus ritibus Iſraelis permixtus eſt. Sed Ethniciſmum dediſcere cœperunt Samaritani poſt extructum in monte Garizim Templum à Sannabalete, qui nomine regis Perſarum adminiſtrabat Samariam. Ille, ut diximus, dedit nuptum filiam ſuam Manaſſi fratri Jaddi, ſive Simeonis juſti, Pontificis Hieroſolymitani, & eum conſtituit novi Templi pontificem. Tunc à Judæis defecerunt plurimi ad Samaritanos, cùm multi Sacerdotes & Iſraelitæ intricati eſſent & impediti illegitimis conjugiis, ut ſcribit Joſephus. (*Lib.* 11. *cap.* 8. *Antiq.*) Qua ſeceſſione reſpublica Judæorum non leviter labefactata eſt. Tunc quaſi in duas partes Iſrael diviſus eſt, inquit Rabbi Zacuth, quarum una Eſdram, altera Sannabaletum ſequebatur. Cùm itaque tot Judæi ad Sannabaletum defecerint, non abs re ſuſpicamur, inquit Relandus in erudita diſſertatione de Samaritanis, Samaritanos magis imitatos fuiſſe mores & ritus Judæorum, relictaque veteri idololatria, unum Deum adoraſſe. Hoc enim rationibus politicis Manaſſis & ſoceri ejus Sannabaleti quàm maximè conveniebat, ut Judæorum plurimos in ſuam hæreſin congregarent; quod, ſervata idololatria, quam eo tempore Judæi vehementer refugiebant, non tam facilè præſtare potuiſſent: Vidimus ab Eſdra plurimos ſacerdotes moros

Digitized by Google

tos ſacerdotio, plures ejectos Iſraelitas, ob illegitimas ſuas cum Gentilibus nuptias.

Ab hoc tempore in omni ſermone quem de Samaritanis habet Joſephus, non illis exprobratus eſt ullus idololatricus cultus. Inter eos & Judæos contentiones perpetuæ fuere de religione. At non de idololatria ſervanda aut rejicienda contendebant; ſed de ſolo loco qui divino cultui deſtinatus eſſet: Judæi Hieroſolymas, Samaritani montem Garizim eſſe affirmabant. Et hæc contentio ab eo tempore videtur fuiſſe primaria inter Judæos & Samaritanos. Undè & mulier illa Samaritana Chriſtum pro Propheta habens, de hoc capite, quod maximè inter utramque gentem controverſum erat, interrogat dicens: (*Joan. cap.4. v. 20.*) *Patres noſtri in monte hoc adoraverunt, & vos dicitis, quia Jeroſolymis eſt locus ubi adorare oportet.* Obtendebant Samaritani, quia cultus Dei priùs viguiſſet in Ephraim quàm Jeroſolymis. Etenim arca diu fuerat in Silo juxta Ephraim. Ergo montem Garizim ſanctum habebant, & orantes versùs illum os obvertebant.

Illud autem negari non poteſt verſatile fuiſſe Samaritanorum ingenium, & ſæpè ex odio contra Judæos, hoſtibus eorum magis ſaviſſe quàm par erat, & moribus gentium nimis acceſſiſſe. Joſephus narrat (*Lib. 12. cap. 7. Antiq.*) illos Antiocho obtuliſſe Templum ſuum Garizimiticum, ut Jovis Græci appellaretur. Metu ad hoc facinus compulſos fuiſſe apparet; alienos enim ſeſe habere à moribus Judæorum profitebantur, prout eorum è re erat. Idcirco inter utramque gentem maxima odia; adeo ut Judæis non liceret edere aut bibere cum Samaritanis. Ideò mulier Samaritana apud Joannem (*cap.4. v.9.*) mirabatur quòd Jeſus qui Judæus eſſet potum ab ea poſceret. Judæi proſelytos ex Samaritanis non admittebant, quia non putabant portionem habere in

reſur-

reſurrectione mortuorum. Cauſa odii diſpar religio & vicinia. Etenim ſicut inter cognatos, ubi naſcitur ſimultas, inextinguibilis fermè inimicitiæ ignis ardet; ita inter Judæos & Samaritanos, qui diſcordes religione, ſimul & affines erant; Moyſis enim libros amplexabantur; nempe quinque libros ejus ſolos, cæteris rejectis.

His-ce adhuc temporibus in urbe Sichem propè Garizim ſunt Samaritanicæ religionis homines. Hi Samaritani qui dicuntur non credidiſſe Angelos, confunduntur, ut puto, cum Sadducæis. Non admittebant reſurrectionem: expectabant tamen, perinde ac Judæi, venturum Meſſiam, ut patet ex colloquio JESU CHRISTI cum Samaritana, quem virtutem Dei magnam putabant; undè cùm Simon magus dementaſſet eos ſuis prodigiis, ſucclamabant ei in Actis: (*cap.* 8. *v.* 10.) *Hic eſt virtus Dei, quæ vocatur magna.* Chriſtus apud Joannem arguit Samaritanos, quòd adorarent quod neſcirent, quia non uterentur cultu quem ipſe præſcripſerat; cum è contra Judæorum ſoboles Patriarcharum, ſola hactenus Eccleſia Dei, adoraret quod noverat, utens cultu quem noverat à Deo inſtitutum.

Samaritanis Schiſmaticis accenſeo Judæos Alexandrinos, quatenùs contra Dei expreſſum mandatum alibi quàm Hieroſolymis ſacrificia offerrent, Templum quod Onias in Ægypto extruxerat frequentantes. Nulla tamen alia doctrinæ diverſitate divulſi videntur à Judæis Hieroſolymitanis. Quin in pretio etiam habebant Templum eorum. Etenim libenter agnoſcebant Hieroſolymam Metropolim ſive caput eſſe gentis Judaicę; ut videre eſt apud Philonem.

Poſt Alexandrinos, inter Judæorum ſectas ſubnumero illam quæ Helleniſtarum dicebatur. Helleniſtis videntur originem dediſſe Judæi Alexandrini; Biblia enim

Digitized by Google

enim primùm Græcè reddita ſunt Alexandriæ; poſtquam autem deſiit lingua Hebræa, in qua Biblia ſcripta ſunt, vernacula eſſe; facta eſt ſpecies ſchiſmatis inter Judæos. Etenim quia Græca ubique notior, fuere Judæi etiam extra Alexandriam qui non ipſa Biblia Hebræa, ſed verſiones Græcas Bibliorum legerent in Synagogis, ideò dicti *Helleniſtæ*, quaſi dicas *græciſantes*; & habiti deſpectui cæteris Judæis, qui Hebræis Bibliis uterentur. Cæterùm non dividebantur aliqua heterodoxia. Hebræis autem ita ſtudia Græcarum litterarum abominanda videbantur, ut vulgò Rabbini dicerent eum maledictum eſſe qui porcos aleret, & ſapientiam Græcorum filium ſuum doceret. In Hiſtoria Actuum Apoſtolorum videre eſt inter Helleniſtas, ſive Græcos, & Hebræos, etiam poſtquam amplexati ſunt Chriſtianam religionem, diſſidia viguiſſe; neque enim hi Græci alii eſſe poſſunt quàm Judæi græciſantes; nondum enim Græci, olim idololatræ, converſi fuerant & adſcripti albo Chriſtianorum. Eò proruperant diſſidia Hebræorum, qui ſcilicet non alia lingua ſacros Codices legendos volebant, & Helleniſtarum, ut Imperatores illa legibus componenda ſuſceperint, apud quos utrique cauſam ſuam egere. In hanc rem imperatoris leges legere eſt in Codice juris.

Karræi dicti ſunt illi Judæi, qui legem oralem ſive traditiones Patrum reſpuentes, unius Scripturæ ſacræ textum admittunt. Ideò dicuntur Karræi, quia Hebræi vocant *Micra* textum purum Bibliorum, à verbo *Kara* legere. Karræos pro peſſimis hæreticis nunc habent Judæi. Illos *manſerim* vocant, hoc eſt, *ſpurios*. Karræi invicem odio habent Judæos, qui adhærent traditionibus Rabbinorum. Hos per contemptum appellant Rabbinitas & Rabbanæos. Karræorum diviſio à cæteris Judæis orta creditur, quando Talmud compoſitum eſt; quod Talmud qui noluerunt

Digitized by Google

luerunt recipere, ſe ſeparaverunt à reliquis Judæis. Horum Karræorum non mediocris eſt numerus in Oriente; de his autem altum eſt in Scriptura ſilentium, ſiquidem nondum orti erant; niſi quis velit eos accenſere Sadducæis, qui & traditiones reſpuebant.

CAPUT X.

Dogmata fidei Judæorum, & praxes religioſæ.

MEntem cujuſque Scriptoris faciliùs aſſequimur, ubi ſcopus quem ſcribens intuebatur, apertus eſt. Etenim pro diverſitate opinionum quibus ſcit eos quos alloquitur, occupari, orationem ſuam flectit; quæ ergo notior eſt, ſi doctrina non ignoretur ejus cum quo rem habet. Quæ cùm ita ſint, liquet ad intelligendas paginas novi fœderis multùm nos juvari, ſi compertas habeamus opiniones, quæ animis Judæorum inſederant, eo quo Chriſtus & Apoſtoli cum illis agebant tempore.

Synagoga Judæorum, ſive Eccleſia, ſive cœtus piorum fidelium, qui Deum coluere, antequam JESUS CHRISTUS naſceretur, à Deo fuerat electa, ut Chriſtum annuntiaret, quod ſæpiùs innuimus, & variis typis eum repræſentaret. Itaque præcipua fides Synagogæ erat, unum Deum credere, qui fecit cœlum & terram; & ab eo mittendum in terras Filium ſuum, qui ſervaret homines reos peccati Adami, & liberaret à pœnis mortis, quibus ob illud peccatum ſubjacebant. Hanc fidem habuerunt quotquot extiterunt viri pii à conſtitutione mundi, Chriſtum ſive Meſſiam verè Filium Dei eſſe. In Evangelio, ubi Apoſtoli & alii agnoſcunt Jeſum eſſe Meſſiam, ſimul ſalutant Filium Dei. Cùm ipſi Judæorum principes interrogant Jeſum an ipſe eſſet Chriſtus, quærunt ſi eſ-

Digitized by Google

ſi eſſet Filius Dei. Ipſe dæmon ambigens quis eſſet, an verè Chriſtus: *Si tu es Filius Dei, dic ut iſti lapides panes fiant.*

Toto hoc tempore quod effluxit à promulgata lege per Moyſen, etiam ab Adamo uſque ad Chriſti adventum, Eccleſia Dei viſibilis fuit, conſpicua ſignis, quibus certò diſtinguebatur. Ipſe Deus ſe manifeſtum faciebat antiquis Patriarchis; & fruentes interdum conſortio ejus non poterant eum ignorare. Etiam ſancti Patres, ante tempora Concilii Nicæni, in ea ſententia erant Verbum Filium Dei præluſiſſe incarnationi ſuæ, & ſub carne aliena quam nondum aſſumpſiſſet, nempè in ſpecie Angeli, ſe conſpicuum præbuiſſe Patriarchis; ex illis tribus Angelis, qui compellavere Abraham, unum fuiſſe Verbum Dei, quem Abraham adoravit: ideo Chriſtus dicere potuit: *Abraham vidit diem meum, & exultavit.* Poſteà cùm hæretici argumentum inde ſumerent adversùs æqualitatem perſonarum Sanctiſſimæ Trinitatis, quia dicerent Patrem eſſe inviſibilem, Filium viſibilem; quanquam infirmum eſſet illud argumentum, placuit Patribus in his antiquis apparitionibus, non ipſum Verbum, ſed Angelum, nomine ejus apparuiſſe.

Lex conſtituta à Moyſe ſive ſynagoga, ſignis manifeſtis omnem amovebat ſuſpicionis errorem ex Judæorum animis: nam nubes Tabernaculi; ignis de cœlo delabens & comburens in altari victimas; oraculum, ſive vox quæ ex Sancto compulſabat aures ſummi Sacerdotis, dum Deum conſuleret in Tabernaculo; lux denique quæ fulgebat in pectorali ejus, ſive quæ mentem ejus illuſtrabat, ut cognoſceret occulta, certiores faciebat Judæos ab eis verum Deum coli. Attamen adeò propenſi erant in idololatriam, ut & colerent falſa numina. Scilicet quem Deum oculis corporeis non videbant, non credebant; aut ſaltem alium habendum ſibi putabant,

quem,

quem, ut ita dicam, manibus palparent. Ubi autem tempus Meſſiæ appropinquavit, hoc morbo liberati omnes Judæi, & remoti ab idololatria; etiam ſi illis manifeſtis ſignis, quibus veritas religionis eorum conſtabat, tunc carerent.

Synagoga, ſive Eccleſia Judaica fuit vera Dei Eccleſia, uſque ad Chriſtum; & liceat dicere, uſque dum Templum ejus ſtetit, non incenſum fuit. Tunc illa deſiit, cum præcipua legis munera abolita ſunt, non ampliùs oblata Deo ſacrificia, leges præcipuæ omnem vigorem ſuum amiſerunt, nec populus Dei his ampliùs aſtrictus eſt. Templum illud, quod unicum erat in mundo, in quod omnes Judæi ab omni mundi plaga convenire debebant, erat Eccleſia materialis, ſive ſignum viſibile Eccleſiæ, in qua omnes Dei fideles congregandi erant. Ergo ſi quæras quo in loco, dum Chriſtus in terris verſaretur, Eccleſia reſideret, dicam in Apoſtolis ejus & diſcipulis; ſed his-ce etiam diebus Judæi omnes qui Templum Hieroſolymitanum frequentabant, erant vera Eccleſia Dei, Phariſæi, Sacerdotes, qui perſequebantur Chriſtum & eum crucifixerunt, erant etiam in Dei Eccleſia, ſed non erant de Eccleſia. Itaque qui Jeſum pro Chriſto habebant, non tenebantur ſe ſejungere à Phariſeis, ſacerdotibus & aliis. Imò aſſidui erant in Templo, unà cum cæteris Judæis, ritus omnes Judaicos obſervantes. Ipſe Chriſtus, dum vixit, uſque ad mortem ſuam frequentavit: diſcipuli pariter, poſt mortem ejus, uſque dum deletum eſt.

Quin ope Judaicæ religionis promulganda erat religio Chriſtiana. Exire debebant Apoſtoli in omnem mundum, ut annuntiarent Chriſti adventum; ſcilicet eum quem Judæi prædicaverant adventurum ad ſervandos omnes homines, Judæos & gentes, jam advenisse. Miracula quidem, quæ in nómine Chriſti edebant, ſatis demonſtrabant hunc verè eſſe Filium

Dei,

Digitized by Google

Dei, per quem omnia creata ſunt; neque enim horum alius auctor eſſe poterat; ſed inſuper Deus diſpoſuerat gentes omnes, ut in Chriſtum crederent. Judæi diſſeminati erant per totum orbem terrarum; ut vix locus eſſet in quo religio eorum non innotuiſſet. Semper in ore eorum erat Chriſtus: implebant omnes promiſſis ſalutis per eum conſequendæ. Magnam ergo ſpem fecerant adventus ejus; & Gentes paratæ erant huic excipiendo. Igitur Apoſtoli prædicantes Evangelium, ſemper primùm adibant Judæos: & ingreſſi in ſynagogas, ſic illos, & pios qui occurrebant in ſynagogis, expectantes Chriſtum, utroſque ſic compellabant: quem vos excitati promiſſis Prophetarum, & vos Gentes quem Meſſiam didiciſtis venturum in mundum hunc vobis annuntiamus & prædicamus.

Religio Chriſtiana, donec Moſaici ritus abolerentur, ut ita dicam, conjungebatur cum ſynagoga. Licebat Chriſtianis initio Eccleſiæ ritus ſynagogæ omnes ſervare, verbi cauſa Dominicam diem & ſabbatum, circumciſionem, abſtinentiam certorum ciborum, quos lex Moyſis prohibebat. Verùm poſtquam Templum everſum eſt, tum jugo legis omnino ſoluti ſunt. Illa lex ſic conſtituta fuerat, ut ſuo tempore ſolveretur. Præcaverat enim Deus, & graviſſimis pœnis interminatus fuerat, ne quis extra Hieroſolymitanum Templum ſacrificaret, paſchalia ſacrificia, & alia celebraret. Itaque cùm anno æræ Chriſtianæ circiter ſeptuageſimo Romani incenderunt Templum; quod poſtea non ſivit Deus ut Judæi excitarent, lex Moyſis non ampliùs obſervari potuit: ſic omnino abolita eſt; religio verò Chriſtiana promulgata & conſtituta eſt per Apoſtolos.

Uſque dum Chriſtus annuntiaretur per totum mundum, Judæi qui de morte ejus non audierant, conſecuti ſunt ſalutem, ſubditi legi Moyſis; & propriè

loquen-

loquendo, ipſi jam erant Chriſtiani. Etenim nullum aliud fuit diſcrimen inter veteres Judæos & Chriſtianos, niſi quod Judæi colebant Chriſtum, quem expectabant, omnem in eo ſpem & fidem reponentes, & ritibus ſuis Moſaicis, ut poterant, repræſentantes; Chriſtiani verò adorant indutum carne, quam aſſumpſit veniens in mundum, & implent quæ facienda à veris Dei fidelibus prædixerant Prophetæ.

Jam exponam opiniones, quibus imbuti Judæi, cùm Chriſtus in terris agebat: ad quas alludebat; & ideò eas ſcire intereſt. Non loquor de iis quæ ſcripta lex docet, ſed quæ traditionibus acceperant à majoribus. Conſtat ſicut veterum rituum, ita & antiquæ doctrinæ fuiſſe tenaciſſimos. Animadvertendum autem quòd ex quo JESUM CHRISTUM pro ſuo Doctore repudiaverunt, ipſi ſuam doctrinam de illo conati ſunt obſcurare, ſive Chriſti cognitionem ſibi eripere: apud Juſtinum martyrem ereptam fatetur Trypho: *Chriſtus autem ſi quidem natus eſt, & alicubi extat, ignotus eſt. Ac ne ipſe quidem ſeipſum ſcit, neque poteſtate aliqua præditus eſt; donec adveniens Elias illum unxerit, & manifeſtum omnibus reddiderit.* Chriſtum, inquam, omni arte qua poſſunt Judæi occultant; venturum tamen credunt, & hic primus eſt ex illis tredecim articulis, quibus complectuntur fidem ſuam. Pleroſque ex illis cuderunt adversùs Chriſtianos, putà nonum, quo ſanciunt legem Moyſis nulla alia lege potuiſſe immutari. Buxtorfius in ſua ſynagoga Judaica eos proponit verbis ſequentibus.

I.

Fide perfecta credo, Creatorem, cujus nomen ſit benedictum, Gubernatorem & Creatorem eſſe omnium creaturarum, illum ſolum omnia feciſſe, facere, & facturum eſſe.

II. *Fide*

II.

Fide perfecta credo, Creatorem, cujus nomen ſit benedictum, unicum eſſe unitate, quæ nullum omnino ſimilem habeat, illumque ſolum Deum noſtrum fuiſſe, eſſe, & futurum eſſe.

III.

Fide perfecta credo, Creatorem, cujus nomen ſit benedictum, non eſſe corporeum, nec ulla ratione corporea comprehenſibilem, & nihil omnino extare, quod ſit illi ſimile.

IV.

Fide perfecta credo, Creatorem, cujus nomen ſit benedictum, primum eſſe & ultimum.

V.

Fide perfecta credo, ſolum Creatorem, cujus nomen ſit benedictum, & neminem præterea adorandum eſſe.

VI.

Fide perfecta credo, omnium Prophetarum verba vera eſſe.

VII.

Fide perfecta credo, prophetias Moyſis Magiſtri noſtri, qui requieſcat in pace, veras eſſe, eundem eſſe patrem omnium ſapientum, tum eorum qui præceſſerunt, tum eorum qui ſubſecuti ſunt eum.

VIII.

Fide perfecta credo, totam legem, quæ hodie in manibus noſtris reperitur, traditam eſſe Moſi Magiſtro noſtro, qui requieſcat in pace.

IX.

Fide perfecta credo, legem hanc nunquam mutatum iri, nec ullam aliam legem tradendam eſſe à Creatore, cujus nomen ſit benedictum.

X.

Fide perfecta credo, Creatorem, cujus nomen ſit benedictum, cognoſcere omnia opera hominum, & omnes cogitationes eorum, ſicut dicitur; ipſe omnium

Digitized by Google

corda pariter finxit, intelligit omnia opera eorum.

XI.

Fide perfecta credo, Creatorem benedictum, bonum retribuere iis, qui ejus mandata obſervant: illos verò qui ea tranſgrediuntur, punire.

XII.

Fide perfecta adventum Meſſiæ credo, & etiam ſi retardet, nihilominus ſemper illum expectabo, donec veniat.

XIII.

Fide perfecta credo, mortuos vita reſtituendos eſſe, quando ita feret beneplacitum Creatoris, cujus nomen ſit benedictum, & cujus memoria extollatur in ſeculum & æternitatem.

Tam prona olim gens Judæorum ad colendos deos alienos ab his prorſus aliena fuit circa tempora quibus Chriſtus ortus eſt; nuſquam enim ille nec Apoſtoli ejus Judæos quos compellabant, idololatria accuſarunt. Cùm autem Deum colerent, quem nulla imago repræſentat, vulgò creditum eſt eſſe nubium & cœli cultores. Judaicæ religioni hoc-ce honorificum teſtimonium Tacitus reddit, cùm iſta de illis ſcribit. *Judæi mente ſola, unumque numen intelligunt, ſummum illud & æternum, neque mutabile neque interiturum.* Poſtea ſubdit, *Judæi profanos credunt, qui Deum imagines mortalibus materiis in ſpecies hominum effingant. Igitur nulla ſimulacra urbibus ſuis, nedum Templis ſunt.*

Præter tredecim dictos articulos, ſunt nonnulla alia Judæorum placita, quæ intereſt non ignorare. Ut aliquo ordine illa enarrem exordiar à nativitate hominis. Agnoſcunt Rabbini in omni homine figmentum malum, ut loquuntur. Sic de peccato originis ſermo fit in Talmude (Tractatu Beracot, ſive de benedictionibus, capit. 1.) *Non eſt mirum cur pec-*

peccatum Adæ & Evæ exaratum ſit, & ſignatum annulo Regis, ad generationes ſequentes propagandum, quia quo die creatus eſt Adam, abſoluta ſunt omnia, ita ut ipſe extiterit perfectio & complementum totius mundani opificii, ſic quando ille peccavit, totus mundus peccavit, cujus peccatum nos portamus & patimur. Quod non ita ſe habet in peccatis poſteritatis ejus.

Agnoſcunt Judæi plagas hominum à Meſſia eſſe ſanandas, & ipſum paſſurum; ſed duos Meſſias diſtinguunt, alterum occidendum, alterum glorioſum. De temporibus Meſſiæ ita cenſuiſſe patres eorum non diffitentur, nimirum mundum ſubſiſtere ad ſex annorum millia, duobus millibus fuiſſe inanitatem, ſive tempus in quo non erat lex, duobus millibus legem fuiſſe, & duobus millibus diem Meſſiæ; ita juxta hos calculos dies illi Meſſiæ cœpiſsent ab ea ætate qua Jeſus natus & paſsus eſt. Sed nunc, inquiunt, propter iniquitates quæ auctæ ſunt, Meſſias qui per duo millia annorum ultima regnare debebat, multos ex his millibus annos effluere ſinit, quibus à Deo nondum mittitur. Nolunt autem à quoquam dies adventus ejus calculis ſubduci. Cæterùm, cogitabant Judæi carnales Meſſiam regem terrenum, quo triumphante gentes omnes proculcarent: Ab eo, inquam, opes, lauta convivia expectabant.

Odio habent Judæi cæteros homines. Quin occidendos eos omnes putant, qui ſaltem Noachidarum ſeptem præcepta non ſervant. Nullum alium ſibi proximum eſse putant, quàm Iſraelitam. Legem quidem Moyſis laudibus attollunt; attamen violandam putant in vitæ diſcrimine. Abſtinebant Dei nomine in juramentis: ſed ſi juraſsent per ejus nomen, rem juratam præſtabant: cætera autem juramenta per creaturas inania eſse, & impunè poſse violari opinabantur. Cui malo ut occurreret Chriſtus, & deinde Apoſtoli, omni juramento abſtinere præcipiunt, quatenùs

O 2 Judæi

Judæi abutebantur cæteris juramentis, in quibus nomen Dei non efferretur.

Omnes Iſraelitas partem habituros in futuro ſæculo, hoc eſt, futuros felices Judæi credebant, attamen eos ſubjiciebant pœnis tum poſt mortem luendis, tum in hac vita, ubi in grande peccatum erant lapſi. Sunt in libris Judæorum Canones pœnitentiales, ſive pœnæ conſtitutæ peccatis quæ confiteri quiſquis horum reus tenebatur. Olim qui pro peccato ſacrificium offerebat, confitebatur peccatum illud ſupra caput victimæ, quo illud quodammodo onerabat. Præterea locum deſtinatum certò tenebant purgandis animabus Iſraelitarum; ita pro illis olim ſacrificia, nunc offerunt preces. Ergo in eorum doctrina inter peccata ſunt alia quæ non remittentur, alia quæ remitti poſſunt in altero ſæculo. Juxta eam doctrinam dicebat Dominus, peccata in Spiritum Sanctum neque in hoc nec in altero ſæculo remittenda. Advertendum etiam, juxta Joſephum, Phariſæos in ea opinione fuiſſe, animam quæ immortalis ſit, primo corpore ſolutam migrare in aliud corpus, ſed ſolas animas bonorum; malorum enim æterna pœna cruciari. Huic opinioni adhærens Herodes Tetrarcha putabat animam Joannis quem decollaverat, migraſſe in corpus JESU CHRISTI. Poſteriores Judæi ex litteris cujuſque nominis deprehendi poſſe ſtultè putarunt quæ anima in quodque corpus devoluta ſit. Volunt, verbi cauſa, animam Adæ revolutam in animam Davidis & Meſſiæ, quia horum nominum literæ initiales conficiunt nomen *Adam*.

Judæi in primis cavebant ne ulla immunditie polluerentur. Immunditiei autem ſunt innumeræ ſpecies, tum in lege præſcriptæ, tum in traditionibus Magiſtrorum. Propterea nullum commercium habebant cum Gentibus; quin, ut videre eſt in Evangelio,

puta-

putabant ſe pollui conſortio viri Ethnici: Non ſubibant tecta ejus; noluerunt enim intrare in prætorium Pilati, ut non contaminarentur, & poſſent manducare Paſcha: non utebantur his quæ ille tractaſſet, quia nempe haud ſategiſſet præcavere per legem præcavenda: non ungebant ſe oleo Græcorum, ut obſervat Joſephus.

Jam enarrandæ praxes religioſæ Judæorum. Summa erat eorum religio erga ſacros Codices, ſive potiùs ſuperſtitioſa. Mirum eſt quantam in illis deſcribendis adhibeant diligentiam. Antiquitùs libri non erant compacti ex multis foliis, prout nunc fieri ſolet, ſed continebantur unica membrana oblonga, cui annecterentur aliæ membranæ, cùm una non ſufficeret. Hæ membranæ volvebantur circa duo ligna rotunda, quorum ſingula ſingulis membranæ extremitatibus aſſuerentur. Undè libri dicebantur *Meghilot*, id eſt, volumina, quæ evolverentur, dum erant legenda, poſtea complicarentur. Liber ſic convolutus poterat facilè multis annulis, ſive ſigillis muniri, ne legeretur. Qualis erat liber ille viſus Joanni in Apocalypſi, munitus ſeptem ſignaculis; quæ diſcerpens unguibus ſuis Leo de Tribu Juda, vicit, ut illum aperiret & exponeret legendum (*Apoc. c.* 5.) quod exprimendum ſategimus in Tabula VII. ad latus imaginis ſummi Pontificis. Judæi tenaces antiquarum conſuetudinum, non utuntur in Synagogis alio libro legis, niſi cui ſit iſta forma. Sine punctis etiam leguntur, quia olim Hebræi non uterentur punctis illis, quæ vicem nunc vocalium implent.

In ſingulis Synagogis Pentateuchum habent, quem appellant *Sepher Thora*, id eſt, librum legis, membranis vitulinis aliquot in longitudinem conſutis, craſſioribus characteribus inſcriptum. His membranis, quæ ſunt aliquot ulnarum, juxta formam antiquam, ab utraque extremitate duo tornata ligna an-

Digitized by Google

nectuntur, circa quæ volvuntur, & quibus tolli, & ferri poſſit ille liber; quia ipſum librum manu non licet contingere. His tornatis lignis ſolent apponi umbilici argentei. Hæ membranæ pilis caprinis, à fœminis Judæis netis & contortis, conſui debent à viro Judæo, nec ab alio ſcribi poteſt ille liber; in in qua ſcriptione tanta eſt accuratio ac diligentia adhibenda, ut ſi vel in unica litera error ſit commiſſus, totus liber profanus habeatur,

Tria autem illa, complicare & replicare librum legis, lignum tornatum ejus manu tenere, tollere, circumferre, & populo Scripturam legis oſtendere, ſunt tria munera quæ venduntur auctione; unde multa ad Synagogam redit pecunia. Omnes librum legis oſculantur: qui ore non poteſt, manu tangit, quam deinde oſculatur. Aſſervatur in Arca, quam ipſi *Aron* appellant, ad imitationem Arcæ fœderis, quæ ſic Hebraicè vocabatur.

Qui ad legem vocatus accedit, apprehenſis duobus lignis inferioribus, antequam legere incipiat, primùm contenta & clara voce dicit, *Benedicite Deo*. Cœtus reſpondet: *Benedictus eſt Deus*, *benedictus in ſæcula*. Poſt lectionem peractam, liber tegitur panno ſerico. Lectio autem neceſſe eſt ut fiat à ſtante, cui nec ad murum reclinare licet. Videre eſt in altero latere imaginis ſummi Pontificis quem exhibet tabula VII. virum Judæum, qui opertus pallio, de quo infra ſermonem faciemus, attollit volumen legis, & eo partim evoluto benedicit his qui adſtant. Judæi duobus digitis, quibus ligna libri legis tetigerunt, tangunt oculos ſuos in cæcitatis remedium.

Tanti faciunt Judæi linguam Hebræam, ut non licitum putent alia Biblia, quàm quæ Hebraicè ſcripta ſunt legere; & acri odio moveantur in eos, qui Græca verſione utuntur, & magis in eos qui illam fecerunt. Etenim deplorant factam, & ob illam jejunium

junium ab illis eſt inſtitutum. Verùm ſi quidem ferè à captivitate Babylonica omnibus Judæis, ut plerique viri docti ſentiunt, haud erat nota lingua Hebræa, qua lex ſcripta eſt, adſtabat in ſynagogis interpres, qui verbis vernaculis exponeret quod Hebraicè lectum fuerat. Sic Eunuchus, de quo ſermo fit in Actis, fatebatur ignorare ſe quod legebat, niſi adeſſet interpres, qui neceſſarius erat populo, quando non alius quàm Hebræus codex legebatur. Archiſynagogus eligebat & vocabat pro arbitrio ex adſtantibus lecturum aut interpretaturum; quod munus honoratum erat. Sic in Actis (*cap.* 13. ✗ 42.) rogabantur Apoſtoli in ſynagogis ſermonem facere.

Diſtinxere Judæi librum legis in quinquaginta quatuor ſectiones, quas appellant *Paraſchas*, ut ſuo loco dicemus. Has ſubdividunt in minores ſectiones, quæ obſervantur in Bibliis Judæorum. Primùm legit *Cohen*, id eſt, ſacerdos, 2. Levita. 3. Iſraelita, ac deinceps quem vocaverit Archiſynagogus. Ultimus qui legit, appellatur *Maphtir*, hoc eſt, qui *dimittit*. Hæc de religione qua Judæi ſacrum Codicem proſequuntur, Pergam referre alias praxes eorum religioſas.

Omnia feſta appellantur Sabbata. Sàbbatum autem præcipua religione colunt Hebræi; de qua quæ dicta ſunt, non repetenda. In ſabbato ab omni opere ceſſant. Quieſcunt etiam jumenta. Circa quietem Sabbati, pudet me referre nugas Rabbinorum. Hodie non extrahunt pecudem ex fovea, in quam delapſa eſt in die ſabbati; ſed cibum ei inferunt. Quicquàm Sabbato ferre prohibitum; itaque nec ſutori licet egredi domo, cum acu veſtibus inhærente, nec cuiquam arma ferre, nec aurum nec argentum, nec illud tangere, nec vulnus de novo obligare: lutum calceorum non poteſt abradi, ne illo fovea aliqua compleatur. Non licet pulicem occidere.

Digitized by Google

Triginta novem circa Sabbatum articuli laborum prohibitorum numerantur, qui innumeros ſub ſe articulos continent. Quia in Exodo (*cap.* 16. *v.* 29.) præcipitur ut quiſque ſedeat, ne egrediatur de loco ſuo die Sabbati, conſtituerunt certum ſpatium, extra quod non poſſit iter fieri; quod ſpatium appellatur in *Actis* (*cap.* 1. *v.* 12.) iter Sabbati, quod eſt, bis mille cubitorum, ut illud olim definierunt Rabbini, quia in eremo à fimbria caſtrorum tale ſpatium creditur interfuiſſe uſque ad Tabernaculum, ad quod progredi licebat, ut jam diximus. Quoniam metere non licitum, ideò nec vellere ſpicas, quia ſpecies eſt meſſis. Sic nec per de novo ſata ambulare; quia ſemen adhærere poteſt pedibus, ex quibus decuſſum in terram, ſeminaretur, quod opus prohibitum eſt. Piget proponere quæſtiones quas movent de Sabbato, utrum, verbi gratia, capiſtro ſit deducendus aquatum camelus, an tunc liceat huic inſidere.

Sed & arte ſe liberant à tam duris legibus per *Erubin*, id eſt, per commixtionem, ſive terminorum, ſive atriorum; duo loca ſic commixta ſupponentes, ut ultra bis mille cubitos, totidem alii confici poſſint: quo modo ſupponi poſſunt plura atria, ut liceat ex uno atrio aliquid transferre in aliud, quaſi unicum atrium ſint. Multa verba faciunt de iſtis commixtionibus: hotum qui de eodem pane edunt, cenſentur domus commixtæ. Qui poſt bis mille cubitos, unam ex tribus cænis, quas faciunt in die Sabbati, celebrat, qui ſequuntur bis mille alii cubiti, cenſentur cum primis commixti.

Tota hebdomas appellabatur ſabbatum: *jejuno bis in Sabbato*, id eſt, in hebdomade. Satagebant autem Judæi ne continuis tribus diebus abſtinerent à publica lectione legis, quæ fiebat cum pompa die Sabbati; ſed & die lunæ & jovis, quibus conveniebant in Synagogam, & à Magiſtris inſtituta fuerat publica lectio

Digitized by Google

lectio Scripturæ. Erant & qui jejunarent his-ce diebus forſan quod dicebat Phariſæus, *jejuno bis in ſabbato*. nam diebus ſabbati lautè epulabantur, pretioſas veſtes induebant & genio indulgebant; quod & nunc faciunt. Diebus ſabbati cùm ad Synagogas progrediuntur, neminem in via ſalutant; nec ſibi licitum putant comedere ante horam ſextam, ſive ante meridiem, quæ hora, inquit Joſephus, ſabbato ſolet Judæos ad prandium vocare. Ideò Petrus (*Act. cap.* 2. *v.* 15.) arguebat qui putarent Apoſtolos, dum diverſis linguis loquebantur, eſſe ebrios; ſi quidem eſſet ſabbati dies, & hora tertia, qua viri Judæi nondum jejunium ſolverant.

Cum tremore & horrore Templum ingrediebantur; nec licebat illis fronte proterva ipſam portam orientalem aſpicere: cum formidine ac tremore incedebant in atrio: nulli in eo concedebatur ſedere, niſi regibus è ſtirpe Davidica. Orantes, ubicumque deprehenderentur, convertebant ſe ad Templum. Dum alvum exonerant, cavent ne in eodem ſitu ſint ac Templum. Ad montem ubi Templum ædificatum erat, nemo ibat cum baculo; calceis, zona, cum pulvere pedibus inhærente, aut cum pecunia in veſtimento colligata, nec per montem Templi compendiariam inſtituebat viam, introeundo per portam unam & per adverſam exeundo. Dominus in Evangelio non ſinit, ut quiſquam transferret vas per Templum. Juxta-loquendi morem Hebræorum, intelligendo per vas, arma, inſtrumenta, baculum. Non licebat in omni monte Templi deſpuere: in linteo ſpuendum. Mulieres in Templo proprium atrium, ſive propriam ſedem habebant. Illis etiam nec tunc temporis licet Synagogas intrare, ſed intra conclave manent, ex quo quidem per cancellos proſpicere poſſunt in ſynagogam. Olim, nec hodie, ſibi licitum putavere Judæi extra Jeruſalem ſacrificare; ideò pre-

Digitized by Google

preces tantùm fundunt in ſuis ſynagogis, & ſacras Scripturas legunt. Ex quo enim dirutum eſt Templum, & Sacerdotes cùm omnibus ſacrificiis ceſſarunt, loco ſacrificiorum realium, inſtituerunt ſacrificia labiorum, ut loquuntur, cum commemoratione priſcorum ſacrificiorum. His, inquam, ſacrificiis reſpondentes benedictiones ſive orationes inſtituerunt.

Ter in die, manè, veſperè, & ſub noctem, in ſynagogis Judæi orant ſtantes; quod in diebus jejunii & feſtis in ipſis plateis faciunt, ut de Phariſæis conſtat ex Evangelio. Preces quas recitant, longæ ſunt; quas ſuperſtitione augebant magiſtri, in quos invehitur Dominus: *nolite*, inquit, *orantes multùm loqui*. Diverſis nominibus inſigniuntur illorum preces: alias appellant *Bazaſot*, poſtulationes; alias *Thephilot*, preces. Indè in Epiſtolis Apoſtolorum nominantur variæ ſpecies precum, nempè obſecrationes, poſtulationes, gratiarum actiones.

Tenebatur unuſquiſque ad recitationem precum in propria perſona; at cùm non omnes adeò docti eſſent & expediti, recitabat unus vice omnium, & reliqui poſt eum reſpondebant aliquid, verbi gratia, *alleluja*, aut ſi precans diceret: *benedictus qui venit*, addebant reliqui: *in nomine Domini*. Advertere poteſt eruditus lector ritus noſtros fluere ex Judaicis; quos enim ex illis ritibus probabant Apoſtoli, hos retinebant. Pariter animadverſione dignum eſt quod annotat Joſephus. (*Antiq. lib.* 4. *cap.* 8.) Bis quotidie ineunte die, & cùm itur cubitum, commemoranda fuiſſe Judæis ſummi Dei beneficia, quæ liberatis ex Ægypto præſtitit.

Præter preces recitabant benedictiones varias. Quiſque Judæus tenetur recitare in die centum benedictiones. Non ſolùm cibos primùm bendicunt, ſed & poſtea ſuper poculum recitant benedictiones; ad

quod

Digitized by Google

quod forſan alludens Paulus dicit. (1. *Cor. cap.* 10. *v.* 31.) *Sive ergò manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.*

Tempore jejunii induebant ſaccos, hoc eſt, cùm aliis diebus uterentur veſtibus laxis, tunc ſumebant laceras & anguſtas, ex pilis caprarum. Non in lectis recumbentes comedebant, ſed humi inter pulverem & ſordes, in cinere quo ſpargebant capita ſua. *Quicumque jejunium ſervat*, inquit Maimonides, (*Tract. de jejunio.*) *aut ob calamitatem ſuam, aut ob malum aliquod inſomnium, aut ob publicam labem, is neque ulla ſe voluptate permulceat, neque erecto capite incedat, neque exultantem ſe & animo læto prebeat.* Jejunium autem Judæorum incipit à veſpera & durat uſque ad veſperam ſequentis diei. In quibuſdam jejuniis, tota die pedibus nudis erant, non lavabant ſe, non oleo ungebantur. Diem degebant in Templo, cùm Hieroſolymis commorarentur; alibi verò in plateis palam legebant Scripturas ſacras.

Multùm precabantur Judæi; precibus addebant confeſſiones, & memorabant quæ his-ce diebus olim luctuoſa contigiſſent: undè in quibuſdam jejuniis ſolæ legebantur lamentationes Jeremiæ. Tota die abſtinebant omni cibo; ſerò tantùm comedebant. Jejunia majora incipiebant una hora ante occaſum ſolis uſque ad noctem diei ſequentis; quo intervallo non manducabant: undè fortè jejunantes verè dicuntur in diebus jejunii neque nocte neque die cibum guſtaſſe. Quin & in ſolemnibus jejuniis nefas erat labori vacare ſaltem interdiu. Non fas erat corpus totum calida abluere; vultum tamen, manus atque pedes, conceſſum erat; balnea autem occludebantur. Unctio prohibebatur; niſi fieret ad ſordes removendas. Genialis torus pariter interdictus erat, unà cum calceorum geſtatione; iter tamen facientibus calceos induere licebat. Sed alia erant jejunia, in quibus licitum erat

edere

Digitized by Google

edere & bibere noctu, tum & in illis opus quoddam facere, ſeſe lavare, inungere, calceamenta induere, cumque uxore concumbere, ut dicitur cap. 1. Tractatus Talmudici de jejunio.

CAPUT XI.

Reſpublica Hebræorum Theocratia erat; quippe Deus præſes ejus. Habuit tamen diverſos diverſis temporibus Magiſtratus & principes, penes quos fuit ejus regimen.

OMnes naturâ ſupremo Dei dominio ſubditi ſumus; verùm dæmoniorum, quibus homo peccando ſe ſubjecerat, quaſi ſervus factus, Dei imperio ſubductus eſt. Summus autem opifex ſinere non poterat ut malitia diaboli vinceret; quapropter vindicavit ſibi populum in quo regnaret, à quo coleretur, dum cæteri homines Deos alienos ſequerentur. Elegit Abrahamidas, qui ejus benedictione protinùs crevere in Gentem magnam. Hos ex ſervitute Ægypti aſſeruit in libertatem, ut ei liberè ſervirent; nec paſſus eſt populum ſuum ſubjici dominio alicujus mortalis principis, niſi cùm fidelis non permanſit. Primis Reipublicæ Iſraeliticæ temporibus Deus ipſe fuit ejus Princeps; & ſtatus ejus vera θεοκρατία Theocratia. Scilicet ut *Democratiam* appellant regimen quod penes eſt plebem; ubi verò præſunt nobiles, *Ariſtocratiam*; quia Hebræorum præſes rectorque ſolus Deus eſſet, modus quo res eorum adminiſtrabantur, *Theocratia* erat, ait Joſeph. (*Lib.*11.*cap.*4. *& lib.*20.*c.*8.*Antiq.& lib.*2.*contra Apionem.*) Omnia quæ juris ſunt Principum, Regum, Imperatorum, ſoli Deo tribuebantur; & cum iſto regimine ſic Religio conjuncta, ut qui Dei leges prætergrederetur, & in ſacros ritus peccaret, protinùs cenſeretur publicæ rei

eæ rei hoſtis. Propterea quemadmodum ea facinora ſupplicio coercentur, quibus incommoda publica peccatur, & læditur Principis majeſtas, ſic quicquid labem afferret Religioni & Deum offenderet, pro capitali crimine habebatur.

Deus pro Principe & Rege Iſraelis ſe gerebat. Dum Iſrael in deſerto peregrinatus eſt, in Tabernaculo, tanquam ſummus Imperator in Prætorio, circumdabatur Iſraelitis tanquam exercitu; unde & ipſe amat dici *Deus ſabaoth*, id eſt, *exercituum Deus*. Poſtquam ædificatum eſt Templum, *domus Dei* appellatum eſt. Hebraicè *Hekal*, quæ vox idem ſonat ac *palatium*. Non movebant caſtra exercitus Iſrael, niſi ex juſſu Dei, quando daret ſignum ſummus Imperator. Scilicet ubi nubes, quæ interdiu operiebat Tabernaculum, diſcedebat, proficiſcebantur. (*Num.c.* 9.23.) *Per verbum Domini figebant tentoria, & per verbum illus proficiſcebantur; erantque in excubiis Domini juxta imperium ejus per manum Moyſi*. Inſuper animadvertendum ipſam Arcam fœderis, in qua velut in throno Deus reſidebat; quæ ideò à Pſalmiſta dicitur *ſcabellum pedum ejus*, repræſentaſſe quadrigam: Cherubim autem quæ huic quadrigæ adhærebant quadriformia, ſimul homines, leones, boves, & aquilæ, animalia pugnaciſſima, congruebant Magno bellatori. Olim magnanimi duces è quadrigis pugnabant; ut certum ſit Deum inter Cherubim ſedentem, ut cernitur in Pſalmis, haberi voluiſſe pro bellatore, ſive pro exercituum Deo.

Denique, ut Principes ſolent conſtituere ſibi Tribunos ac Centuriones, alios unguentarios, alios panificos facere, & miniſtros in claſſes diſtribuere, qui ſtatis temporibus vices obeant, hoc & fecerat Deus in Iſrael. Incredibilis erat numerus Sacerdotum, Levitarum, Nathinæorum, qui & miniſtrabant in Templo, excubias agebant. Nunquam Regi in ſuo pala-

palatio tanto cum apparatu & impenſis miniſtratum eſt. Deus juſſerat ſibi capitatim à ſingulis tributum ſolvi: vindicaverat cujuſque prolis primogenitum, areæ & torcularis primitias, decimas cujuslibet proventus. In omnibus legibus quas poſuit, ubique ſuum cultum intuitus eſt; ut Rempublicam Hebræam cauſa Religionis conſtitutam fuiſſe apertum ſit. Nulla quidem deerat lex, qua foveretur & creſceret iſta Reſpublica; ſed Religio pars ejus potior erat, tota fermè ordinata in cultum Dei, & ad delineandos typos Chriſti futuri & populi Chriſtiani.

Attamen, quanquam iſta Reſpublica nullum alium ſummum Principem, quàm Deum agnoſceret, cùm Iſraelitæ ferre non poſſent ejus præſentiam, territi fulguribus in quibus apparuerat in monte Sinai, ubi quaſi nata & formata eſt Reſpublica Hebræorum; cùm, inquam, ipſi oraſſent Deum ut non eos alloqueretur, ſed uteretur Moyſe miniſtro & mediatore, neceſſe fuit ut eſſent viri per quos publicæ rés gererentur; non propria ſua authoritate, ſed ſub Deo principe. Hi enim non mandata ſua præſcribebant, ſed ſignificabant quæ Deus mandaret. Moyſes fuit tanquam *fidelis miniſter in domo ejus*, ut loquitur auctor epiſtolæ ad Hebræos. Ille in dubiis conſulebat Deum, cujus reſponſa ad populum referebat. Ergo agebat miniſtrum, non principem. Moyſem excepit Joſue, deinde judices, poſtea reges, quos populus, quaſi cum tæderet ſoli Deo parere, poſtulavit. Quanquam ergo regimen Hebræorum eſſet, ut dictum eſt, Theocratia, Politia a Religione diſtincta habuit magiſtratus ſupremos, tum infimos, de quibus hic agendum.

Formam reipublicæ Iſraelis expoſiturus, non ad ipſos Patriarchas aſcendet ſermo, penes quos ſummum imperium fuit in Gentem. In Sinai nata & formata eſt reſpublica, ut diximus, quam Moyſes

rexit

Digitized by Google

texit ſub Deo rege. Tunc ſtatus illius Ariſtocraticus dici potuit; ſumma enim rerum poſt Deum penes optimates poſita fuit. Poſtea monarchicus fuit penes reges, quorum principatum Latini *regnum*, Græci *monarchiam* vocant. Ariſtocratia fuit ſub Moyſe, ſub Joſue, & judicibus; regnum ſub regibus. Moyſes non ſolus rempublicam adminiſtravit; multis iiſque bonis prudentibus viris rem totam commiſit, ut alii ſacra, alii profana curarent. Ex iis autem, qui operam rebus ſacris darent, unus fuit Pontifex, reliqui Sacerdotes & Levitæ. Qui verò profana adminiſtrabant, alii conſultationibus, alii judiciis vacabant. Nonnulli pacis, quidam belli ſtudia coluerunt; omnes non ex arbitrio voluntatis, ſed ex præſcripto legis ſuo fungentes munere, in primis dum exercebant judicia & juſtificationes, juxta id quod Deus dixit ad Joſue: (*cap.* 1.) *Confortare, & eſto robuſtus valdè; ut cuſtodias & facias omnem legem quam præcepit tibi Moyſes ſervus meus; ne declines ab ea ad dexteram vel ad ſiniſtram, ut intelligas cuncta quæ agis.* Ipſi autem Joſue reſponderunt Iſraelitæ: *Omnia quæ præcepiſti nobis faciemus, & quocumque miſeris ibimus, ſicut obedivimus in cunctis Moyſi, ita obediemus & tibi:* Indè Joſue moriturus advocatis Iſraelitis eadem verba repetiit, quæ ad ſe Deus tradens imperium fecerat, de lege Dei cuſtodienda; promiſitque populus ſe Dei præceptis obediturum. Populus conſtabat duodecim Tribubus; quæ ſingulæ habebant cognationum ſive familiarum capita, quæ erant veluti *Philarchæ*, id eſt, tribuum Principes. Penes harum tribuum ſeniores, ſcilicet penes eos qui ætate & prudentia præcellebant, autoritas reſidebat. Sine conſilio eorum res non gerebantur. De horum ſeniorum concilio ſimul & imperio ſermo fit in libro Judicum (*c.*2. *v.*7.) ubi dicitur quòd Iſraelitæ ſervierint Domino cunctis diebus Joſue & ſeniorum, qui longo poſt eum vixerunt

runt

Digitized by Google

runt tempore, & noverant omnia opera Domini, quæ fecerat cum Iſrael. Qui ergo juxta id quod ſibi traditum fuerat, & quod viderant oculis ſuis antea factum, poterant regere Iſraelitas.

Judicibus indè poſt Joſue rerum potientibus, eodem modo Ariſtocratia fuit; ſi quidem illis principatum adminiſtrantibus lex valuit, & Deus ipſe imperium tenuit. Dicebat Gedeon Iſraelitis: (*Judic. cap.*8. 23.) *Non dominabor veſtri, nec dominabitur in vos filius meus, ſed dominabitur vobis Dominus.* Hanc regiminis formam cùm Moyſes vellet eſſe perpetuam, ſic eum loquentem inducit Joſephus. (*Lib.*4. *Antiq.*) *Ariſtocratia, & vita quæ ex ea degitur, res optima eſt; nec vos capiat deſiderium alterius Reipublicæ, ſed hanc amate, leges habentes dominas, ex iis omnia facientes; ſatis enim eſt ut Deus præſit. Quod ſi regis cupiditas vos inceſſerit, is ex eadem gente ſit.*

Attamen Iſraelitæ à Samuele, qui ſummus judex eorum erat, Regem poſtularunt, (1. *Reg. cap.* 8. 5.) *Conſtitue nobis Regem, ut judicet nos, ſicut & univerſæ habent nationes.* Quod ut ille audivit, ſubitò Deum quid opus eſſet facto conſuluit; qui ita reſpondit. *Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi. Non enim te abjecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos.* Et addidit, *verumtamen conteſtare eos, & prædic eis jus regis qui regnaturus eſt ſuper eos.* Hæc ſignificabant, ut Sigonius obſervat, hactenus regnaſſe Deum ſuper Hebræos, quia lex dominata eſſet; imperio verò ad regem more Gentium tranſlato, Deum non regnaturum, cùm non penes legem, ſed penes voluntatem unius hominis ſumma rerum eſſet futura. Etenim, ut Ariſtoteles, quem Sigonius allegat, ait in ſuis *Politicis*, qui legem vult imperare, Deum vult imperare; qui regem, id eſt, hominem, belluam, quòd non ſemper ratione, ſed plerumque cupiditate ducatur. Ibi autem loquitur Ariſtoteles, de Rege tyran-

Digitized by Google

tyranno, cujus arbitrarium imperium expreſſit Deus. (*Lib.* 1. *Reg. cap.* 8.) Filios & filias & prædia & ſervos vobis auferet, & greges veſtros addecimabit, & vos eritis ei ſervi; neque clamantes audiemini à Deo. Illud arbitrarium imperium, quo rex cuncta regit ſua voluntate, omni lege ſolutus, jus regni appellat Vulgatus interpres; ſed nomen Hebræum *miſchepat*, quod in eo loco Scripturæ legitur, potiùs accipiendum pro *conſuetudine*. Etenim *judicium* quidem *jus*, ſed & *conſuetudinem* ſignificat; ut ſenſus ſit, conſueſcere reges abuti poteſtate, quæ penes illos eſt.

Igitur, Judicibus rejectis, Hebræi reges habere cœperunt quorum primus Saul, ſecundus David, à quo indè hereditarium regnum inter Judæos evaſit, donec res ad Sedeciam pervenit, qui à Nabuchodonoſore rege cum populo captivus in Babyloniam eſt abductus. Reverſis verò in patriam poſt annos ſeptuaginta Judæis, res iterum ad Optimatum ſtatum eſt adducta, quo tempore Pontifices, qui pro tempore fuerunt, Sacerdotum & Judicum partes impleverunt, donec populo ab Antiocho ſervitute oppreſſo, Levitica Aſſamonæorum familia inſurrexit: nimirum Macchabæi, qui aſſeruerunt Judæis libertatem adversùs Syrorum reges. Judas vindex ſic Macchabæus dictus eſt, & fratres ejus dicti Macchabæi, quia condecoraverunt vexillum ſuum his litteris initialibus. M. C. B. A. I. quas decerpſerat ex hac ſententia, quæ non ſemel occurrit in ſacro Codice *mi camoca ba elim jehova*, id eſt, *quis ſicut tu inter deos Jehova*.

Aſſamonæi ſive Macchabæi primùm ſub titulo Principis, deinde ſub nomine Regis, manentibus veteribus inſtitutis, rem Judæorum univerſam adminiſtraverunt. His extinctis, Herodes regnum invaſit. Filius Herodis Archelaus, heres tantum ex parte regni quo pater potiebatur, Judæam nomine *Ethnarchæ* rexit. Pulſo autem in exilio poſt decem annos

P Ethnar-

Digitized by Google

Ethnarchiæ ſuæ, Judæa provincia Romana facta eſt. Tunc temporis natus eſt Chriſtus, cùm juxta vaticinium patriarchæ Jacob ablatum eſſet ſceptrum à Juda. (*Gen. c.* 49. 10.) *Non auferetur ſceptrum de Juda, & dux de femore ejus donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium*. Moriens ſic vaticinatus fuerat Jacob. Ab aliquo tempore ſceptrum non erat penes familiam Juda; ſed non ideò ablatum à tribu Juda, quæ uſque ad Herodem ſumma præcelluit poteſtate, qua cecidit cùm regnum tranſit ad Herodem, qui erat alienigena. A diebus autem Herodis reſpublica Judæorum cœpit peſſumdari, uſque dum Jeruſalem caput Gentis cum Templo everſa eſt. Poſtea Judæi nec Reges, nec Templum, nec ſacrificium habuere. Deſierunt eſſe populus, & veluti extorres vagati ſunt, ut his prædictum fuerat, ſi Chriſtum non audirent.

Ex quo Judæa Provincia Romana facta eſt, uſque ad everſum Templum, licèt ſuis legibus uterentur Judæi, attamen ut ſubacti cenſebantur, Romani eis tributum impoſuerunt, regionis imperium & procurationem ſibi vendicantes. Ac poſtremo cùm jugum excutere conati eſſent Judæi, eorum urbem cum Templo inflammaverunt, ac Gentem totam profligaverunt, quæ, ut dictum eſt, gens eſſe deſiit.

Advertendum & in ipſa captivitate Babylonica, cùm ſui juris non eſſent Judæi habuiſſe tamen Principes ex Gente ſua, quibus ſe ipſi tradebant regendos, qui componebant eorum diſſidia, & lites dirimebant. Solent illi appellari *Aichmalotarcha*, hoc eſt, captivitatis Principes. De ſummis magiſtratibus diximus, qui toti genti præerant; alios perſtringamus breviter, primùm agentes de Proceribus, quorum conſiliis & authoritate poſt ſummum Principem res gerebantur. Horum & aliorum magiſtratuum originem repetam à primis temporibus.

Moyſes

Moyſes initio peregrinationis in deſerto, ad cauſas audiendas tota die aſſidebat; quod cum advertiſſet Jetro ſocer ejus, admonuit eum ut tanto labori parceret, ſapientes, gnaros & prudentes pro ſe ad judicandum ſtatuens, ſibi rerum graviorum reſervans cognitionem. Itaque ille, electis viris ſtrenuis de cuncto Iſrael, conſtituit eos Principes populi, Tribunos, & centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos qui judicarent plebem omni tempore, ita compellans plebem. (*Deut. cap. 1.*) *Non valeo ſolus negotia veſtra ſuſtinere, & pondus ac jurgia. Date ex vobis viros ſapientes, & gnaros, & quorum converſatio ſit probata in Tribubus veſtris, ut ponam eos vobis Principes. Tunc reſpondiſtis mihi, bona res eſt quam vis facere; tulique de Tribubus veſtris viros ſapientes & nobiles & conſtitui eos Principes, Tribunos & centuriones, & qinquagenarios, ac decanos, qui docerent vos ſingula. Precepique eis dicens: audite illos, & quod juſtum eſt judicate; ſive civis ille ſit, ſive peregrinus. Nulla erit diſtantia perſonarum: ita parvum audietis, ut magnum; nec accipietis cujuſque perſonam, quia Dei judicium eſt: quod ſi difficile vobis viſum aliquid fuerit, referte ad me, & ego audiam.*

Itaque in unaquaque Tribu fuit primarius, à quo illa regeretur, qui ideò dicebatur Princeps tribus, à Græcis interpretibus Bibliorum *Phylarchus*, vel *Archiphylus*, vel *Archon*. Sic cùm eſſent duodecim tribus, erant duodecim Principes. Illi cum totius gentis præſide ſedebant, conſilia cum eo ineuntes. Ad hanc regiminis formam alludebat Dominus, cùm dicebat ſuis duodecim Apoſtolis apud Matthæum. (*cap. 19.*) *Sedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſrael.* Dicebantur illi judices ſedere ſuper duodecim thronos, judicantes Iſrael. Ut autem unaquæque Tribus, ſic & ſuum principem habebant quæque cognationes ſingularum tribuum, ut ex multis Scripturæ locis patet.

tet. Horum Principum officium erat cognationes quibus præerant convocare, ad eas referre quæ ad rempublicam pertinerent, & duces eorum eſſe in bello.

Singulæ tribus multas ſortitæ ſunt civitates, in quas ipſæ familiæ ſeu cognationes diſpoſitæ ſunt. Civitatibus verò qui præfuerunt, ii principes civitatum vocati ſunt; pro numero autem civium quibus præerant, appellati ſunt vel *principes mille*, vel *principes centum* vel *quinquaginta civium*. Sic parvula urbs non habebat principem mille hominum; qualis fuit Bethleem, de qua dicitur *parvula es in millibus Juda*, hoc eſt, ita parva es, ut principem mille hominum non habeas. Hi omnes Dei juſſu & conſilio Jetro Moyſis ſoceri ab ipſo Moyſe in deſerto ſunt inſtituti. (*Exod. cap.* 18. *v.* 25.)

Non prætermittendum eſt à Judæ Macchabæi temporibus delegatas copias & cohortes ad cuſtodiam Templi; quæ obortas ſeditiones compeſcerent, reos quoſcumque in vincula truderent, juſſu Sacerdotum, quorum milites illi quaſi lictores erant. De hoc Templi præſidio mentio fit in Evangelio. Hæc eſt cuſtodia, quam Sacerdotes habere dicebat Pilatus, eos alloquens. Ex hac, inquam, cuſtodia fuere milites, quibus ſtipatus Judas Chriſtum comprehendit. Magiſtratus autem, ſive duces illi qui huic militiæ Templi præerant, dicuntur in novo Teſtamento *magiſtratus Templi στρατηγοὶ τοῦ ἱεροῦ*, *duces* ſive *præfecti Templi*. (*Luc.* 22. 52. *Act.* 4. 1.) Siquidem licuit Judæis bella gerere, & belli magiſtratus habebant. Primus dictus eſt Princeps exercitus & belli dux. Ille autem præerat Chiliarchis, ſive tribunis, quibus milites mille parebant, centurionibus, quinquagenariis, & decanis à Moyſe inſtitutis.

Quiſque in numerum Magiſtratuum creabatur, manu ſibi impoſita ab eo qui ipſe jam in Magiſtratu

fuiſſet

Digitized by Google

fuiſſet coöptatus. Effatum enim celebre eſt inter Judæos, neminem poſſe creare, niſi qui ipſe ritè creatus ſit. Senatoria dignitas nemini dabatur ſine legitimo actu, nempe manuum impoſitione, quam Judæi *ſammecha* vocant, Græci χειροθεσίαν. Ita Moyſes Joſuæ & ſeptuaginta Senatoribus manum impoſuit; qua ſolemnitate peracta, ſtatim delapſus cœlo Spiritus pectora eorum implevit. Hi porrò cùm in hunc modum initiati eſſent, alios eadem lege auctoraverunt. Advertendum eſt regimen Eccleſiæ Chriſtianæ ex parte formatum fuiſſe ad exemplar regiminis veteris Eccleſiæ Hebræorum.

CAPUT XII.

De diverſis Reipublicæ Hebræorum tribunalibus. De magno Synedrio. Ejus locus erat in Templo; ubi judicatus eſt Chriſtus reus mortis; qui & more Romano crucifixus eſt. De pœnis quæ reis infligebantur, ſimul & excommunicationibus.

PAulò fuſiùs agendum eſt de Synedrio magno, quod ad inſtar Judicum quos Moyſes delegit, videtur conſtitutum. *Synedrium* Græca vox eſt, idem ſonans quod Latinis *conſeſſus*. Religio Hebræorum ſic conjuncta erat, ut vidimus, cum ipſa eorum politia & adminiſtratione rerum civilium, ut non perinde ac in aliis Rebus-publicis, diſtinctio eſſet cauſarum ſacrarum & civilium. Omnia à Deo ordinata erant, non ea ſolùm quæ attinerent ad ſacrificia, & ad cultum ſibi in Templo & alibi exhibendum; ſed in genere quæ vitam ſpectabant, victum, artes, pacem, bellum, emptiones, venditiones, matrimonia, & in genere jus quo Reſpublica conſervatur. Quin in Templo perinde ac in foro cauſæ majores agitabantur; & dirimendis litibus, ſontibus plectendis vaca-

Digitized by Google

bant Sacerdotes, perinde ac ſacrificiis. Quod animadvertiſſe operæ pretium erit. In forma autem dicti regiminis hæc conſiderari poſſunt, concilia, judicia, judiciorum forma, & pœnæ quæ infligebantur pravè factis.

Concilia, ſive Congregationes, ſive Synagoga, ſive Eccleſia, his enim diverſis nominibus res una & eadem interdum appellatur, nempe publici cœtus, erant vel totius Gentis, vel unius Tribus, vel unius familiæ, vel unius civitatis. Cogebatur cœtus publicus imperio ſummi Magiſtratus, vario tubæ occentu, prout præceperat Deus. (*Num. cap.* 10. *v.* 2.) *Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus convocare poſſis multitudinem, quando movenda ſunt caſtra. Cumque increpueris tubis congregabitur ad te omnis turba ad oſtium Tabernaculi fœderis. Si ſemel clangueris, venient ad te Principes, & capita multitudinis Iſrael. Si autem prolixior atque conciſus clangor increpuerit, movebunt caſtra primi qui ſunt ad orientalem plagam.* Ibi autem advertite convocatum populum ad oſtium Tabernaculi, quod erat palatium Dei. Sic enim in more eſt omnium populorum, ut ad palatia Principum confluant, jus indè accepturi. Etiam tubæ clangore excitatus populus conveniebat ad orandum, ad audiendum mandata Dei, ad creandum Magiſtratum, vel de pace vel de bello conſultandum, aut cùm inquirendus reus alicujus facinoroſis, pro quo Deus ſuccenſebat omni Iſraeli. In judiciis conſideratur diverſitas Tribunalium, poteſtas cujuſque Tribunalis ſive judicii, & locus Tribunalis. In judiciorum forma, Regulæ à judicibus ſervandæ: Actio: Teſtes: Sententiæ: Pœnæ quibus ſontes plectuntur. Hæc omnia ex ordine exponenda.

Diverſa erant judiciorum ſive Tribunalium genera; ad quod alludens Dominus, ait in Evangelio. (*Matth. cap.* 5. *v.* 22.) *Omnis qui iraſcitur fratri ſuo,*

Digitized by Google

reus erit judicio; *qui autem dixerit ei Raca*, *reus erit concilio*. Siſtendus erit coram primo Tribunali, cum peccaverit leviùs; ſi peccatum grandius admiſerit, coram majori Tribunali. Tribunal in ſingulis civitatibus conſtitutum dicebatur *judicium*, (2. *Paralip.* 19.) quod erat trium judicum, aliud viginti trium. Judicia illa appellabantur Synedria minora. In quocumque judicio Judæi volunt numerum judicum imparem eſſe debere; quia ſi unus diceret, *juſtus eſt*, alter diceret, *reus eſt*, tertius lancem deprimeret. Tertium erat tribunal, nempe Synedrium majus, quod in vulgato interprete Matthæi dicitur *concilium*, in fonte Græco *συνέδριον Synedrium*; unde facta vox *Sanedrim*, qua utuntur Hebræi. Hæ omnes voces, *concilium*, *conventus*, idem ſonant ac *conſeſſus*. Ad hæc diverſa Tribunalia etiam alludebat Pſaltes regius. (*Pſal.* 1.) *Non reſurgent impii*, hoc eſt, non ſtabunt impii, *in judicio neque peccatores in concilio juſtorum*. Obtinuit Tribunal majus ut diceretur magnum Synedrium. Circa illud Synedrium lites moventur valdè ambiguæ. Incertum eſt an quale exercebatur Hieroſolymis, quando Chriſtus paſſus eſt, jam antiquitùs fuiſſet inſtitutum. Certum eſt à diebus, quibus decem Tribus in captivitatem deductæ ſunt, non obſervatum quod primum fecerat Moyſes, nempe ut ex ſingulis Tribubus & cunctis cognationibus eligerentur ſeniores ad judicandum.

Perturbata eſt Hebræorum Reſpublica ab impiis Regibus ſuis, tum ab inimicis, cùm jugum ſubiere. Verùm poſtquam reverſi ſunt in patriam, & Eſdras & Nehemias reſtauravere Rempublicam; maximè cùm Judæos Macchabæi in libertatem aſſeruerunt, tunc conſtitutum Synedrium ea forma, quam illi tribuunt Judæi in ſuo Talmude. Elegerat Moyſes juxta conſilium Jetro ſoceri ſui ſeptuaginta ſeniores ætate provectos ac ſcientia probatos, qui in regen-

Digitized by Google

do populo eum adjuvarent. His LXX. Senioribus ipſe Moyſes præerat; undè conſtitit inter Judæos Synedrium componi debere LXXI. judicibus. Sunt qui velint illud habuiſſe LXXII. viros; quod non convenit neque cum Scriptura, neque cum Judæorum commentariis. Summus Synedrii præſes appellabatur *Hanaſci*, hoc eſt, *princeps*. Alter qui ejus vices tenere poterat, dicebatur *Ab*, hoc eſt, pater Synedrii; qui aſſidebat dextro lateri principis. Sunt qui addunt tertium virum, qui ſiniſtro lateri pariter aſſideret, qui nominabatur *Hacam*, hoc eſt, ſapiens. Forſan has duas dignitates mater filiorum Zebedæi ambiebat pro filiis ſuis (*Matth.*20.)

Judicia de pecuniis & bonis mobilibus fiebant per tres judices ex Talmude. Judicium verò *animarum*, id eſt, in quo de morte & vita agebatur, fiebat per viginti tres viros. Majores autem cauſæ referebantur ad Synedrium magnum. Illud, inquam, Tribunal majus judicabat Tribum, ſceptrum, Pſeudoprohetam, aut Sacerdotem magnum, & res præcipuas Religionis, ex Deuteronomio. (*Cap.* 17. *v.* 8.) *Si difficile & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram & non lepram, & judicum intra portas tuas videris verba variari: ſurge & aſcende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, venieſque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judicem qui fuerit illo tempore: quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem. Et facies quodcumque dixerint, qui præſunt loco quem elegerit Deus, & docuerint te juxta legem ejus, ſequeriſque ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram neque ad ſiniſtram.* Vides adminiſtrationem etiam rerum civilium penes Sacerdotes eſſe. Hæc autem ſpectant Synedrium magnum, quod ex parte conſtabat Sacerdotibus.

Poteſtas Synedrii magni non eadem fuit ſemper. Sum-

Digitized by Google

Summam contulerat Deus, ut patet ex allegato loco Deuteronomii. Sub Regibus rarus de illo ſermo. Sunt tamen qui credunt illos *Cerethos* & *Pelethos*, qui ſemper comitabantur Davidem, fuiſſe aulæ ejus principes, & quaſi comites Conſiſtorianos; ita ut loco eſſent ſeptuaginta Judicum, quos Moyſes delegerat. *Cerethos* interpretari quis poſſit *exterminatores*, ſive morti adjudicantes; Pelethos verò punientes: vel cum Judæis, Cerethi erant qui in Synedrio exſcindebant verba ſua, ſive breviter juſſa pronuntiabant; Pelethi verò qui excellebant in ſactis ſuis. Primum eſt à verbo *carath*, id eſt, *exſcindere*; alterum à *Pala*, id eſt *mirabile eſſe*. Alii putant Cerethos & Pelethos eſſe nomina gentilia eorum quos David cuſtodiam corporis ſui è bellicoſiſſimis gentibus conſcripſerat.

Tempore Aſſamonæorum Synedrii poteſtas fuit maxima: etiam magna, dum Herodes magnus vixit; poſtquam Judæa in Provinciam redacta eſt, & per Procuratores Romanorum regeretur, nec omni auctoritate carebat. Alibi evicimus Joannem Baptiſtam ab hujuſce Tribunalis judicibus in vincula fuiſſe conjectum. Videre eſt in Evangelio (*Luc.* 20. *Joan.* 11.) quomodo ſæpe inquirebant de Domino, quia ad illos pertinebat res Religionis tractare, & de iis judicare. (*Luc.* 20.) *Dic nobis in qua poteſtate hæc facis?*

Judicium animarum, ut loquuntur Talmudiſtæ, ablatum eſt, ut illi referunt, quadraginta annis ante everſionem Templi ſecundi, hoc eſt, circa tempus mortis Chriſti. Verum internecio Stephani, & multa alia quæ à Joſepho memorantur, admonent non tam citò omni ſua auctoritate Synedrium magnum excidiſſe. In commentariis in Harmoniam Evangelicam, expendi qua mente & quo ſenſu dicebant Judæi Pilato: *non licet nobis quemquam interficere*. Scili-

Digitized by Google

Scilicet agebatur inter eos de die feſto Paſchatis, in quo prohibitum exercere *judicium animarum*, id eſt, damnare quemquam & adjudicare morti. Joſephi teſtimonio, & ipſa auctoritate Scripturæ conſtat non ablatum judicium animarum ante paſſionem Chriſti. Talmudiſtæ dicunt hoc factum quadraginta annis ante everſionem Templi, ſic circiter tempus Paſſionis; ſed vir peritus demonſtravit locum Talmudis fuiſſe corruptum à Librariis. Licebat ergo Judæis Chriſtum morti adjudicare; quod cùm eis non liceret in die Paſchatis, cæco furore abrepti, dum eum traditum à proditore Juda tenerent, ſtatim occiſum volentes, adduxerunt ad Pilatum, qui eum veluti ſeditioſum & prohibentem tributa dare Cæſari, ſine mora morte plecteret. Sic contigit ut ipſo die Paſchatis, eadem hora qua in Templo agnus Paſchalis immolabatur, ipſe in cruce ſuſpenſus moreretur, juxta antiqua vatum vaticinia, & quæ ipſe prædixerat.

Minorum Tribunalium ſubſellia erant in portis civitatum, nempè in loco maximè frequenti, ubi faciliùs occurrunt inter quos lites ſunt agitandæ. Indè fit ut porta civitatis ſumatur pro domo judicis. (*Prov.* 31.) *Nobilis in porta vir ejus, quando ſederit cum Senatoribus terræ*. (*Pſal.* 126.) *Non confundetur cùm loquetur inimicis ſuis in porta*. Judæi dicunt non licitum erigere Tribunal viginti trium virorum, niſi in civitate quæ ſaltem centum viginti cives haberet. Sed Joſephus (*Lib.* 4. *cap.* 8. *Antiq.*) memorat tantùm ſeptem judices in quacumque civitate. *Oppidatim*, inquit, *præſint ſeptem viri probatæ virtutis & juſtitiæ cultores. Singulis Magiſtratibus attribuantur duo Miniſtri de Tribu Levitica*. Primarii judices ſecum aſſeſſores habebant.

Tribunal viginti trium judicum erat in porta atrii Templi. Aliqui aliud pariter viginti trium ſtatuunt in in-

Digitized by Google

in introitu montis Templi, ita ut duo eſſent Tribunalia in Templo viginti trium; ex quibus eligebantur, inquiunt Hebræi, qui aſcriberentur Synedrio magno, cùm numerus deficeret. Locus verò Synedrii magni, ſive ut loquuntur Judæi, *beth din*, id eſt, *domus judicii*, conſtans LXXI. judicibus, in loco erat, qui dicebatur *liſchat-hagazith*, hoc eſt, conclave cæſi lapidis. Atrium Sacerdotum circumdabatur eleganti lorica lapidea intra quam ſic collocatum Synedrium referunt Judæi, ut eſſet partim in atrio Sacerdotum, partim in atrio Iſraelis, ut judices, prout Sacerdotes erant vel non, ſederent in atrio ſibi proprio. Locus Synedrii ſemicirculus erat; cujus in medio ſedebat princeps, ut eum commodiùs cæteri intuerentur & audirent.

In ipſo Templo addicebantur morti, quos magnum Synedrium damnabat reos; ſed extra ſacrum locum educebantur ad mortem. Videlicet Deus, ut ſummus Rex, in ſuo palatio jus ipſe reddebat per aſſeſſores ſuos, quorum, ut dixi, maxima pars erant Sacerdotes, Seniores populi, & Principes Sacerdotum. Undè dicebat Dominus: (*Math.c.20.v.18.*) *Ecce aſcendimus Jeroſolymam, & filius hominis tradetur principibus Sacerdotum & Scribis, & condemnabunt eum morte*. Condemnaverunt reum mortis in ipſo Templo, in ſuo Synedrio; idcirco dicitur in Evangelio quod Judas pœnitentia ductus retulerit triginta argenteos Principibus Sacerdotum & Senioribus, quibus projectis in Templo receſſerit, & abiens laqueo ſe ſuſpendit. Adhuc ergo in Templo congregatos judices offenderat.

Non poterat alibi quàm in Templo hoc Synedrium magnum collocari. Præceperat enim Deus, cùm Legem Moyſi tradidit, ut ſi quid ambiguum eſſet inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam, &c. aſcenderetur ad locum quem electurus erat. Deus autem elegit

Digitized by Google

elegit Jeroſolyma, ubi Templum ſibi ædificari voluit; quare cùm cauſa Chriſti Domini, utrum eſſet Propheta, à Synedrio dijudicanda eſſet, non poterat ipſe perire niſi Jeroſolymis, ut ipſe dixit. (*Luc. cap.* 13. *v.* 33.) Ideò etiam dicebatur legem egredi de Jeruſalem, & effluere in totum populum Iſraeliticum, quia omnes controverſiæ Religionis & præcipuæ lites dirimerentur à Synedrio magno. *Hoc magnum Synedrium ſedens in Gazith*, nempè in Templo, ut loquitur Maimonides, *erat fundamentum legis oralis, & columna inſtructionis, & ab eo decreta & judicia exibant in omnem Iſraelem. Quicumque credebat Moyſi & ejus legi, tenebatur acquieſcere iis in rebus judicialibus*. Quod intelligendum eſt, niſi conſtet judices pecuniis eſſe corruptos, aut manifeſtè coargui poſſint non rectè decreviſſe. Utor verbis Joſephi. (*Lib.* 4. *c.* 8. *Ant.*)

Quin Jeſus Dominus reus in Templo judicatus ſit, verba Lucæ Evangeliſtæ dubitare non ſinunt. Cùm ille enarraſſet quæ per noctem tranſacta eſſent de Jeſu in ædibus Pontificum, pergit ſic loqui. (*cap.* 22. *v.* 66.) *Ut factus eſt dies, convenerunt ſeniores plebis.* Judicia animarum non fiebant niſi interdiu, ut ſtatuunt Talmudiſtæ, *& Principes Sacerdotum & Scribæ*, id eſt, Legiſperiti, quibus conſtabat conſeſſus ille: *adduxerunt illum, in concilium ſuum εἰς τὸ συνέδριον ἑαυτῶν*, & illum judicaverunt reum mortis. Ita innocens victima in Templo ipſo morte damnatus eſt, & indè eductus ad ſupplicium, quod figurabat Hircus emittendus extra urbem, cum priùs oneratus fuerat peccatis populi, & in ipſo Templo addictus morti, quam ſubiret extra caſtra, ſive extra urbem. Agnus Paſchalis occidebatur in Templo, ſed ex Templo adductus intra ædes privatas comedebatur.

Judices has-ce regulas intueri jubebantur. (*Exod. cap.* 23.) *Non ſuſcipies*, ait illis Dominus, *vocem men-*

Digitized by Google

mendacii: non miſereberis pauperis: nec accipies munera quæ excæcant prudentes: non accipies perſonam: non judicabis ex fama, quæ ſæpius eſt mendax. Muneribus induci ad juſtitiam, inquit Philo, eſt ſcelerati hominis; nec reddere jus abſque operæ præmio. Sunt enim qui nolunt gratis ferre ſententiam pro cauſa meliore. Oportet autem ut ſententia judicis ſit non ſolùm legitima, ſed etiam incorrupta. Cauſas partium decet expendere ante judicium, ſemoto omni perſonarum reſpectu, ſive ſint cives, amici, familiares, ſivè contra: ne quid benevolentia vel odium cognitioni officiat. Admonentur judices in Scripturis non debere ſinere ut in judicio pauperis miſericordia moveantur. Nam miſericordia debetur quidem infelicibus; ſed quiſquis male fecit ſponte, non infelix, ſed iniquus eſt. Iniquis autem pœna, juſtis præmium proponitur. Itaque nemini miſero propter ſuam inopiam pœna remittenda, quia non miſericordiam, ſed iram meretur.

Sic res apud judices peragebatur. Qui litem intendebat, adibat primùm judices rem denunciaturus; accipiebat ab illis miniſtros, quibus adjutus in jus rapiebat adverſarium. Ad hunc morem Dominus alludebat, dum dicit (*Matth.* 5. 25.) *eſto conſentiens adverſario tuo citò, dum es in via:* ſcilicet antequam ſiſtaris coram judice, litem compone cum adverſario, ne te judex mulctet. Sæpè ad dirimendam litem, alius ex litigantibus unum judicem, alter alium deligebat, & ab illis duobus judicibus eligebatur tertius; etenim oportebat judicum numerum ſemper eſſe imparem. *Non ſtabit teſtis unus contram aliquem, ſed in ore duorum aut trium ſtabit omne verbum*, ut lex ipſa præcipit (*Deut. cap.* 19.) Teſtes primùm jurabant per nomen Dei. Qui adjuratus reſpondebat, *Amen*, idem erat ac ſi juramentum ex ore ſuo proferens, aſſeruiſſet rem eſſe, ut diceret. Forma qua

uteban-

Digitized by Google

utebantur ſive jurans, ſive adjurans, erat *per Deum viventem*. Sunt qui velint judices & teſtes, lata ſententia, condemnatorum capiti manus ſuas impoſuiſſe & dixiſſe *ſanguis tuus ſuper caput tuum*. Huc reſpiciebat populus vociferans (*Matth. c. 27. v. 25.*) *ſanguis ejus ſuper nos & filios noſtros*, de Jeſu loquentes, quem falſo teſtimonio accuſaverant coram præſide Romano.

Modus quo quæque ſententia ferebatur adversùs reum, ſive quo quiſque judex expromebat ſuum judicium, non ubique idem eſt. Alibi fit ſimplici ſententiæ prolatione, alibi tabellis in quibus ſcribebatur *A*, id eſt, *abſolvo*, vel *C*, id eſt, *condemno*. Videntur Judæi & calculis certi coloris uſos; ad quem morem alludebat Joannes in Apocalypſi (*Cap. 2. v. 17.*) *Vincenti dabo manna abſconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen novum ſcriptum*. Apud Romanos *Theta* erat nota ac ſymbolum damnationis, prima litera nominis θάνατος: contra verò apud Hebræos; etenim Angelus ex juſſu Dei ſignat littera *Thau* frontes eorum, quos divina clementia conſervabat.

Lex non judicabat hominem, niſi priùs audiviſſet ab ipſo, & cognoviſſet quid fecerit. Adjurabatur ipſe cum iſta formula (*Joan. cap. 7. v. 51.*) *Da gloriam Deo*, ut rem de qua quærebatur, proferret, etiam in ſe judicium ferens. Confitenti peccatum ſuum ſentiebant Judæi partem futuram eſſe in ſæculo venturo; undè reos non ſemel hortabantur ne facinus admiſſum negantes in odium Dei incurrerent. Admonebatur, inquam, reus ut daret confeſſionem, ne exſors foret futuri ſæculi. Si Joſue alloquitur Achan, qui furatus fuerat pallium coccineum de anathemate Jericho (*Cap. 7. verſ. 19.*) *Da gloriam Domino Deo Iſrael, & confitere atque indica mihi quid feceris, ne abſcondas*. Hunc morem non

ſemel

ſemel indicat Paulus: ut cùm dicit (*Rom. cap.* 14. *v.* 22.) *Beatus eſt qui non judicat ſemetipſum in eo quod probat*, hoc eſt, qui adversùs ſe teſtimonium non dicit pro rebus quas probat. (*Tit. c.* 3. *v.* 11.) *Hæreticus proprio judicio condemnatus*. Tres Scribæ judicum ſententias ſcribebant. Primus abſolventium, ſecundus condemnantium, tertius utrorumque. His verbis concipiebatur formula judicii. *Talis ſententia Synedrii damnatus eſt ultimo ſupplicio, totus populus audiet & timebit.*

Ad judicia attinet ratio qua pœnę ſumebantur de damnatis. Cum Deus, Reipublicæ ſummus Princeps, non minorem in animos quàm in corpora poteſtatem habeat, non ſolùm pœnas corporeas adversùs reos conſtituerat, ſed & incorporeas, nempe quæ non repetebantur per viſibiles plagas, ſed per occultam manum Dei; quales plagas Princeps, quantacumque ſit ejus poteſtas, non poteſt exigere: ab his enim qui legem infringebant, cum crimen eorum lateret, Deus ipſe pœnas repetebat, quæ dicebantur à Judæis *mors per manum cœli*, id eſt, Dei, Ad illas Paulus alludebat, cùm ſcribit ad Corinth. (1. *Cor. cap.* 11. *v.* 30.) *ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi*, innuens mortem immaturam, quòd corpus Domini acciperent non ſe probantes. Lex incaſſum, morte intentata, prohibuiſſet ea quæ latere poterant, niſi ipſe Deus vindex fuiſſet legis ſuæ violatæ.

Inter pœnas quas exigerent homines, recenſenda primùm excommunicatio; quæ pœna erat non ſolùm eccleſiaſtica, ut nunc loquimur, ſed & civilis, quatenus in Theocratia juris divini & civilis nulla diſtinctio eſt. Excommunicatio autem erat ſeparatio tum à ſacris, tum à profanis. Excommunicatis non licebat Templum ingredi nec Synagogas. Undè Dominus præmonens Diſcipulos ſuos quòd eſſent à Ju-

Digitized by Google

à Judæis excommunicandi, aiebat *abſque Synagogis facient vos*, hoc eſt expellent extra Synagogas. Et Paulus ſcribit Corinthiis (1. *Cor. cap.* 5.) *ut tollatur de medio veſtrum qui hoc opus fecit ... utinam & abſcindantur qui vos conturbant* (*Gal. c.* 5. *v.* 12.) Verbum illud *abſcindantur*, quod idem eſt ac exterminentur, uſitatum erat in excommunicatione. Omni humano conſortio removebantur excommunicati; neque enim intra quatuor cubitorum intervallum licebat ad illos accedere. Indè cùm pro excommunicatis haberentur Ethnici & Samaritani, Publicani, Peccatores, non licebat cum illis menſæ accumbere, & cum illis cibum ſumere. Sed & qui labis aut criminis conſcius erat, ob quam arcendus eſſet verbi cauſa, Templo, puta ſi aliquam immunditiem contraxiſſet, tangens morticinium, non impunè auſus eſſet in Templi atria interiora penetrare, aut attingere quemquam, cui labem communicare poſſet. Ideò mulier illa Evangelica, immunda eo quòd fluxum ſanguinis pateretur, tremebat conſcia tetigiſſe fimbriam Chriſti.

Qui excommunicabantur, ſive qui digni erant ut exſcinderentur & expellerentur cœtu Iſraelis, maledictis onerabantur, ut videre eſt in Deuteronomio (*Cap.* 27.) ubi ſæpiùs repetitur hæc vox *maledictus*. Ita maledicere & excommunicare, fermè idem ſonat. Sic Paulus (1. *Cor.* 12. *v.* 3.) *Nemo in Spiritu Dei loquens dicit anathema Jeſu*; hoc eſt, maledicit, ſicut faciebant Judæi qui eum negabant verè Meſſiam, & ſeparabant à ſe Chriſtianos.

Tradebatur Satanæ excommunicatus, hoc eſt, ſummo pœnarum miniſtro, ut multa pateretur. Ita ipſe Apoſtolus (1. *Cor. c.* 5.) flagitioſum virum tradidit Satanæ, in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus fieret: Deo enim permittente, qui ſic maledictis onerati fuerant multùm torquebantur. Joſephus (*Lib.* 2. *de*

Bello

Digitized by Google

Bello cap. 11.) deſcribit ſtatum ejus qui excommunicatus fuerit. *Miſerabili*, inquit, *plerumque morte conſumitur, nec capere ab aliis oblatum cibum poteſt; herbas verò more pecudum decerpens, & fame exeſus per membra corrumpitur.* In hoc ſenſu optabat Paulus (*Rom. cap.* 9. *v.* 3.) Anathema eſſe à Jeſu pro fratribus ſuis, hoc eſt, ut ſepararetur, oneraretur maledictis, & pœnas omnes perferret quibus excommunicati ſubjacebant. Miſera erat conditio viri excommunicati, quam tamen experiri non renuiſſet Paulus, ſi hoc fratribus ſuis profuiſſet. Quò horror incuteretur, cornu & buccinæ inflabantur, dum pronunciarentur maledicta: accendebantur faces. Feretrum mortui, qui non fuiſſet ante mortem abſolutus, lapidabatur.

Exemplum excommunicationis, ex Seldeno (*Lib.* 4. *de jure Naturali.*) qua Cuthæos ſive Samaritanos Judæi excommunicabant, huc afferre non alienum eſt ab inſtituto. *Congregaverunt totam Eccleſiam ſeu cœtum populi in Templum Domini, & introduxerunt tercentum Sacerdotes & tercentum pueros, ſeu diſcipulos minores, quibus erant in manibus tercentum buccinæ, & trecenti libri legis. Hi clangebant, cantantibus interea Levitis, & excommunicabant Cuthæos per myſterium nominis Tetragrammati, & per Scripturam deſcriptam in tabulis Decalogi, & per anathema fori ſuperioris ſeu cæleſtis, & per anathema fori interioris, ita ut nemo Iſraelitarum unquam in poſterum comederet bucellam aliquam Cuthæorum. Hinc etiam inolevit, eum qui comederit carnem Cuthæorum, habendum veluti qui comederit carnem porcinam, neque Cuthæos Proſelytos fieri, neque eis eſſe partem in reſurrectione mortuorum, juxta illud quod ſcriptum eſt. Non ad vos ſimul nobiſcum attinet inſtauratio domus Dei noſtri, nec ſcilicet in hoc ſæculo nec in futuro. Et præterea non eſſe eis partem, ſeu hæreditatem aut poſſeſſionem Hieroſolymis, juxta id quod itidem ſcri-*

Digitized by Google

ptum eſt: & vobis nec portio eſt, nec jus nec memoria Hieroſolymis. Miſerunt autem anathema ad Iſraelitas, qui in Babylonia, quin & ſepiùs iterarunt in eos anathema.

Doctores Judæorum tres excommunicationis ſpecies numerant: prima ab illis appellatur *niddui*, hoc eſt, *remotio*, *ſecluſio*, ab aliorum ſocietate, etiam uxoris, & domeſticorum, ad quatuor cubitos. Hæc vox venit à verbo *nada*, quod factum eſt à *naza*, id eſt, *ſeparavit*. Durabat triginta dies, ſi reus reſipiſceret; alioquin duplicabatur, aut triplicabatur illud ſpatium. Mulier menſtrua, quæ ideo ſeparabatur à cœtu, huic excommunicationi ſubjacebat; ſicut cęteri omnes Iſraelitæ, qui propter corporis aut animi vitia & ſordes ejiciebantur cœtu piorum ad tempus.

Secunda ſpecies dicebatur *cherem* ſive *herem*, quod verbum ſignificat *anathematizare*, internecioni vel excidio devovere. Ex hoc verbo facta eſt vox Caldaica *charema* aut *harema*, cui reſpondet vox *ἀνάθεμα*, *anathema*. Addebat hæc ſpecies ſeparationi multa maledicta, ut illæ plagæ, de quibus modò dicebamus, venirent huic qui ſic futurus eſſet anathema. Videre eſt in Scripturis quomodo homines & urbes exſcinderentur, quando percuterentur anathemate. Internecione delebantur habitatores earum. Qui ſic devovebantur, ut ipſi multati procurarent ſalutem omnium, appellabantur *περικάθαρμα purgamenta* & *περίψημα*, qua voce ſordes ſignificari vulgò creditur; ſed Suidas docet nos ſic dici hoſtiam luſtralem, quæ ſalus & redemptio erat. In ea ſignificatione ſe *peripſema* dicit Paulus (*1. Cor. cap.* 4. *verſ.* 13.) nec alio ſenſu puto dictum ab eo *optabam eſſe anathema à Chiſto* (*Rom. c.* 9. *v.* 3.) id eſt, optabam, ut me Chriſtus hoſtiam piacularem conſtituiſſet; nempe me oneraſſet pœnis quę debentur peccato fratrum meorum.

Tertia

Digitized by Google

Tertia ſpecies excommunicationis dicebatur *ſchammat*, à verbo Hebræo quod idem ſonat ac *excludere*. Alii volunt hoc nomen factum eſſe ex his duabus vocibus *ſcham* & *mitha*, hoc eſt, *ibi mors*. Alii idem ſonare ac *maran atha*, quæ vox occurrit primæ Corinth. (*Cap.* 16. *v.* 22.) & ſignificat *Dominus venit*. Syris enim *mara* eſt *Dominus*: Syris *atha* idem eſt quod *venit*. Inſuper *ſchema* derivari poteſt à *ſchem*, hoc eſt, *nomen*. Judæi Deum appellabant *nomen*. Itaque *ſchemmat* ſumi poteſt pro *ſchema atha*, id eſt, *Deus venit*, ſcilicet veniet ad judicandum. Quæcumque ſit eorum origo, verba ſunt horrendi anathematis, quo feriebantur peccatores, de quorum ſalute conclamatum eſſe videbatur, ut illis nihil aliud ſupereſſet, quàm formidabilis expectatio judicii. Sic meritò terrorem incutiebant. *Ecce venit Dominus*, inquit Enoch apud Judam (*Jud. Ep. v.* 14.) Hoc & minitari videtur Malachias ultimis illis verbis vaticinii ſui, venturum Dominum, & terram anathemate percuſſurum.

Jam de pœnis corporeis agamus. Qui non erat reſtituendo aut ſolvendo, vænibat (*Exod. cap.* 22.) Fur quadruplum reſtituere cogebatur, ſi perierat res; ſi non, duplum (*Exod. c.* 21.) Prægnantem mulierem percutiens & abortivum faciens, ſi ipſa vixiſſet, ſubjacebat damno quantùm maritus mulieris voluiſſet & arbitri judicaverint (*Levit.* 6.) Qui depoſitum negabat, tenebatur & quintam ejus partem addere. Qui damnum intulerat, multabatur pro rata (*Exod.* 21.) Pœnarum in cute aliæ erant ad mortem, quod pœnarum genus dicitur à Judæis *Keret* à verbo *Karat* exſcindere, amputare. Quam pœnam ſic exprimit Latinus interpres, *delebitur anima illa de populo ſuo*. Inter aliarum pœnarum genus, quæ non ad mortem, ponitur flagellatio. Sontes virgis cædebantur, etiam in Synagogis, ſed non ultra quadraginta

Digitized by Google

ictus (*Deut.* 25. 3.) Ne illum numerum excederent, quadraginta, una minùs, plagas inferebant, ut ſibi contigiſſe narrat Apoſtolus (2. *Cor. cap.* 11. *v.* 24.) *A Judæis quinquies quadragenas, unâ minùs; accepi.* Quem loquendi modum uſurpatum videre eſt à Joſepho (*Lib.* 4. *cap.* 8. *Antiq.*) Hanc diminuti numeri plagarum fuiſſe veriſſimam rationem adſtruit Maimonides, ne ſi lictor per errorem, inquit, unam plagam ſupra quadraginta addidiſſet, legem tranſgrederetur. Quomodo autem fieret flagellatio, refertur in tractatu Talmudis *de Macchoth*, id eſt, de plagis. *Ambabus manibus ad columnam alligatis, veſtis à publico miniſtro detrahebatur. Huic qui loris cædendus erat, & pectus ejus denudabatur. Tum collocabatur lapis pone illum, in quo ſtabat lictor, manu tenens lorum bubulum complicatum, quo eum feriebat non ſtantem, vel ſedentem, ſed inclinatum. Lictor verò una manu, quantùm poterat, percutiebat, præcone clamante; niſi cuſtodieris & feceris omnia verba legis hujus, quæ ſcripta ſunt in hoc volumine, & timueris nomen ejus glorioſum & terribile, hoc eſt, Dominum Deum tuum, augebit Dominus plagas tuas, & quæ ſequuntur* (*Deut. cap.*28. *v.*58.) *alter numerabat plagas, tertius lictorem ut feriret jubebat.* Itaque cùm quis flagellabatur, ambæ manus ejus adſtringebantur ad palum, unum & dimidium cubitum altum, quo inclinabat corpus. Veſtis ipſius ad lumbos detrahebatur. Sic in Actis Apoſtolorum (*Cap.* 16. *verſ.* 22.) στρατηγοὶ magiſtratus Templi *ſciſſis tunicis eorum*, Pauli & Silæ, *juſſerunt eos virgis cædi, & cùm multas plagas eis impoſuiſſent, miſerunt eos in carcerem.* Fiebat flagellatio in oculis judicis, ut ritè fieret. Flagella ſive ſcuticæ habebant quandoque in extremitatibus aculeos, inſtar ſcorpionum, & ideò dicebantur *ſcorpiones*; de quibus dicebat populo Roboam (3. *Reg. cap.* 12. *v.* 14.) *Pater meus cæcidit vos flagellis,*

ego

Digitized by Google

ego autem cadam vos ſcorpionibus : genus ſcuticæ acerbioris.

Rabbini pœnas in foro capitales fuiſſe quadruplices dicunt, lapidationem ſcilicet, combuſtionem, gladium, & ſtrangulationem. Crucifixio non erat pœna uſitata inter Judæos. (*Deut. cap.* 21. *verſ.* 22.) *Quando peccaverit homo, quod morte plectendum eſt, & adjudicatus morti appenſus fuerit in patibulo, non permanebit cadaver ejus in ligno, ſed in eadem die ſepelietur, quia maledictus à Deo eſt qui pendet in ligno, nequaquam contaminabis terram tuam quam Dominus Deus tuus dederit tibi in poſſeſſionem*. Hanc legem ſervavit Joſue (*Cap.* 8. *v.* 29.) *Regem quoque* Hai *ſuſpendit in patibulo uſque ad veſperam & ſolis occaſum; præcepitque Joſue, & depoſuerunt cadaver ejus de cruce, projeceruntque in ipſo introitu civitatis*. Græcus autem interpres neque patibulum, neque crucem nominat; ſed lignum geminum vocat, quòd ex duobus lignis crux conſtitueretur. Idem Joſue (*Cap.* 10. *v.* 26.) *ſuſpendit quinque Reges ſuper quinque ſtipites, fueruntque ſuſpenſi uſque ad veſperum, cùmque occumberet ſol, præcepit ſociis ut deponerent eos de patibulis*. Gabaonitæ crucifixerunt filios Saulis, permittente Davide Rege, in monte coram Domino, id eſt, coram Tabernaculo, quod tum erat in Gabaon (2. *Reg.* 21. 9.) Sed, ut clarè liquet, non id erat propriè crucifixio, qua quis vivus cruci affixus tandiu in illa manet, donec extremum halitum duxerit. Mortui enim, non vivi, illi de quibus loquitur Scriptura ſuſpenſi ſunt. Suſpenſus quidem eſt Aman (ſed non erat Judæus) in ligno quinquaginta cubitorum altitudinis, quod paraverat Mardochæo. Ita crucifixio uſitata erat apud Perſas; juxta quorum conſuetudinem Cyrus apud Eſdram (*Lib.* 1. *cap.* 6. *v.* 11.) poſuerat decretum, ut omnis homo qui legem quam dederat, mutaret, tollere-

Digitized by Google

tur lignum de domo ipſius, & erigeretur & configeretur in eo,

Crucifixio, ut diximus, non erat pœna apud Judæos uſitata. Quandoque qui mortis ſupplicio mulctati fuerant, ſuſpendebantur in cruce, non tam in ſupplicium, quàm in exemplum. JESUS CHRISTUS non Judaico ſed Romano more affectus eſt ſupplicio crucis: paſſus enim eſt in cruce, cui affixus fuerat, non ſolùm in oſtenſionem pœnæ, ſed & in pœnam,

Circa autem ſuſpenſionem, quoquo modo fieret, ſive vivi ſive mortui corporis, hæc obſervabant Judæi, ſi fidem adhibemus Maimonidi, qui ita loquitur (*Tractatu Sanedrin. cap.* 15.) *Non ſuſpendunt aliquem*, inquit, *de arbore radicibus ſuis loco infixa, ſed de arbore jam ſuccisa, idque ne fortè parcatur illi arbori quo minùs ſuccidatur, cùm tamen arbor, ex qua ſuſpenſus quis fuit, unà cum ſuſpenſo ſit defodienda, ne remaneat ipſi infauſta hæc memoria, dicantque de ea; en hæc ipſa arbor, de qua N. N. ſuſpenſus eſt. Atque ſic pari modo defoditur quoque lapis, quo quis fuit lapidatus, itemque gladius, quo quis decollatus, nec non ſudarium, quo quis ſtrangulatus. Cuncta illa ſepeliuntur* inſtrumenta ſupplicii, quæ conſumi vel e conſpectu auferri ſolebant, ne funeſta ſuperarent omina.

Pœna lapidationis ſic exigebatur (*Levit.* 24. *v.* 14.) Lapidandus educebatur extra caſtra ſive extra civitatem, ubi locus erat ſupplicii. Dum educeretur reus, præco anteibat clamitans: Talis prodit lapidandus, ob talem culpam, à talibus teſtibus accuſatus. Si quis inſontem docere poteſt, accedat. Cùm reus decem tantùm cubitis diſtaret à loco ſupplicii, monebatur ut ipſe culpam confiteretur. Veſtibus ſuis exuebatur intra quatuor cubitos à loco lapidationis. Ad mortis pœnam damnatis præbebatur poculum vini cum

grano

Digitized by Google

grano thuris, ut turbaretur mens eorum. Hæc ex Talmude: undè liquet quid ſit vinum myrrhatum, quod Chriſto in cruce datum eſt, nec accipere voluit (*Marc.* 15. 23.) *Et dabant ei bibere myrrhatum vinum & non accepit*. Species miſericordiæ erat, juxta illud Proverbiorum (*Cap.* 31. *v.* 6.) *Date ſiceram mærentibus, & vinum his qui amaro ſunt animo*. Id conſuetum erat Judæis; ſed milites Romani illuſuri admiſcuerunt acetum & fel (*Matth.* 27. *v.* 33.) *Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum, & cùm guſtaſſet, noluit bibere*.

Solebant Judæi plectere ſontes ante occaſum ſolis; eadem autem die ſepelire (*Deut. cap.* 21. *v.* 23.) Locus lapidationis erat duplici hominis ſtatura altus. Unus teſtium projiciebat eum in lumbos ſuos. Si in pectus ſuum ſe volveret, revolvebant in lumbos. Si ſic moreretur, bene: ſi non, teſtis alter tollebat lapidem atque cordi ejus imponebat. Si ita moreretur, benè; ſi non, lapidabatur per omnem Iſraelem, ut præcipitur in lege (*Deut.* 17. 7.) *Manus teſtium prima interficiet eum, & manus reliqui populi extrema mittetur, ut auferas malum de medio tui*. Etiam reus ſolebat ſic præcipitari, ut impingeret magno alicui lapidi, quo vulnere ſi non moreretur, alter lapis ei impingebatur; ad quod alludit Dominus dum ait (*Matth. cap.* 21. *v.* 44.) *& qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur, ſuper quem verò ceciderit conteret eum*.

Juvat exhibere loca veteris Teſtamenti, ubi de lapidatione agitur. Sic præcipitur in Levitico (*Cap.* 14. *v.* 14.) *Educ blaſphemum extra caſtra, & ponant omnes qui audierunt manus ſuper caput ejus, & lapidet eum univerſus populus. Et ad filios Iſrael loqueris: homo qui maledixerit Deo ſuo, portabit peccatum ſuum, & qui blaſphemaverit nomen Domini, morte morietur. Lapidibus opprimet eum omnis multitudo*

Digitized by Google

populi, ſive ille civis, ſive peregrinus fuerit. Ita pariter in Deuteronomio (*Cap.* 13. *v.* 9.) Similis lex fertur adversùs eum qui voluiſſet Iſraelitas adducere ut ſervirent diis alienis, ſive frater, ſive filius, ſive uxor, ſive amicus. *Non acquieſcas ei, nec audias; neque parcat ei oculus tuus,* Deus loquitur, *ut miſerearis & occultes eum, ſed ſtatim interficies. Sit primum manus tua ſuper eum, & poſt te omnis populus mittat manum. Lapidibus obrutus necabitur.* Pariter hæc præcepit Deus (*Cap.* 17. *v.* 2.) *Cùm reperti fuerint apud te intra unam portarum tuarum, quas Dominus tuus dabit tibi, vir aut mulier qui faciant malum in conſpectu Domini Dei tui, & tranſgrediantur pactum illius, ut vadant & ſerviant diis alienis, & adorent eos... & hoc tibi fuerit nunciatum, audienſque inquiſieris diligenter, & verum eſſe repereris, & abominatio facta eſt in Iſrael, educes virum ac mulierem qui rem ſceleratiſſimam perpetrarunt, ad portas civitatis tuæ, & lapidibus obruentur. In ore duorum aut trium teſtium peribit qui interficietur. Nemo occidatur uno contra ſe dicente teſtimonium. Manus teſtium prima interficiet eum, & manus reliqui populi extrema mittetur, ut auferas malum de medio tui.* Sic eum, quem filii Iſrael, dum in deſerto peregrinabantur, deprehenderunt Sabbato ligna colligentem, eductum extra caſtra lapidibus obruerunt.

Iu his-ce animadvertendum quo zelo quiſquis Judæus teneretur ferri adversùs legis divinæ violatores; neque enim, ut nunc fit, turpe habebatur à reo mortis pœnas exigere, & publici miniſtri exercere munus. Quin teſtium erat primos in reum lapides mittere; quam legem intuebatur Chriſtus, dum ad Phariſeos dicebat, agens de adultera muliere: *qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat.* Sed & omnes qui adſtarent, tenebantur una obruere qui dignus morte judicatus erat. *Lex erat Judaica,* inquit

Digitized by Google

inquit Herodes apud Joſephum (*Lib.16.c.17. Antiq.*) diſſerens, ***ut ſi cui accuſato filio parentes manus imponant, neceſſe habeant circumſtantes ſaxis eum ferire.*** Scilicet ut principi navare operam qualemcumque decorum habetur, laudis quoque in Theocratia loco habebatur perſequi peccatum, id eſt injuriam Deo factam. Lex jubebat ut qui audiret blaſphemiam, protinus in ſignum doloris veſtem ſuam dilaceraret; quod fecit Caiphas, opinatus Jeſum ore protuliſſe blaſphemiam. Talis laceratio non erat illicita ſummo Sacerdoti, niſi ſupra cadaver mortui. Lacerabat autem veſtes ſuas, non à ſumma, ſed à parte ima, ut volunt Judæi.

Nec ſilendum de miniſtris ſive lictoribus, quos *ſhoterim* Hebræi appellant. *Ii erant*, verba ſunt Maimonidis, *qui geſtabant ſuſtes & flagella, & adſtabant judicibus*, nempe ut reos traderent miniſtro adſtanti cruciandos, ut dicitur in Evangelio. ***Et judex tradat te miniſtro.*** Pergit loqui Maimonides. ***Illi per plateas ambulabant, & cauponas, ut expenderent menſuras & pondera, utque tranſgreſſores verberarent, & omnes eorum executiones fiebant mandato judicum, & quemcumque viderent peccantem, eum ad judices trahebant; hique eum judicabant juxta ejus peccatum.***

Antiquis Judæis, ut vidimus, quatuor ſolummodo pœnæ genera in uſu erant, lapidatio, combuſtio, decollatio, ſuffocatio, ſive ſtrangulatio. Dicunt Judæi, ubi genus mortis in Scriptura non exprimitur, ſtrangulationem eſſe intelligendam, nempè quia minimum ſupplicium, & ampliandi ſunt favores. His quatuor ſuppliciis quidam addunt demerſionem **καταποντισμὸν**, cùm ſcilicet reus in profundum ſaxo ingenti alligatus demergebatur; cujus ſupplicii mentio in Evangelio.

Pœnæ non capitales fuere carcer, vincula, compedes, reſtitutio, talio, flagellatio. Quandoque reſtitutio

Digitized by Google

ſtitutio fiebat in duplum, triplum, quadruplum, in quintuplum. Talio erat æqualis retributio, dens pro dente, oculus pro oculo, manus pro manu, pes pro pede. Romani priuſquam morte damnatos cruci affigerent, cædebant flagellis in carcere. A capite ad calcem homo medius quandoque diſſecabatur, qua pœna creditur Manaſſes prophetam Iſajam affeciſſe. Romani ſepiùs reos damnabant ad beſtias; quo genere ſupplicii plures Chriſtiani interdum occiſi ſunt. Tympaniſmus erat ſpecies diſtentionis, qua tortus homo diſtendebatur, veluti tympani pellis. *ἐτυμπανίσθησαν diſtenti ſunt*, inquit Paulus ad Hebræos (*Cap.* 11.) loquens de ſuppliciis quibus torti ſunt viri pii. *Lapidati ſunt*, *ſecti ſunt ἐπρίσθησαν* ſerra diſſecti ſunt.

CAPUT XIII.

De Hebræorum legibus primariis, quæ Noacho, Abrahæ, Moyſi datæ ſunt; tum de ſecundariis, quas ipſi Judæi obſervant, ne peccent in primarias. De Miſchna & Talmude, quo illas complectuntur.

REſpublica viget legibus ſervatis; nec aliam perſonam gerit legitimus Magiſtratus, quam Magiſtri qui docet legem, aut vindicis qui pœnis afficit legem infrigentes. Cùm ergo conſtituenda eſſet Reſpublica, venturi Chriſti apparatus, neceſſe fuit ut Deus conſtringeret legibus quos in populum coaleſcere volebat. Cujus auctor erat & Princeps, decebat eſſe ordinatiſſimam. Primum leges congruere debuerunt populis carnalibus qui ſola corpora cogitare poſſent. Ideo Deus pleraſque leges allegoriis ſignificavit; ut cùm precipit ne bovi trituranti os alligaretur, manifeſtè providet ne non mercenario labor ſuus aliquem pareret fructum. Præterea cùm in apparatu Chriſti venturi, demonſtranda eſſet utilitas hujus

Digitized by Google

jus adventus, decebat ut omnia facienda aut præcavenda declararentur legibus expreſſis; ut nuſquam ea ſuperba cogitatio ſubiret animum hominum: Quid enim tantopere indigebamus Chriſto? Tantummodo præmonendi eramus: ſi ipſe Deus ſignificaſſet quæ à nobis obſervata voluit, dictis paruiſſemus. Non ergo Chriſtus è cœlo in terras deducendus. His ſuperbis cogitationibus lex ipſa occurrebat; monitis ſuis potiùs incendens malam cupidinem. Quæ Judæi videbant meliora eſſe, & ipſi probabant, non faciebant, ſed quod noverant malum, Itaque lex Moſis ulcus retegebat, non ſanabat; & patuit per omne illud tempus quod à lege data effluxit, potentis manus medicamine egere ſauciam hominum naturam

Jam à primordio mundi meditabatur Deus rempublicam Hebræam, umbram Chriſtianæ; quos autem colligebat cives, ſtatim legibus inſtruebat. Noe cum familia ſua primi ſunt illi cives, deinde Abraham; quibus ergo jam poſuerat aliquas ſuas leges Deus, donec plures alias proponeret in monte Sinai. De his omnibus legibus diſſeramus. Noachidas vocant Hebræorum magiſtri, gentes omnes præter Hebræos, qui Abrahamidæ, vel potiùs Iſraelitæ vocari amant. Magiſtri autem illi dicunt Noachum filiis ſuis ſeptem præcepta tradidiſſe, quæ pro jure naturali, omniumque hominum communi, ſumunt.

Horum præceptorum primum interdicit cultum extraneum, ut non alius, præter unum, Deus colatur: Secundum, ne profanetur nomen Dei. Tertium, ne effundatur ſanguis humanus. Quartum prohibet concubitus illicitos. Quintum, furtum. Sextum præſcribebat ut Magiſtratus & judices conſtituerent qui cùm judicarent de illis præceptis, tum commonerent populum de obſervatione eorum. Septimo non licebat carnem cum ſanguine comedere; quod unum ex illis ſeptem præceptis expreſſum eſt in Geneſi (*cap.9.*) His

ſeptem

ſeptem legibus adſtringebantur quotquot erant intra Hebræorum portas, nempè Proſelyti portæ, ſeu domicilii; neque enim debuit eſſe licitum cuique in populo Dei commoranti ſine ulla juſtitia vivere. Huic æquo mori ut parerent Apoſtoli, cùm gentes admiſerunt in Eccleſiam, quæ adhuc morabatur Jeroſolymis, decreverunt in concilio (*Act.cap.*15.) ut qui ex Gentibus converterentur, legibus quidem Moyſis non gravarentur, *ſed ut abſtineant ſe à contaminationibus ſimulacrorum, & fornicatione, & ſuffocatis* quæ præcipua erant capita ſervanda Proſelytis domicilii. Cauſa hujus decreti non alia veriſimilior; quod ut liqueat, afferam luculentum in eam rem Maimonidis teſtimonium ex cap. 4. tractatus ejus de Proſelyto. *De ſex rebus mandata accepit Adamus, de idololatria, de blaſphemia, de homicidio, de illegitimo concubitu, de furto, & de judiciis exercendis: nam licet hæc cuncta apud nos ſint recepta à Moſe Magiſtro noſtro, & ratio ipſa ad ea obſervanda inclinet, ex ſumma tamen verborum legis apparet quod de his ei præceptum fuit. Præter hæc Noacho traditum fuit aliud præceptum de membra animalis viventis non comedendo, ſicut dictum eſt, verumtamen carnem cum anima ipſius, id eſt, ſanguine ipſius non comedetis: atque ita præcepta eſſe ſeptem inveniuntur; & ſic ſe res habuit per totum terrarum orbem, donec Abrahamus inſuper ad hæc accepit præceptum de Circumciſione. Ille etiam inſtituit preces matutinas; Iſaacus deinde ſeparavit decimas, & alias etiam inſtituit preces tempore pomeridiano celebrandas; Jacobus ſuperaddidit præceptum de non comedendo nervo, qui emarcuit, & inſtituit preces nocturnas, & deinde Amram in Ægypto plura alia accepit præcepta, donec tandem veniſſet Moſes Magiſter noſter, & per eum perficiebatur tota lex.*

Deus præcepit Abrahæ ut circumcidendo ſe auferret præputium ſui ipſius, filiorum, & ſervorum, in ſignum

Digitized by Google

ſignum fœderis quod cum eo pepigerat: hoc-ce ſigillo in carne, ut dictum eſt, ſignans Abrahamidas ut propriam pecudem, ut ſolent paſtores ſuis ovibus notam inurere. Circumciſione ſic quiſquis fiebat de populo Dei; antea non admittendus particeps ſacrorum. Nullus incircumciſus admitti poterat in atria Templi, aut comedere de victimis immolatis Deo, puta de Agno Paſchali; ſed nec etiam obnoxius erat legibus modò enarrandis, quas Deus videtur per Moyſem ſolis Iſraelitis præſcripſiſſe, ut ipſi Judæi ſentiunt.

Leges à Deo Iſraelitis datæ numero non paucæ ſunt. Judæi enim totam legem Moſis in ſexcenta & tredecim præcepta diviſerunt, affirmativa ſcilicet & negativa. Affirmativa ſive jubentia ſunt ducenta quadraginta octo, juxta numerum membrorum corporis humani; tot enim Rabbini membra corporis eſſe affirmant. Præcepta negativa ſive prohibitiva, trecenta ſexaginta quinque conſtituunt, juxta numerum dierum anni ſolaris, vel, ut alii dicunt, juxta numerum venarum in corpore humano. Hæc præcepta numero ferè infinita, ut inquiebat Petrus Judæos alloquens (*Act. cap.* 15. 10.) ***neque patres noſtri, neque nos portare potuimus.*** Pariter ob multiplicia illa præcepta, Paulus ſcribens Epheſiis (*Cap.* 2. *v.* 15.) appellat ***legem mandatorum***. Populo autem inſipienti ſingula verbis ſingulis præſcribenda, quæ ſibi facienda eſſe alioquin non intellexiſſet. Chriſtianis verò amor rectitudinis infuſus cordi eorum inſtar eſt complurium legum; quas etſi nullum ſcriptum oculis eorum ſubjiciat, ſatis ipſi advertunt.

Ut illas innumeras leges Moyſis aliquo ordine colligamus, protinus obſervabimus, quas leges Deus potiſſimum obſervandas volebat, decem capitulis, quæ *Decalogus* appellari ſolent, in duabus lapideis tabulis ſcripſiſſe, cùm illæ leges deletæ eſſent ex tabulis

bulis

Digitized by Google

bulis cordis; nobis enim innatæ. Sicut autem in Decalogo præcepit Deus virtutes, quas exercendi locus ſæpiùs occurrit; ita & ea tantùm crimina, in quæ frequentiùs labi homines poſſunt, prohibuit. Indè factum ut pleraque & deteſtanda magis crimina in Decalogo non vetita ſint; quæ ideò malè quis licita putaret, cùm alibi Deus ea acerbis pœnis mulctanda præcipiat: ſed quia non in illa proni ſunt homines, non perpetuò erat ſubjicienda oculis lex quibus prohiberentur.

Summam ergo legum ſuarum, quæ præcipuæ eſſent, ad decem capita, quot habemus digitos, revocavit Deus, ut faciliùs numerarentur & infigerentur memoriæ. In prima verò duarum tabularum. Præcipitur I. ut unus Deus colatur, nec fiant idola. II. Ne nomen Dei in vanum ſumatur. III. Ut ſanctificetur dies ſeptimus. In ſecunda præcipitur I. parentes honorare. II. Non occidere. III. Non mœchari. IV. Non furtum facere. V. Non loqui contra proximum falſum teſtimonium. VI. Non concupiſcere domum proximi ſui, nec uxorem. VII. Non ſervum, non aſinum, &c.

Plurimas alias leges tulit Deus quæ ad primam vel ſecundam tabulam referri poſſunt. Scilicet Deus quæ ſervanda aut fugienda vellet, fuſiùs & diſtinctiùs quàm in Decalogo, alibi declaravit. Ad primam tabulam referri poſſunt illæ leges de non immolando diis alienis (*Exod.* 22. 20.) de non offerendo ſemine Moloch (*Lev.* 18. *v.* 21.) de evertendis deorum ſimulacris (*Exod.* 23. 24.) Contra Ariolos, Magos, Pythones (*Levit.* 19. 31. *&* 20. 6. *Deut.* 18. 11.) Non jurandum eſſe per alienos deos (*Exod.* 23. 13.)

Ad ſecundam tabulam referendæ leges de honorando principe (*Exod.* 22. 28.) & ſene (*Levit.* 19. 23.) de pœnis quibus percuſſores puniendi (*Exod.*

21.)

Digitized by Google

21.) contra illicitos concubitus (*Exod.* 22. *Lev.* 18. 13. 20.) ne eſſet meretrix de filiabus Iſrael (*Deuter.* 23. 17.) nec uſuris premerentur fratres (*Exod.* 22. *Lev.* 25. *Deut.* 23. *v.* 19. 20.) ut proximus adjuvetur, ut bos ejus errans reducatur ad eum, & ſi bos ille ceciderit, ſublevetur (*Exod.* 23. *v.* 2.) non ſequenda turba ad faciendum malum (*Exod.* 22. *v.* 27.) non intrandum in domum debitoris pauperis, ut auferatur pignus; quo ſi indigeat, ut dormiat in eo, protinus ante occaſum ſolis ei reddendum eſt; non neganda merces advenæ (*Deut.* 24. *v.* 14.) In vindemia & meſſe ſupereſſe debebant reliquiæ, quæ à viduis, pupillis, & advenis colligerentur (*Lev.* 25.) Deus conſulens pudicitiæ & honeſtati prohibet (*Deut.* 22. *v.* 5.) ne mulier veſte viri, ne vir veſte muliebri induatur. Ei qui recens vineam plantaſſet, qui extruxiſſet novam domum, qui modò nupſiſſet, concedebatur vacatio militiæ ad breve tempus.

Cùm tota Reſpublica Hebræorum Deo dicata eſſet, omnia quæ ad illam attinebant, pars aliqua religionis reputabantur. Nulla res, ut diximus, erat merè civilis, ſive humana; quoniam ſingula, Deo præcipiente, ordinata erant. Diſtinctis tamen capitibus exhibentur in libro legis, quæ ſpectabant ritus ſacros, Sacrificia, dies feſtos & ſimilia; quorum mentionem ſuprà fecimus. Adjungam hic præcepiſſe Deum, ut una eſſet urbs, quam ipſe eligeret, in qua ſola poneretur unum Templum & unum altare, quoniam ipſe unus eſſet, & Hebræorum genus unum. In hanc-ce urbem & Templum ter in anno conventus fieri debebat Hebræorum ex univerſa eorum ditione, ut Deo pro acceptis beneficiis gratias agerent, & per converſationes ac convivia, inquit Joſephus, mutuam benevolentiam alerent. Cæteras leges, quæ potiſſimum religionem ſpectant, ſuis locis protulimus.

Cer-

Digitized by Google

Certiſſimum argumentum Rempublicam, de qua loquimur, habere Deum authorem illud eſt quòd in ea populorum ſaluti proſpectum ſit, & ſtatuta omnia, quibus pax, æquitas foventur, alitur virtus, & vitia reſcinduntur, quibus diſſilit ſocietas. Reſpublica Hebræa perfectiſſimum eſt Reipublicæ ordinatiſſimæ exemplar. Ut membrorum à capite, ita populorum ſalus ab eo cui ſubditi parent, pendet. Ut princeps virtute præditus eſſet, alienus à vitiis, prçcaverat Legislator. *Satis eſt Deum habere præſidem*, utor verbis Joſephi. (*Antiq. lib.* 4. *cap.* 8.) *Attamen ſi Regis vos cupido ceperit, nemo ſit niſi veſtri generis & ſanguinis, & cui juſtitia ſit cordi cum cæteris virtutibus. Is quiſquis fuerit, plus legibus & Deo, quàm ſuæ prudentiæ tribuat, nihilque præter Pontificis ac Senatus ſententiam faciat: nec multas alat uxores, aut pecuniis, equiſve plurimis gaudeat; quarum rerum copia facilè contemptor legum poſſet evadere. Et ſi talibus ſtudiis plus æquo fuerit deditus, obſtandum eſt ne potentior fiat, quàm rebus veſtris expedit.*

Suprà vidimus formam judiciorum ordinatam fuiſſe, & præmonitos judices ne muneribus excæcarentur. Uni teſti fidem adhibere non poterant, ſed tribus aut minimùm duobus; quorum teſtimonium vita antè acta faceret veriſimile. Non mulierem propter levitatem, non ſervum propter animos degeneres, teſtem eſſe licebat.

Utilitate cives maximè conjunguntur; etenim arcta eſt inter eos ſocietas, quæ pariter ſingulis utilis eſt: contra cupiditas adverſatur ſocietati, cùm nimirum ſunt qui potentiores ditioreſque fieri ambiunt. Coercebatur cupiditas; omnium enim Iſraelitarum æqua erat conditio. Primò unum illis genus, qui omnes ex Abraham, Iſaac & Jacob prognati. Ideò vir Iſraelita niſi volens non poterat perpetuæ ſervituti ſubjacere. Si quis, inquam, Hebræus emptus eſſet in ſervum ab He-

Hebræo, poſtquam ſervierat per ſeptem annos, ſeptimo dimittebatur liber; niſi ille mallet Domino, quem diligebat, in æternum ſervire; tuncque perforabatur ſubula auris ejus, ut præcipitur in Exodo (*cap.* 21. *v.* 6.) ad quod alludit Pſaltes (*Pſal.* 39. *v.* 7.) in perſona Domini cùm dicit Deum Patrem compellans, *aures autem perfeciſti mihi*: vel juxta Hebræum fontem *aures perfodiſti* ſive *perforaſti*; ſcilicet ut tibi ſervus in æternum addicerer. Scriptor Epiſtolæ ad Hebræos ſenſum ſecutus ſcripſit *corpus adaptaſti mihi* (*Cap.* 10. *v.* 5.) ut ſcilicet victima tibi fierem.

Secundò lex agraria, qua poſt quinquaginta annos, ſive in jubilæo, agri venditi redibant ad veteres dominos, frænabat cupidinem augendorum agrorum. Sed omnibus modis cautum erat, ut quiſque partis frueretur. Terminos terræ movere fas non erat; hæc enim præcipua cauſa bellorum & ſeditionum, ſi avaritia certis terminis non circumſcribatur. Facilè legum ſcripta tranſilit, qui terminis cupiditatem ſuam cohiberi non patitur. Adversùs furtum leges ſeveræ latæ erant. Deprehenſus in furto vel parietem perfodiens occidi poterat impunè. Aurum aut argentum furatus duplo mulctabatur, pecudem quadruplo, bovem quintuplo. Mutuum dare ad uſuram nemini Hebræorum licebat; non enim juſtum eſt reditus captare ex fortunis tribulium. Hanc legem Judæi interpretabantur, de fratribus: nulla religio cæteros homines uſuris opprimere. Veſtimentum quod oppignoraverat pauper, ante ſolis occaſum huic reddendum erat, ſicut mola qua cibus paratur. Vitæ civium conſultum erat; etenim præterquam gravi talionis ſupplicio percuſſores puniebantur, homicidio commiſſo in aliquo agro, cujus auctor non compareret, oppidorum vicinorum Magiſtratus convenientes, teſtabantur ablutis manibus ſe immunes eſſe ab hoc pravo facinore; quibus ab homicidio longè re-

R voca-

Digitized by Google

vocabantur Iſraelitæ. Quin & leges præcavebant ne cui mors caſu obtingeret. Tectum domus cingendum pinnaculo erat, ne quis indè laberetur: ſic de puteis. Urbes refugii aſſignatæ erant, in quas confugeret qui ignoranter alium occidiſſet, ut ſe ſubtraheret iræ cognatorum ejus.

Proles veluti ſemen eſt Reipublicæ, quo aliis decedentibus novi ſubeunt cives. Ideò lex lata adversùs ſpadones, qui virilitate & genitu ſe privaſſent, & effeminato primùm animo etiam corpora haberent muliebria. Virgo in uxorem ducenda illi à quo violata; ſed & virgo deſponſata, ſi talis poſtea non inventa fuiſſet, obruebatur lapidibus. Quoniam adulterium pervertit matrimoniorum tum utilitatem, tum decorem, ut adulteræ mulieres non laterent, edebat miracula conſpicua Deus. Etenim aquis, quas Zelotypiæ appellat Scriptura, pota mulier adultera in Templo, marcebat; quæ ei non nocebant, ſi innocens fuiſſet. Licebat Hebræis plures uxores ducere, & quas voluerint repudiare, dando illis libellum repudii, quod illis ad duritiam cordis conceſſum erat, ne ſcilicet ab odio & ira inflammati in uxores, quarum mores ferre non poterant, ferro & veneno ab his ſe divellere tentarent. Magnum indiderat Hebræis Deus amorem legitimæ prolis. Turpe erat mulieri ſterilem eſſe. Et quoniam è Republica eſt ne familiæ deficiant, & poſſeſſiones apud cognatos remanent; ideò mulier cujus maritus nondum ſuſceptis liberis defunctus fuerat, ducebatur à fratre mariti, qui dicebatur ſuſcitare fratri ſuo ſemen, quia proles quæ ſuſcipiebatur, cenſebatur fratris demortui, quaſi in primo conjugio ſuſcepta eſset.

Deus prohibuerat in Deuteronomio (*Cap.17.verſ.* 17.) ne reges ſibi multiplicarent uxores; quod intelligendum de numero exceſſivo: nam pluralitas tunc non inhibebatur. Et vetabat Deus, ne reges multiplica-

Digitized by Google

plicarent ſibi equos. *Cumque fuerit* Rex *conſtitutus, non multiplicabit ſibi equos, nec reducet populum in Ægyptum, equitatus numero ſublevatus.* Ratio legis, ne erigatur in ſuperbiam, magnoque faſtu & pompa incedat: ne equitatui fideret; & in Ægyptum reduceret Judæos. Ex Ægypto tunc temporis adducebantur; à quorum moribus ut avocaret populum, ſatagebat Deus. Hinc equos captos ſubnervari jubet (*Joſ. cap.* 11. 6.) Quod & feciſse David, legitur (2. *Reg.* 8. 4.)

Leges ſequentes ſpectant puerperas, quæ ob effluvium ſanguinis immundæ ſunt. Ne communicarent immunditiam ſuam, tenebantur manere in ſanguine ſuo, id eſt, non exire loco ubi deprehendiſset eas ſua immundities. Præterea, prout marem vel fœminam pepererant, ante certum dierum numerum non comparebant in Templo, in quo completis purgationis diebus, certum piaculum offerebant (*Levit. cap.* 12.) Cùm mulier pepererat maſculum, immunda erat ſeptem diebus: octavo circumcidebatur puer; & triginta diebus aliis manebat in ſanguine purificationis ſuæ; ſic per quadraginta dies cenſebatur immunda. Huic legi illuſtrandæ afferam quod obſervat Cenſorinus in libello de die natali capite XI. *Itaque ut alterius partus origo in ſex eſt diebus, poſt quos ſemen in ſanguinem vertitur; ità hujus in ſeptem: & ut ibi quinque & triginta diebus infans membratur; ita hic pro portione, diebus ferè quadraginta. Quare in Græcia dies habent quadrageſimos inſignes. Namque prægnans ante diem quadrageſimum non prodit in fanum, & poſt partum quadraginta diebus pleraque factæ graviores ſunt, nec ſanguinem interdum continent, & parvuli fermè per hos dies morbidi, ſine riſu, nec ſine periculo ſunt. Ob quam cauſam, cùm is dies præterit, diem feſtum ſolent agitare. Quod tempus appellant* τεσσαρακοστόν, id eſt quadrageſimum diem.

Providit Moyſes, ut omnia æquis legibus fierent; certa fides eſſet depoſitorum; æquis ponderibus & menſuris omnes uterentur: quin & exteris æquos ſe præberent Iſraelitæ; bellum non inferrent, niſi priùs pace oblata. Nullam autem cum Gentibus idololatris primis temporibus permiſerat Deus iniri ſocietatem, ne ſcilicet exemplo earum quis corrumperetur. Pertinebat ad politiam quòd leproſi arcerentur ab hominum commercio, ne morbum communicarent.

Diximus Deum leges dando populo carnali, captui ejus ſeſe accommodaviſſe, & corporeis ſignis adumbraviſſe, quæ ille mente intelligere non poterat. Ergo maxima pars legum Moſaicarum non accipiendæ verbo tenus: erant allegoriæ. Exempli cauſa, lex circumciſionis denotat noxia deſideria amputanda. Similiter leges de non coquendo hædo in lacte matris (*Exod.* 23. 19.) de non arando in bove & aſino; de non induenda veſte quæ lino & lana texeretur (*Deut.* 22. 10. 11.) de non ſerendis in eodem agro diverſis ſeminibus (*Lev.* 19. *verſ.* 19.) de non alligando ore bovis triturantis (*Deut.* 25. 24.) de rejiciendo vaſe; cui non eſſet operculum (*Num.* 19. 15.) de abſtinendo à contactu cadaveris (*Levit.* 11. *v.* 8. 39.) de abſtinentia certorum ciborum (*ibid.*) His & aliis præceptis docebantur Hebræi ſervare quæ eſſent majoris momenti: nec opus eſt ut pluribus explicem quid indicarent illæ allegoriæ; etenim lector admonitus, dum has leges perleget, facilè advertet mentem Legiſlatoris.

Denique ut omnes leges Dei ſaltem in genere perſtringamus, cùm omnes amore boni vel timore mali ferantur ad virtutem, deterreantur à vitio, ſicuti Deus mandata præcipiens ſæpiùs pollicebatur opes, imbres de cœlo, terram feracem, abundantiam mellis & lactis, vinum & oleum, uberes ſegetes; ita & adversùs prava facinora pœnas ſtatuerat. Magus & qui

qui eum conſulebat lapidabatur (*Lev.* 20. 6.) Itemque blaſphemus (*Lev.*24. 16.) idololatra (*Lev.* 20.2.) adulter (*Deut.* 22.) venefici, parentum percuſſores, qui illicitè concubuiſſet (*Exod.*21. 22.) qui prægnantis fœtui nocuerat (*ibid.*) comedens ſanguinem (*Levit.*7. 27.) Homicidæ morti addicebantur (*Num.*35.) Qui non erat ſolvendo aut reſtituendo, vænibat. Qui aliquem mutilaverat aut occiderat, Talione tenebatur, oculus pro oculo, dens pro dente. Fur quadruplum rei ablatæ reſtituere cogebatur, ſi perierat, ſed ſi non perierat, tantummodo duplum. Qui depoſitum negabat, tenebatur & quintam ejus partem addere (*Exod.* 21. *&* 22.) Involuntariæ cædis reus exulabat uſque ad mortem Pontificis (*Num.*35.) Taurus cornupeta, cæſo homine lapidabatur (*Exod.*2. *v.* 28.) Ille cujus beſtia alteri nocuiſſet, cogebatur damnum ſarcire (*Exod.* 22. 5.) Aquis zelotypiæ explorabatur fides uxoris ſuſpectæ; aquæ autem illæ potæ non nocebant niſi adulteris uxoribus (*Num.* 5. *v.* 11.) ut dictum eſt.

Sontes pro meritis cædebantur diverſis pœnis (*Deut.* 25. *v.* 2.) Nam ſuppliciorum genera diverſa erant. Talio (*Exod.* 21. *v.* 23.) Verberatio (*Deut.* 25. *v.* 2.) venditio hominis rei (*Exod.* 22. *v.* 3.) Exilium (*Exod.* 21. *v.* 13.) Vivicomburium (*Levit.* 21. *v.* 14.) Lapidatio (*Lev.* 24. *v.* 16. *& alibi*) Potio aquarum dictarum zelotypiæ (*Num.* 5.) Decollatio, cujus unicum extat exemplum in divo Joanne Baptiſta. De hoc ſupplicio nulla lex erat. Addunt Rabbini ſtrangulationem; ſed nullum de illa in lege ſtatutum apparet.

Intereſt ſcire præter illas leges quæ leguntur in ſacro Codice, alias eſſe ore majorum poſteris traditas, ſeu mavis dicere ſcriptarum legum interpretationes & obſervationes, quibus cavetur ne in leges Dei ſcriptas ullo modo peccaretur. Scilicet ex avita

traditione didicerant Judæi, quæ fuiſſet vera Legiſlatoris mens, ſententia, doctrina. Præterea, qui cæteris ſapientia tum virtute præſtabant, ubi exoriebatur dubitatio, viam ingrediebantur & monſtrabant, qua quis inſiſtens tutiùs incederet in mandatis Dei, & longè abeſſet ab horum prætergreſſione. Hoc eſt quod Judæi appellant legem oralem, ad diſcrimen legis ſcriptæ, quia ore tradita eſt. Appellant etiam ſecundam legem quia data ſit poſt ſcriptam, quando illam Deus ſecundò Moyſen, ut volunt, allocutus eſt. Juvat audire Maimonidem de iſta orali lege differentem in præfatione ſua commentariorum ſuper *Miſnaiot*.

Scias omnia legis præcepta, quæ à Deo ad Moyſen Magiſtrum noſtrum demiſſa ſunt, demiſſa ad ipſum unà cum interpretatione ſua, eloquente Deo ipſi primum textum, deinde explicationem & interpretationem ejus, & quid comprehenderet textus iſte authenticus, eo modo, inquit Maimonides, *quem tibi deſcripturus ſum. Recipiente ſe Moſe in tentorium ſuum; primus ipſum conveniebat Ahron, cui textum ad ſe cœlitus demiſſum ſemel enarrabat, ipſumque ejus interpretationem docuit. Illo deindè ſurgente, atque ad dexteram Moſis ſe ſiſtente, ingrediebantur Eleazar & Ithamar filii ipſius, quibus etiam dictabat Moſes idem quod dictaverat Ahroni; tum ſurgentibus ipſis, ſedentibuſque uno ad ſiniſtram Moſis magiſtri noſtri, altero ad dextram Ahronis, ingrediebantur poſtea ſeptuaginta ſeniores, quos docebat Moſes eo modo quo docuerat Ahronem & filios ipſius. Ingrediebatur poſtea cœtus populi promiſcuus omnis, nempè quærens Dominum, quibus etiam idem recitavit donec omnes ab ipſo illud audirent. Audierat autem jam Ahron à Moſe textum illum quater, filii ipſius ter, ſeniores bis, reliquus cœtus ſemel. Deinde, diſcedente ab ipſis Moſe, repetebat Ahron textum iſtum, quem memoria*

moria tenebat à Moſe quater auditum, uti deſcripſimus, omnibus qui aderant; tum diſcedebat etiam Ahron; atque ita etiam duo Ahronis filii jam quater audierant (illud quod dictum eſt,) à Moſe ter, & ab Ahrone ſemel. Poſt Ahronis igitur diſceſſum, repetebant Eleazar & Ithamar eundem textum, quem quater audierant, uti explicavimus, coram toto præſentium cœtu, atque à docendo ſurrexerunt. Atque hoc pacto factum eſt, ut etiam ſeptuaginta ſeniores jam textum iſtum quater audierint, bis à Moſe, ſemel ab Ahrone, nec non ab Eleazaro & Ithamaro ſemel. Recitabant ergo & ſeptuaginta ſeniores textum iſtum populo ſemel, ut & omnes quater illum audirent, primò à Moſe, ſecundò ab Ahrone, tertiò à filiis ipſius, quartò à ſeptuaginta ſenioribus, qui tum diſcedentes alii alios docebant illud quod à Dei nuntio acceperant, textum autem voluminibus inſcribebant. Tum diſpertiti ſunt primores populi per totum Iſraelem ad eos docendos atque inſtituendos, donec memoria tenerent textum illum, ejuſque lectionem callerent. Deinde docebant etiam illos interpretationem textus iſtius à Deo demiſſi, quæ ſenſus ejus univerſos contineret. Textum autem ſcripto, traditionem memoriæ mandabant: atque ita dicunt ſapientes (quibus pax) lex quæ ſcripta eſt, & lex quæ ore tradita.

Vult autem Maimonides præcepta, cum generalibus, particularibus, & minutiis ad illa quæque ſpectantibus, data eſſe in monte Sinai; Moyſen ſcilicet ex hoc monte 613. præcepta, tot enim numerant, cum interpretationibus attuliſſe. *Præcepta autem*, inquit ille Rabbinus, *voluminibus inſcribebantur, expoſitiones ore tradebantur.* An ita rem fieri contigerit, ſcire non poſſumus: cùm autem tum Dei Majeſtas tum irrogatæ per manum ejus pœnæ legem violantibus, magnum incuterent timorem, non mediocre ſtudium

adhibebant Judæi, ubi dubitatio exoriebatur, ne per ignorantiam prætergrederentur legis mandata. Præceperat Deus, ut ſi quid ambiguum eſſet, conſulerent ſummos Sacerdotes Hieroſolymitanos, videlicet Synedrium magnum. Ergo veriſimile eſt legem oralem maximè conſtitiſſe reſponſis hujus conſiſtorii; dum hæc & iſta conſtituebant, quæ quaſi ſepes legis eſſent, ne illa violaretur, & ſtatuta ſua non ſcriptis, ſed ore mandarent cuſtodienda. Nec illa abſunt à mente Maimonidis. *Conſiſtorium magnum Hieroſolymitanum*, inquit ille (*Tract. de Rebell. cap.* 1.) *fundamentum eſt legis oralis. Hæ ſunt columnæ doctrinæ, unde prodeunt ſtatuta & judicia in omnes Iſraelitas: quibus credendum eſſe & parendum lex jubet* (*Deut.* 17.) *Secundùm ſermonem legis quem docebunt te.* Rem ille fuſiùs ſic explicat. *Quando ſtabat Conſiſtorium magnum, nulla erat diſſenſio inter Iſraelitas. Si cui enim aliqua exorta eſſet difficultas, de qua ferenda eſſet ſententia; is conſulebat Conſiſtorium ſuæ civitatis, à quo ſi rem ſciret, reſponſum accipiebat: ſin ſecùs, ille qui conſulebat, cum illo Conſiſtorio aut cum legatis ejus, aſcendebat Hieroſolymam, & conſulebant Conſiſtorium, quod erat in monte Templi; à quo ſi rem ſciret, reſponſum accipiebant: ſin ſecus, omnes accedebant ad Conſiſtorium, quod erat in porta Atrii; à quo, ſi rem ſciret reſponſum accipiebant: ſin ſecùs, omnes accedebant ad Cameram Auguſtam, conſulturi magnum Conſiſtorium. Si res, de qua erat quæſtio, omnibus Conſiſtorii magni judicibus, ſive ſecundùm traditionem, ſive ſecundùm ſuum judicandi modum nota eſſet, ſtatim pronunciabant. Si verò rem clarè perſpectam non haberent, ſuo tempore judicabant: & tandiu rem agitabant, donec omnes conſentirent, aut partitis ſententiis, majorem partem ſequerentur. Tum edicebant omnibus, qui eos conſulebant: ſic ſtatutum eſt; idque omnes recipiebant. Poſtquam deſiit*

Conſi-

Conſiſtorium magnum, crevere diſſenſiones apud Iſraelitas. Hic enim rem pollutam pronunciavit, ſuamque ſententiam confirmavit. Alius verò mundam eſſe aſſeruit, ſuamque itidem ſententiam confirmavit. Iſte vetuit, alius verò licitum eſſe dixit.

Fatetur ergo Maimonides alia eſſe præcepta quæ inſtituta ſunt poſt traditam legem, quæ ſapientes nempe ſtatuerunt, ac per univerſum Iſraelem propagaverunt. Ad illa paſſim videas in ſacro Codice fieri alluſiones, & innui praxim eorum. Cauſæ autem hujuſmodi novellarum conſtitutionum fuerunt præcipuè duæ, primò ut lex divina tantò certiùs cuſtodiretur, & à tranſgreſſione præſervaretur: ideo vocant Rabbini has conſtitutiones ſepem legis; quia hujuſmodi conſtitutionibus arcere voluerunt homines à tranſgreſſione & violatione ipſorum præceptorum divinorum. Sic, exempli gratia, in gradibus matrimonii, illis quos lex nominavit, plures ſuperaddiderunt Rabbini, quò tantò minùs circa gradus prohibitos peccaretur. Secundò multa prohibuerunt Rabbini, præter legem, ut Judæi à reliquis populis diſcernerentur, & omnis cum illis communio, & periculoſa conſuetudo impediretur; ne fortè ex nimis arcta cum eis converſatione vel convictu aſſueſcerent moribus eorum, & connubia & matrimonia cum illis contraherent, vel ab eorum fide & religione non prorſus abhorrerent. Ideò, inquam, panem Gentilium, & alios quoſdam illorum cibos, de quibus lex nihil præcipit, prohibuere; & innumeris decretis ſeſe oneraverunt, dum in dubiis viam eligunt tutiorem, & ex iis quæ diſertis verbis præcipit lex, eruunt quid circa hæc de quibus eſt dubitatio, ipſe Legislator ediceret. Id fieri obſervant tredecim argumentandi modis.

1. Modus dicitur ab impari. 2. A ſimili, verbi gratia lex præcipiebat ſcrutandum fermentum in Paſchate;

chate; ſed ſedula perſcrutatio cum lucernis fit; ergo indè Doctores deducebant eſſe ſcrutandum fermentum cum lucernis. 3. A conſtitutione principii. Sic ex eo quod ſcriptum eſt (*Lev.cap.* 15.) *Omne ſtratum in quo dormirent Gonorrhœa affecti, immundum erit*, inferunt etiam pallium & interula immunda fore. 4. A generali cum ſpeciali v. c. (*Lev.c.* 1.*v.* 2.) *Homo qui obtulerit ex vobis oblationem Domino de animalibus:* non omnigena animalia intelliguntur, ſed tantùm boves & pecudes, quia nimirum ſequitur: *De bobus & pecudibus offeretis oblationem veſtram*. 5. Modus eſt à ſpeciali cum generali. Quoties reperitur ſpeciale, cui poſtponitur generale, tunc omnes ſpecies comprehendi cenſentur. Non vacat hos omnes modos perſequi, quos habes expoſitos in notis Joſephi de Voiſin ad pugionem fidei. Videre eſt Judæos argumentari illis modis in eruenda legis ſententia; ex quibus deducere eſt originem cujuſcunque Judaici ritus; exempli cauſa, cur percolarent liquores; ſcilicet quia vetabat lex ne animal immundum comederent, culices autem immundi ſint: igitur curam adhibebant ne hos vorarent potando, potui fortè permixtos.

Errori ſubjacet mens hominum, & in utramque partem vehemens eſt nimis. Hinc factum ut tùm religione tùm licentia peccaverint ipſi Judæorum ſapientes. Dum enim religioſiores volunt fieri, onus ſibi impoſuerunt, cui portando pares non fuere; aut dum ſerviunt cupiditati, legem, quàm decebat laxiorem fecerunt, molliùs interpretando. Undè etiam ortæ ſunt inter Doctores diverſæ ſententiæ; quæ cùm in dies multiplicarentur, ut ne lex oralis tandem oblivione deleretur, nullo publico ſcripto hactenùs conſignata, tandem aliquo tempore poſt everſum Templum ſcriptis mandata eſt, ſive collecta in codice, qui ideò *Miſchna* dictus eſt, quia contineret Judæorum

rum *δευτερώσεις*, id eſt, ſecundam legem; ſic vidimus legem oralem appellari. Hæc luculenter docet nos Maimonides loco quem allegavimus. De fundamentis autem traditione acceptis dicit nullam fuiſſe diſſenſionem uſque ad tempus *virorum Synagogæ magnæ*. Sic vocat Prophetas Aggæum, Zachariam, Malachiam, Danielem & alios. Poſtea controverſiæ ortæ, inquit, ex errore aut oblivione, dum ambiguum eſt an alter verum retulerit, alter autem in narratione ſua erraverit, aut oblitus fuerit, vel non totum à præceptore ſuo acceperit quod accipere oportuit.


Jam antequam Jeſus naſceretur in terris, in duas ſcholas Schammæi & Hillelis ſciſſi erant Judæi, ut vidimus; undè opinionum prælia. *Ex quo multiplicati ſunt diſcipuli Schammæi & Hillelis, qui non quantùm opus eſt ſtuderunt, multiplicata eſt diſſenſio in Iſraele, & facta eſt lex quaſi duæ leges.* Hæc Maimonides, qui laudibus evehit uſque in cœlum Rabbi Judam, quem dicit ob reverentiam ſolitum nominari *Rabbenu haKkadosh*, id eſt, Rabbinum noſtrum ſanctum. Ille eſt qui primus traditiones publicè edidit, & in unum volumen digeſſit, quod inſcripſit *Miſchna*, id eſt, ut diximus, legem ſecundam. De iſto opere ſic loquitur Maimonides in præfatione ſui operis quod inſcripſit *manum fortem*. *Enim verò*, inquit, *à Moſe Doct. noſtro uſq; ad Rabbi noſtrum ſanctum nullus exaraverat ea quæ publicè docebantur ex lege orali, ſed unaquaque generatione Princeps Conſiſtorii aut Propheta ſæculi illius ſibi ipſi ſcribebat Commentarios traditionum quas audiverat à Doctoribus ſuis; publicè verò ore docebat: & ita unuſquiſque ſibi viritim deſcribebat expoſitionem legis, & rituum ejus, quemadmodum audiverat. Quod verò attinet ad ea, quæ ſingulis ætatibus innovabantur in judiciis, quæque traditione non habebantur, ſed ex aliquo de tredecim modis, horum authori-*

thoritas erat penes Conſiſtorium magnum. Ita totum hoc uſque ad Rabbi ſanctum perduravit. Ille collegit omnes traditiones, omnia judicia, ſententias, & expoſitiones quas audiverant à Moſe Doctore noſtro, quaſque ſingularum generationum Synagogæ ſuper univerſa docuerant. Ex his omnibus librum Miſchna compoſuit, publiceque legit, ut omnibus Iſraelitis innoteſceret. Deſcripſerunt eum omnes, & ubique docuerunt, ne ab Iſraelitis lex oralis oblivione periret. Verùm enim verò quæ cauſa fuit cur Rabbi noſter ſanctus id faceret, nec ſineret rem eſſe, ut priùs erat? quia nimirum videbat paucitatem, diſceſſionemque diſcipulorum fieri; anguſtias novas oriri: regnum impium per orbem extendi, & ſummam habere poteſtatem; Iſraelitas in ultimas regiones deportari; compoſuit opus unum, quod eſſet in manibus omnium, quo citiùs diſcerent non oblituri.

Miſchna, quod nomen redditur Græcè ἡ δευτέρωσις, quaſi dicas *iterationem legis*, volumen eſt magnitudine parvum, Judæorum jus Civile & Canonicum ſi ita loqui fas eſt, complectens; quod incœptum referunt Judæi centum & quinquaginta annis poſt everſionem Templi ſub Antonino, Marco Antonino, & Commodo Imperatoribus; ita ut illud ſyntagma abſolutum ſit ſub fine ſecundi ſæculi à Chriſto nato. Poſtea auctum eſt opus illud Miſnicum variis Gloſſis, interpretationibus, Commentariis; quod augmentum ſive complementum appellatur *Gemara*, à verbo Hebræo quod ſignificat *perficere;* ut *Gemara* ſit ἡ τελείωσις ſive perfectio Miſchnæ, ut Judæi loquuntur. Totum autem illud opus nominatur *Talmud*, quaſi dicas, (vox *Talmud* eam ſignificationem habet) opus doctrinale, nempè corpus doctrinæ Judæorum, collectum ex multorum Doctorum ſententiis. Talmud conſtat *miſchna* & *gemara*. *Miſchna* eſt quaſi textus Talmudis. *Gemara* eſt inſtar gloſſæ ſeu commentarii in Talmud.

Porrò

Tab: VIII



Digitized by Google

Porrò duplex eſt Talmud. Primum Hieroſolymitanum dicitur, quod pro Judæis in Palæſtina degentibus ex vulgari Doctorum ſententia à Rabbi Jochanan Academiæ Hieroſolymitanæ rectore conſarcinatum eſt, anno Chriſti 230. aut ſeriùs juxta alios. Aliud Talmud Babylonicum eſt, pro iis qui in Babylonia aliiſque peregrinis locis agebant, conſcriptum. Illud clarius & perfectius eſt, & ideò in majori pretio habitum quàm Hieroſolymitanum. Totum Talmud Maimonides contraxit in ſummam brevem & claram, ſub titulo *manus fortis*, cujus mentionem jam feci. Inde deprompſi quæ ex orali lege, nempè à majoribus tradita Judæi obſervabant eo tempore quo Chriſtus in terris verſabatur; quæ ideò proderit non ignorare.

CAPUT XIV.

Conſuetudines, ritus, mores tùm veterum tùm hodiernorum Judæorum circa res civiles, ortum, vitam, matrimonia, veſtes, cibos, potum, ſupellectilia, artes, mortem, ſepulturam.

IN ipſis etiam rebus quæ extra religionem Judæorum poſitæ videbantur, multa eam ſpectabant. In veſtibus ſua religio oſtendenda erat: apponendæ certæ fimbriæ in angulis palliorum, de quibus modò diſſeremus: illigandæ fronti, brachiis membranæ, in quibus verba quædam legis eſſent deſcripta: poſtibus ædium infigenda etiam verba legis. Dum hæc parabant & exequebantur, qui plus cæteris videbantur ſapere, tantam ipſi diligentiam adhibebant & adhibendam præcipiebant, ut factum ſit, temporum progreſſu, innumeris præceptis aſtrictos fuiſſe Judæos. Innumeræ ſunt conſuetudines eorum, diverſi ritus; quæ omnia cùm jam vigerent ætate Chriſti, planus omnino eſſe non poteſt ſermo Evangelicus, niſi iis qui

hæc

hæc non ignorant. Diſcenda autem ſunt ex Talmude, & ex hodiernis Judæorum moribus, quæ recenſere non mihi propoſitum eſt, niſi quatenùs utilia ſunt ad intelligendas Scripturas.

Ut aliquem ordinem ſervem in hac conſuetudinum farragine, initium ducam ab iis quæ circa ortum conſiderari poſſunt. Die octavo, poſt ortum, pueri maſculi circumciduntur. Hodie, ſicut & olim, Circumciſio fit à quocumque, etiam in privatis domibus. Femellæ non circumcidebantur. Qui à Judaiſmo deficiebant, præputium, hoc eſt, pellem medica quadam arte adducebant ſuper glandem, ut veſtigia circumciſionis non apparerent; quod facere prohibet Paulus (1. *Cor. c. 6. v.* 18.) *Circumciſus aliquis vocatus eſt, non adducat præputium.* Dum circumcidebatur puer, nomen ei imponebatur, non inane, ſed aliquid ſignificans. In eo ſæpè exprimebatur nomen Dei, ut in Nathanael, *donum Dei*: in Joanne, *Miſericordia Dei*: in David, *dilectus*, nempè Deo. Pariter imponebatur nomen femellis. Poſtquam Judæos peculiaris veneratio inceſſit circa magnum Dei nomen, ſcilicet *Jehova*, tunc mutaverunt omnia nomina in quibus primæ litteræ hujus ſancti nominis occurrerent. Sic pro Joachim frequentiùs dixerunt *Eliachim*, pro *Joiada*, *Zacharias*. Quandoque vir proprio vel familiæ nomine appellatur; ita diverſitas nominum non ſemper oſtendit perſonarum diverſitatem.

Refugiebant Judæi etiam ore ſumere nomina Idolorum & Templorum, in quibus falſa numina colerentur. Ita pro *Bethel*, *domus Dei*, dicebant, *Bethaven*, id eſt, *domus iniquitatis*; ſic Beelzebut, id eſt, *Dominus muſcarum*, pro *Beelſemen*, ſive *Dominus cœli*. Conſuetum erat Judæis nomina ſua mutare, quando commorarentur inter Ethnicos, ne agnoſceretur eorum origo. Sic *Thabita* erat Judæis Græciſan-

ciſantibus *Dorcas*, id eſt, *capra*; & *Thomas* Hebræis erat qui Græcis *Didymus*. Et forte *Silas* Judæis, erat Romanis *Tertius*. Nimirum utebantur Græcis nominibus, quæ eſſent ejuſdem ſignificationis ac nomina ſua Hebræa. Ergo multi inter illos Græcis nominibus appellati ſunt, ut *Ariſtobulus*, *Andreas*, *Philippus*. Nomina ſua ſic etiam mutabant, ut Romana viderentur. Qui *Mardochæus* Hebræis, inter Romanos *Marcus* appellabatur; qui *Saulus*, *Paulus*; qui *Simeon*, *Simon*; qui *Jeſus*, *Jaſon*. In ablactatione pueri convivium celebrabatur (*Geneſ. cap.* 21. *v.* 28.) Non licebat puero, qui ex ſervo natus erat, vocare patrem ſuum, *Abba*; quæ vox idem ſonat Hebræis ac *pater* Latinis. Hanc ſoli uſurpare poterant, qui erant filii patris-familias; undè Apoſtolus dicit quod cùm ſpiritum adoptionis à Deo acceperimus, poſſumus clamare ad Deum, *Abba*.

Maſculi omnes nunc tenentur uxorem ducere, ubi attigerunt ſexdecim aut ſeptemdecim annos. Virgines multa cura ſervantur abditæ intra domum; undè virgo dicitur Hebraicè *alma*, id eſt, *abſcondita*. Contrahebantur matrimonia extra Templum, ſine ulla Religionis ceremonia, iis tamen legibus ut primùm virgo ſpondeatur, non deducenda in domum mariti, niſi interpoſito ſpatio aliquorum menſium, vel etiam annorum. Ita Virgo Maria, poſtquam Joſepho deſponſata fuit, aliquot menſes manſit apud parentes ſuos, & in domo cognatæ Elizabeth, antequam Joſeph ſponſus ejus acciperet eam in conjugem, nempè deduceret in domum ſuam. In die, inquam, nuptiarum ſponſa deducebatur in domum ſponſi, multis comitantibus juvenibus, qui reputantur amici ſponſi, quos Græci vocant *paranymphos*: Hebræi verò *ſcheliachim*, quod idem ſonat Latinis ac *miſſi*, *internuntii*, Græci *Apoſtoli*. Ideò ſuos præcipuos diſcipulos appellavit *Apoſtolos* Chriſtus, quia ipſe

ipſe eſſet ſponſus, qui Eccleſiam duxit uxorem, per illos internuntios, ſivè *paranymphos*. Virgines quæ ibant obviam ſponſo, præferebant lampades, nimirum baculos ligneos, in quorum ſummitate vaſculum erat inſtar ſcutellæ, in quo erat ſegmentum panni cum oleo & pice. Ex his, inquam, accenſis facem virgines ſponſo præferebant.

Nuptiæ contrahuntur in conclavi mariti ſub umbella, vel ſub baldachino, quod quatuor juvenes ſuſtinent. Qui aſtant, varias benedictiones cantant ſuper conjuges. Sponſus ſponſæ dat annulum. Pacta matrimonialia fiunt coram ſaltem duobus teſtibus, qui ſolent eſſe Rabbini. Deinde per octo dies celebrantur convivia: unde cùm Chriſtus ad nuptias in Cana tertia die, nempe dierum octo per quos nuptiæ celebrabantur, venerit, comitantibus eum pleriſque diſcipulis, non mirum ſi defeciſſet vinum. Cùm bona ſua pater divideret inter filios, quos nuptu dabat, debebat omnia duplicia primogenito. (*Deut.* 21. 17.) Hanc legem intuebatur Eliſæus, cum poſtulabat ab Elia ut fieret in ſe duplex ſpiritus ejus, id eſt, duplicem portionem ex ſpiritu, quem divideret inter ſuos diſcipulos.

Virgo non heres poterat nubere Iſraelitæ ex quacumque Tribu: David de Tribu Juda in uxorem duxit Michol, ex Tribu Benjamin. Sed heres ex lege nubere debebat uni ex cognatione patris ſui. (*Num.* 36.) Levitæ jus connubii cum omnibus habebant: videre eſt in Judicibus (*Cap.* 9.) virum Levitam junctum matrimonio cum uxore de Bethleem Juda. Lex ſolùm cavebat ne per nuptias avitæ poſſeſſiones transferrentur in aliam Tribum.

Nullus poterat accedere ad propinquam carnis ſuæ; ad revelandam turpitudinem ejus. Tamen ex eo quòd Iſraelitæ tenerentur magno prolis deſiderio, & ſterilitas opprobrium eſſet, fratre ſine liberis mortuo, frater

frater ſuperſtes tenebatur ejus viduam pro uxore accipere, & illi ſuſcitare prolem, quæ cenſebatur primi mariti. Indè duplex Genealogia, altera ſecundùm naturam, altera ſecundùm legem. Prima continebat nomina eorum qui verè genuerant; altera eorum, quorum heres erat ille cujus genealogia texebatur.

Apparet ex Eſdra (*Cap.* 2. *v.* 62. *& cap.* 7. *v.* 64.) & ex omnibus Judæorum ſcriptis, quanta cura libri Genealogiarum ſervarentur; ut poſt etiam multa ſæcula pateret ex publicis monumentis uniuſcujuſque origo. Euſebius (*Lib.* 1. *Eccleſ. hiſt. c.* 7.) ſcribit quod Herodes magnus, cùm uſque ad ætatem ſuam in tabulariis publicis deſcriptæ eſſent origines tam familiarum Hebraicarum, quàm eorum qui ad Proſelytos, id eſt, advenas genus ſuum referebant, verbi gratia ad Achior Amanitem, & ad Ruth Moabitidem, eoſque qui ex Ægypto ſimul cum Iſraelitis egreſſi per matrimonia cum ipſis permixti fuerant, Herodes priſcas illas familias nihil ad ſe pertinere intelligens, ignobilitatis ſuæ conſcientia ſtimulatus, omnia illa veterum familiarum monumenta concremavit; ratus ſe tùm demùm nobilem viſum iri, cùm nemo eſſet qui ex publicis monumentis originem generis ſui, vel ad Patriarchas, vel ad Proſelytos, vel ad permixtos Iſraelitis peregrinos poſset referre.

Licebat viro plures uxores habere, ſed non Pontifici ſummo, cui unica, & hæc virgo, ducenda erat, ut adſtruunt Talmudici cum Joſepho. Omnes autem Judæi abſtinebant uxoribus menſtruatis & gravidis, & toto tempore quo lactaretur infans. Permiſerat Deus olim, ad duritiem cordis, ut marito liceret uxorem dimittere, dato libello repudii, quò nempè declarabatur dimiſsa, ſive extra poteſtatem ejus; ita ut poſset cum alio viro conjungi legitimo matrimonio. Joſephus ſcribit ſolis maritis à lege hoc-ce jus repudii permitti; ut mulieres non potuerint ſeparari à conjugibus,

niſi volentibus. Non poterat maritus ſervare adulteram conjugem; ſuſpectarum autem fides explorabatur aquis amaris, quibus potabatur; quæ deſcribuntur in Numeris (*cap.* 5.) Non nocebant innocentibus, ut ſupra dictum eſt.

Quia non licebat veſtes induere ex heterogeneis, putà ex lino & ex lana ſimul textas, hodie Judæi veſtem laneam non conſuunt lino, nec lineam filo laneo. Fimbrias quas vocant *zizit*, per quatuor angulos palliorum ponunt, quæ fimbriæ ſunt hyacinthinæ vittæ, quarum fila olim producebant, qui religioſiores videri ambiebant. Ut autem huic legi pareant Judæi hodierni, quibus non licet moribus ſuis palam vivere, gerunt ſub thorace amiculum quadratum, ex cujus quatuor angulis pendent fimbriæ, ſive peniculamenta, Italicè *fiocchi*, Gallicè *des houppes*. Hoc amiculum dicitur Hebraicè *Taleth*: quaſi dicas *epomidem*, ſive veſtem, quæ ſuperimponitur. Aliud taleth majus adhibent, cùm precantur in ſuis Synagogis. Hoc capiti applicant, & collo circumvolvunt. Hoc genus amiculi ſanctiſſimum putant, quia ſcilicet tenet locum veſtis, qua lex Moyſis jubebat eos diſtinctos eſſe à cæteris gentibus. A primis temporibus pallia Judæorum fuerant quadrata, & ſimplex panni portio, ſine ulla ſutura, quatuor habens initia ſive extremitates, quæ dicuntur Alæ. Sic loqui mos eſt Hebræorum, qui alas Mundi nominant, quod dicimus quatuor mundi plagas; & dicunt uxores ſub poteſtate maritorum eſſe ſub alis eorum; quod alluſio eſt ad eorum pallia.

Judæi in loris ſive in membranis Scripturæ verba deſcribunt; & alia ex illis loris capiti, alia manibus alligant ex lege (*Deut. cap.* 6.) quod uſque ad ætatem B. Hieronymi obſervabant, ut ille refert ad caput 24. Ezech. *Aiunt Hebræi huc uſque Babylonios magiſtros legis præcepta ſervantes Decalogum ſcriptum in mem-*

in membranis circumdare capiti ſuo, & hæc eſſe quæ jubeantur ante oculos & in fronte pendere, ut ſemper videant, quæ præcepta ſunt. Hæc lora à Græcis φυλακτήρια *phylacteria* dicuntur, quia in iis lex Dei ſervabatur, ne hujus caperet eos oblivio. A Judæis appellantur *thephillim*, quaſi dicas *precatoria*, ſive monumenta ad precum memoriam in animos revocandam. Circa illa thephillim magna eſt religio Judæorum. Olim qui majorem religionem oſtendere volebant, hæc phylacteria dilatabant; quod Dominus exprobrat Phariſæis (*Marc.* 22. 5.) Qua arte id fieret, dicam. Intuere, lector, imaginem (*Tab.* 8.) Judæi cum ſuis Phylacteriis, tùm brachialibus tùm frontalibus, & cum ſuo Thaleth, ſive amiculo capitis, ex quo pendent in quatuor angulis fimbriæ, ſive peniculamenra, quorum fila lanea producta ſunt, quæ indicant literæ F. F. F. F. Conſidera etiam lignum M quale tibi ſeorſim exhibemus, in quo tres ſciſſuræ ſunt. Tali ligno aptatur pellis, aquis macerata, & immittitur his ſciſſuris. Ubi illa aruit, extrahitur, & ſervat in ſe ædiculas quatuor vacuas, in quibus quatuor pergamena inſcripta verſiculo Scripturæ includuntur convoluta, ut ſolent pergamena in quibus lex exarata eſt, hoc eſt, ut convolvuntur libri Judæorum, qui non conſtant diſtinctis & explicitis foliis more noſtro. Pellis iſta quatuor habens dictas ædiculas cum dictis pergamenis, illigatur fronti, ut videre eſt in imagine viri Judæi N, ubi repræſentatur illud phylacterium cum loris ſuis.

Tale erat *thephillim* ſive phylacterium frontale: ſic autem parabatur brachiale. Pellis pariter aquis macerata accommodatur ligno quadrato P, & cùm exaruit, extrahitur & habet in ſe ædiculam unam, quam exhibet litera Q. In ædicula includitur unum pergamenum, quatuor verſiculis Scripturæ inſcriptum, & convolutum; dein pellis, quæ continet il-

lud pergamenum, illigabatur brachio, phylacterium brachiale.

Laceratio veſtium in luctu, cùm audiretur ſive malum nuntium, ſive blaſphemia, uſitata erat Hebræis: vetita Sacerdotibus; ſed interpretanda de veſtibus ſacerdotalibus, non de vulgari amictu, quem extra ſacra miniſteria geſtabant.

Omnes viri Judæi ſolebant eſſe aperto capite, niſi in luctu, in Templo, & in Synagogis, ubi velabant ſe. Hac re demonſtrabant reverentiam ſuam erga Deum, pudore quia indigni, & timore, quia ille tremendus, non audentes oculos coram eo attollere. Ergo hunc-ce morem immutaverant Apoſtoli, cùm ad (*Cap.* 11. *v.* 4.) Corinthios primùm ſcripſit Paulus decere ut omnis vir orans aut prophetans non velaret caput; aut hæc reſpiciebant quæ fierent extra Templum & Synagogas, & cùm in privatis ædibus congregabantur primi Chriſtiani. In publicis autem cœtibus non decebat mulieres eſſe capite detecto; etenim illæ incedebant tectæ in publico tanta cura, ut vel etiam capillitie falſa tegerent veros crines, ne ullus appareret. In Synagogis verò orabant nuda facie, quia ſeorſim erant ſeparatæ à viris.

Utebantur Judæi ſandaliis, qualia ſunt Capucinorum, pedibus nudis: quapropter neceſſe erat ut crebrò illos lavarent, & oleo ungerent. Teretibus autem habenis, ſive corrigiis, illigabantur ſandalia pedibus & circa crura; quod effigies calceorum appoſita Z exprimit. Ut deponerentur calcei, corrigiæ ſolvendæ erant, quod ſervorum munus erat. Ita Joannes Baptiſta de Chriſto aiebat: *cujus non ſum dignus ſolvere corrigiam calceamentorum.*

Non tondent Judæi comam in rotundum, neque novacula barbam radunt, juxta illud Levit. (*Cap.* 19. *v.* 17.) *neque in rotundum attondebitis comam, nec radetis barbam.* Laxæ erant veſtes; quare præcingendæ

dæ erant, quoties vel iter ineundum eſſet, vel opus inchoandum.

Ædes procerum periſtylio ornabantur, more Romano, hoc eſt, circa locum ſubdialem erant porticus, perinde ac in clauſtris Monachorum. Tecta erant plana, aut talia, ut in iis deambularetur. Ergo Abſalon potuit tendere tentoria in ſolario, id eſt, in tecto ædium ſuarum. 2. Reg. cap. 16. v. 21. Sic Judicum cap. 16. v. 27. circiter tria millia hominum de tecto ſpectabant Samſonem ludentem. Supra tecta Iſraelitæ idola adorabant, ut eis Jeremias exprobrat, cap. 19. v. 13. & Dominus jubet Matth. 10. v. 2. *prædicare ſuper tecta*. Scalæ extrinſecùs quandoque erant appoſitæ, ita ut ad tecta ſcandenda non neceſſe eſſet domum interiorem ſubire. Tecta ex lege circumdabantur lorica, ſive pinnaculo, ne quis ex illis imprudens caderet. Feneſtrarum ex vitro rarior uſus: loco earum cancelli, vel lintea expandebantur. Noſtrorum caminorum uſus pariter ignotus erat. Vel in loco ſubdiali accendebatur ignis, vel focus ſubſtruebatur mediis in cubiculis. Nunc Judæi, in memoriam vaſtationis Templi, partem aliquam domus, minimùm ad cubiti magnitudinem in quadrum, relinquunt non oblitam vel dealbatam. Olim in Hieruſalem non licebat trabes cœnaculi promovere ſupra publicam viam, ne ſi fortè jaceret mortuus in cœnaculo, ſubter tranſeuntes polluerentur inſcii. Quoniam Deus pręcipit in Deuter. (*Cap. 6. v. 9.*) ut verba legis inſcriberentur in poſtibus ædium, & in portis, Judæi januæ domus, & ſingulorum conclavium, quæ inhabitantur, & domeſticis & honeſtis uſibus inſerviunt, ſchedam infigunt membranaceam, quam *Meſuſah* vocant. Huic ſchedæ inſcribunt verba legis (*Deut. c. 6.*) *Audi Iſrael*, &c. & hanc convolutam cannæ, vel pixidi includunt, eamque clavo infigunt, vel intrudunt omninò in dextrum po-

ſtem ingreſſus domus. Quandoque foſſulam ad id in poſte ipſo excavant. Quotieſcumque autem homo pius domo ſua egreditur, aut cùm ingreditur, manu ſua *meſuſam* hanc tangit, & dicit *Dominus cuſtodiat egreſſum & ingreſſum meum à nunc & uſque in ſæculum*. Inverſæ parti dictæ membranæ inſcribunt nomen Dei omnipotentis *ſchadai*, quod per foramen in medio cannæ factum ab introeuntibus conſpici poteſt.

Interdictum erat, ut obſervat Rabbi Maimonides, ne quiſquam ad ſimilitudinem Templi domum ædificaret, aut aliquid quod ſimilitudine referret ea quæ eſſent in Templo, aut ad Templum attinerent, ſicuti menſam, aut candelabrum Templi. Si quis domum orationis ædificaret, tenebatur eam facere pulchriorem ipſa domo, quam habitaret. In urbe Jeruſalem non locabantur domus; ſed patebant advenis, qui ſacra facturi huc veniebant. Dum mentionem facimus ædium, obſervandum eſt has in Judæa, ut pluribus aliis in locis, olim non clavibus, ut nunc fit, fuiſſe obſeratas. Oſtiis obdebantur longi vectes, qui non poterant removeri niſi ab his qui intra ædes erant. Aod igitur, cujus præclarum facinus narratur tertio capite Judicum, poſtquam occidit Eglon Regem Moabitarum, exonerantem alvum in latrina cænaculi ſui, potuit per poſticum effugere, quia obdidit vectem ſive peſſulum oſtio ejus, quem ſervi Regis, extra cœnaculum verſantes, non potuerunt removere. Interim aufugit Aod.

Vaſa culinaria, & quæ pro cibo in menſa ſerviunt, ſolent Judæi ſibi nova comparare; ne fortè aliquis non Judæus iis uſus fuerit ad cibos prohibitos coquendos. Ideò omnia vaſa, quæ accipiunt à Chriſtianis, ſi teſtacea, vel lignea ſunt, frangunt illa; ſi ex metallo, ea igne mundant ex lege (*Num.* c. 31. 23.) *Omne quod poteſt tranſire per flammas,*

igne

igne purgabitur: quidquid autem ignem non poteſt ſuſtinere, aqua expiationis ſanctificabitur, Duplicia vaſa culinaria & menſæ habent, altera ad carnes, altera ad cibos lactarios; ne fortè lac cum carne deguſtent, contra præceptum illud Exodi (*Cap.* 23. *v.* 19.) *Non coques hœdum in lacte matris ſuæ*. Ita de cultris; alios ad carnes cædendas, alios ad caſeum adhibent.

Accumbebant menſæ Judæi ſtrati in lectis, ſæpè ſub arboribus & ſub vite. Cubitis ut & cervicibus accumbentium ſubſternebantur pulvilli; ad quod alludebat Ezechiel (*Cap.* 13. *v.* 18.) cùm dicit, *Væ qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ſub capite*. Sobrii olim ante ſeptinum tempus non ſolebant comedere. Non manducant, niſi crebrò laverint manus ſuas. Vocem πυγμῇ apud Marcum (*Cap.* 7. *v.* 3.) vertit interpres Latinus *crebrò*. Alii putant hoc loquendi modo alludi ad ritum iſtum lavandi, quo Judæi attollebant manus, ut aqua uſque ad cubitum deflueret. Vox autem Græca πυγμὴ denotat inter alia menſuram illam, ſive ſpatium quod eſt à cubito ad digitos clauſos vel pugnum. Scilicet in lotione manuum obſervabant Judæi ut aquis purioribus illæ abluerentur; & ideò ſurſum illas attollebant, ut aquæ uſque ad brachia defluerent, ne ſi à conjunctura reverſæ fuiſſent, iterum polluerent manus.

Non ſolas manus, ſed & totum corpus lavare Judæi tenebantur; & ideò exuere ſe veſtimentis, ut membra abluerent: quæ conſuetudo illuſtrat locum Eſdræ in libro ſecundo in fine capitis quarti. Loquitur Nehemias: *Ego autem & fratres mei & pueri mei, & cuſtodes qui erant poſt me, non deponebamus veſtimenta noſtra; unuſquiſque tantùm nudabatur ad Baptiſmum*. Scilicet ita intenti eramus cuſtodiendis mœnibus Jeruſalem adversùs inimicos noſtros, ut

non exueremus veſtimenta noſtra diu ac noctu, niſi cum ut pareremus legi, abluendum erat corpus ab omni immunditie. Baptiſmus ibi ſumitur pro lavacro, ſive pro lotione.

Quoties panis conficitur, juxta legem (*Num. cap.* 15. *&* 20.) portio decerpitur ex maſſa, quæ olim Sacerdoti offerebatur, nunc igne abſumitur. Scilicet mulieres Judææ, cocturæ panem, decerpunt ex maſſa particulam inſtar ovi, aut plus minuſve. Eam particulam vocant *challa*, & projiciunt in furnum ac comburunt igne. Sunt qui credant in Hebræorum conviviis partes ſingulas diſtributas ciborum in peculiaribus ſcutellis. Sic Elcana in epulo poſt ſacrificium portionem ſuam dedit Annæ triſtis (1. *Reg. cap.* 1.); & ad eum morem creditur Dominus alluſiſſe, cùm dicebat de Maria, quod optimam partem elegiſſet.

Pater-familias, antequam quidquam comedat, panem integrum ſumit, benedicit & frangit, dans unicuique buccellam magnitudine oleæ, qua accepta, unicuique licet comedere, non anteà. Nullus bibit, quin recitaverit benedictionem peculiarem ſuper poculum. Qui ſunt religioſiores, non bibunt vinum Chriſtianorum & gentilium, credentes hoc ſic præceptum à Deo in illis verbis (*Deut. cap.* 32. *v.* 34.) *de quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum*. Quia culices illi qui aerem pervolitant, immundi ſunt, vinum excolabant, ne aliquos haurirent, cùm ſuſpicio eſſet eos in illud incidiſſe. Abſtinent à carnibus ſuffocatis, quia in eis eſt ſanguis, quem guſtare lex vetabat. Ne ſanguis ullus ſupereſſet in carne, pecudes mactabant, magna adhibita cura & induſtria; ideò nullus pro lanio publico admittitur, quin ſe virum in hac re induſtrium probaverit coram judicibus peritis. Satagebant ut totus ſanguis efflueret, ne quis comederet carnem cum ſanguine, quod prohibitum erat: ideò non mactabant

in pul-

in pulvere, qui poſſet obturare quaſpiam venas; ſed in petra, ut videre eſt (1. *Reg.* 14. 30.) Cùm populus Philiſtæis perſequendis & cædendis defatigatus eſſet, & boves & oves de præda mactaſſet, ſicque comediſſet cum ſanguine, re nunciata Sauli: *prævaricati eſtis*, inquit Rex populum alloquens: *Volvite ad me jam nunc ſaxum grande*, ſuper quo quiſque pecudem ſuam occidit.

Mercaturam non exercebant Judæi; quia hæc commercio multas & diverſas gentes conjungit & commiſcet. Judæi autem erant hominum genus impermixtorum: itaque à mercatura alieni. Nos, inquit Joſephus ſcribens contra Apionem lib. 1. *Negotiationibus non gaudemus, neque earum cauſa nobis conſuetudo cum aliis gentibus eſt. Sed ſunt urbes quidem noſtræ procul à mari ſitæ: ipſi autem nos regionem bonam incolentes hanc cum labore exercemus.* Paſtoritiam vitam ipſi etiam viri Principes olim agebant, paſcentes greges ſuos: Rura ſua pariter ipſi exercebant. Propter pratorum & fœni penuriam Judæi Paleſtinę paleas præparabant eſui animalium, utentes carpentis ferratis, quorum rotæ in ſarracorum ſive plauſtrorum modum revolvebantur. His ſtipulam conterebant & comminuebant in paleas. Ad hoc alludebat Iſajas (*Cap.* 25. *v.* 10.) dicens. *Et triturabitur Moab ſub eo, ſicut teruntur paleæ in plauſtro.* Hebræi infirmiora quidem ſemina, puta melanthium & cuminum, baculis ſive flagellis excutiebant; ſed frumentum vel ungulis boum, vel ploſtellis trahiſve exterebant.

Quoad molendi rationem, utebantur duabus molis, una ſuperiori, altera inferiori, quæ circumagebantur vel ab aſinis, quæ ideò dicebantur aſinariæ; vel erant verſatiles & truſatiles, quas ſervi & ancillæ circumagebant. Undè illud, quod Vulgatus in Job (*Cap.* 31. 10.) interpretatur *ſcortum alterius ſit*

uxor

uxor mea, poteſt aliter intelligi hoc ſenſu, qui verior videtur juxta fontem Hebræum, *molat alteri uxor mea*, nempe ſit ſerva. Quia verò ita neceſſariæ erant molæ terendo frumento, ut ſine illis vita non poſſet ſuſtineri, idcirco Deus ſic præceperat (*Deut.* 24. 6.) *Non accipies loco pignoris inferiorem & ſuperiorem molam*. Ex ſtructura Tabernaculi, & ædificatione Templi, prout de iis fit ſermo in Scriptura, colligitur Judæos artes non ignoraſſe. Divites & nobiles ſolebant aliquam artem profiteri. Ita Paulus erat ſcenofactoriæ artis. Vulgare erat effatum apud eos, quicumque filium ſuum non doceret aliquod opificium, idem committere ac ſi eum doceret latrocinium.

Jam videamus quæ mortem ſive vitæ terminum ſpectant. In luctu occaſione mortis, ſicut alterius cujuſque rei luctuoſæ, ſcindebant veſtimenta ſua, percutiebant pectus, caput diſcooperiebant, ſpargebant cinere capillos; deprimebantur lecti: quin invertebantur omnes, quia horum tunc nullus uſus. Lugentes exuebant calceos. Hinc David (2. *Reg. c.* 15. *v.* 30.) arma filii Abſalonis fugiens *aſcendebat clivum olivarum, nudis pedibus incedens*. Hinc etiam Iſaias (*cap.* 20.) in ſignum luctuoſæ calamitatis juſſus eſt à Deo nudus & diſcalceatus incedere. *His qui morbo vel aliis neceſſitatibus implicantur, mos eſt orare per triginta dies*, inquit Joſephus (*Lib.* 2. *de Bello cap.* 15.) *antequam immolent hoſtias; abſtinere quoque vino, & capillos radere; quem morem Berenice Regina illis exercens diebus, nudipes etiam ante Tribunal ſtetit deprecans Florum, &c.* Judæi in luctu induebant ſaccos, hoc eſt, viliores veſtes è craſſiori viliorique canabi aut lino, nec-non è pilis caprarum hircorumq;, neglectas & nigras, cùm ſplendidæ eſſent & mundæ quas induebant in lætitia. Videlicet ſæpiùs committebantur fullonibus, quandoquidem laneæ, qui arte ſua eluebant

& can-

& candidas faciebant. In pavimento ſedebant in pulvere. Quin ſpargebant caput cinere. Quoad funera, antequam corpus demortui conderent ſepulchro, claudebant ejus oculos, & ſi ipſius os hians eſſet, ligabant maxillas. Foramina per quæ exeunt excrementa, obturabant, & deinde ſuccedebat lotio. Corpore jam abluto, afferebantur aromata & unguenta in condituram cadaveris. Pauperum corpora condebantur in terra; divitum condiebantur aromatibus, ungebantur; & longiſſimis vittis, ſive faſciis & inſtitis conſtringebantur; eo ferè modo quo hic vides in tabula VIII. Cadaver X. ſic faſciis involutum: indè reſuſcitatus Lazarus ſolvendus fuit ab inſtitarum vinculis. Facies autem mortui operiebatur ſudario, nempè linteolo quo ſudor vultus extergi ſolet. In ædibus demortui congregabantur parentes ejus & amici. Hæc eſt turba tumultuans Matthæi IX. 23. in morte filiæ Jairi. Conducebantur & tibicines qui funus proſequerentur, quin & lamentatrices quæ fletibus ſuis illud decorarent. Harum lamentatricum meminit Jeremias IX. 17. quæ ſcitè ſuo lamentandi munere defungebantur. Luget Propheta interficiendos de Juda. *Vocate*, inquit, *lamentatrices, & veniant; & ad eas, quæ ſapientes ſunt, mittite & properent, feſtinent, & aſſumant ſuper nos lamentum.* Sepulchra divitum nobiliora exciſa erant in petra, in propriis prædiis, non modico ſumptu & artificio. Ante ſpeluncam erat, in qua deponebatur feretrum, quod poſtea demittebatur in ipſum ſepulchrum. Ita duplex erat ſpelunca, quia intra unam & alia erat, qualis fuit illa quam Abraham pretio emit (*Genſ.* 23.) niſi duplex diceretur, quia duplex concameratio & crypta; altera fortè pro viris, alterâ pro mulieribus: vel nomen erat loci. Spelunca, inquam, illa dicebatur *mach-pelah*, quod quidem nomen ſonat idem quod duplex; ſed pronomen demonſtrativum præfixum denotat nomen proprium loci.

Tactus

Tactus cadaveris inquinabat; unde ne quis imprudens accederet ad ſepulchra dealbabantur calce, vel gipſo, quem colorem ſingulis annis, decimo quinto menſis Adar, renovabant. Hinc Deus appellat hypocritas ſepulchra dealbata quorum mores extrinſeci apparerent egregii, intus pravi eſſent; ideò ſimiles ſepulchris. Sepulchra appellantur à Judæis domus viventium, ratione animæ quæ non moritur. Judæi non ſolebant cremare corpora; ſic ergo interpretari decet ea loca Scripturæ, in quibus de combuſto corpore Regum ſit ſermo, ut ſenſus ſit, in corporibus eorum condendis ſepulchro, multa fuiſſe aromata combuſta.

Judæorum ea ſemper fides fuit, locum eſſe in quo animæ, antequam à Deo judicentur, purgari poſſint, & adjuvari precibus viventium. Tenetur itaque filius totis continuis undecim menſibus precari pro parente defuncto; ut videre eſt in libris eorum ritualibus, & obſervatum fuit à Juda Macchabæo, qui, ut narratur in 2. Macchabæorum (*Cap.* 12. *v.* 44.) *facta collatione duodecim mille drachmarum argenti miſit Jeroſolymam, offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium, benè & religioſè de reſurrectione cogitans: niſi enim eos, qui ceciderant, reſurrecturos ſperaret, ſuperfluum videretur & vanum orare pro mortuis; & quia conſiderabat quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repoſitam gratiam. Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur.* Auctor libri Macchabæorum, ſaltem ut hiſtoricus, fide dignus eſt; & atteſtatur quid olim ſenſerint Judæi de mortuis. Nunc ante mortem confitentur peccata ſua coram teſtibus.

CAPUT XV.

De ponderibus & nummis de quibus in ſacra Scriptura ſit mentio.

HEbræorum menſuras exponere, & retegere fundamentum, quo illarum valor æſtimari poteſt tantùm aggredior; ſed quoniam ante ortum Domini in promiſcuo uſu inter Hebræos erant nummi tum Græcorum, tum Romanorum, quorum poteſtas invaluerat in Oriente, ad intelligendas Scripturas, neceſſe eſt ut non prorſus ignoretur quæ ſpecies fuerint nummorum & ponderum, cæterarumque menſurarum apud Græcos & Romanos; maximè cùm earum nominibus Interpretes expreſſerint Hebræas. In componendis autem Veterum menſuris cum iis quibus nunc Pariſiis utimur, quo fundamento nitor, ſtatim dicam. Conſtat auctoritate Fannii, veteris poetę, amphoram apud Latinos fuiſſe vas cubicum, ſive vas cubo ſimile, cujus latera eſſent unius pedis Romani. Congius ex eodem poeta, erat pars octava amphoræ, ſcilicet octo congios capiebat amphora; Denique idem Fannius adſtruit ſicut amphoram octoginta libras Romanas aquæ, ita congium decem ponderaſſe. Ex hoc Fannii teſtimonio colligitur quæ ſit ratio menſurarum noſtrarum cum Latinis. Etenim Romæ nunc temporis in ædibus Farneſianis aſſervatur congius, quem olim Veſpaſianus curaverat collocandum in Capitolio, ut eſſet typus omnium congiorum. Viri autem ſolertes cùm noſtris temporibus experti eſſent quantùm ponderaret pondere Pariſienſi aqua, cujus ille congius capax eſt, dèprehenderunt illius aquæ pondus eſſe centum undecim unciarum cum dodrante unciæ, ſive cum. $\frac{3}{4}$ Cùm itaque ipſa eadem aqua ponderet decem libras Romanas, & ideò

ideò centum viginti uncias; ſi quidem libra illa habebat duodecim uncias, collegerunt viri illi periti unciam noſtram Pariſienſem majorem eſſe Romana 39. granis cum $\frac{1}{4}$ qualia grana 576. in uncia noſtrâ numerantur. Hoc ergo experimento patuit quæ ſit ratio inter libram Pariſienſem & Romanam; noſtra tum numero unciarum, habet enim ſexdecim uncias, tum etiam quia ſingulæ ejus unciæ ponderoſiores ſunt, major eſt libra Romana. Uncia Pariſienſis eſt 576. granorum; ita uncia Romana, quæ minor eſt 39. $\frac{1}{4}$ hoc eſt, ferè 40. granis, cenſenda eſt 536. granorum $\frac{3}{4}$ Indè facili negotio æſtimatur ratio veterum ponderum & nummorum cum noſtris, ut ex dicendis patebit.

Primùm enumeremus nomina ponderum uſitatiorum tum apud veteres, tum apud nos; id facere decet antequam inter omnia illa pondera comparationem inſtituamus. Uſitatum pondus Romanis libra dicebatur, habens duodecim partes, quas dicebant uncias, quaſi unas partes. Libram, ſicut quamlibet rem aliam integram, appellabant *as*, quem dividebant in duodecim partes hiſce nominibus ſignatas.

Uncia.	Sextans.	Quadrans.	Triens.
$\frac{1}{12}$.	$\frac{2}{12}$.	$\frac{3}{12}$.	$\frac{4}{12}$.
Quincunx.	Semis.	Septunx.	Bes.
$\frac{5}{12}$	$\frac{6}{12}$.	$\frac{7}{12}$.	$\frac{8}{12}$.
Dodrans.	Dextans.	Deunx.	As.
$\frac{9}{12}$.	$\frac{10}{12}$.	$\frac{11}{12}$.	$\frac{12}{12}$.

Uncia dividebatur in duas duellas, in quatuor ſicilicos, in ſex ſextulas, in octo drachmas, in ſcrupulos viginti quatuor, in obolos quadraginta octo, in ſemio-

miobolos nonaginta ſex, in ſiliquas centum quadraginta quatuor, in lentes centum nonaginta duas.

Uſitatum pondus apud Græcos, de Atticis loquor, erat drachma, quæ erat pars octava unciæ Romanæ, ipſa continens ſex obolos & duodecim ſemiobolos. Pondus centum drachmarum, dicebatur mina.

Apud Hebræos præcipuum pondus erat ſiclus, quod nomen idem ſonat Hebræis ac *pondus* Latinis; ſimul ſiclus erat nummus, ſive hujus ponderis & nominis erat nummus. Siclus habebat viginti partes, ab Hebræis appellatas *Gherah*, quas partes minùs benè quis interpretetur obolos; etenim majus erat pondus dicti Gherah quàm oboli. Sexaginta ſicli faciebant minam aut mnam Hebræorum.

Libra Pariſina habet ſexdecim uncias, uncia octo, ut aiunt, groſſos; groſſus tres denarios, ſive 72. grana; denarios 24. grana: ita uncia habet 24. denarios; libra verò 128. groſſos, & grana *9216*. In officinis tum monetariorum, tum cæterorum artificum auri fabrorum non uſurpatur vox iſta libra. Marcam appellant octo uncias.

Olim pecunia non numerabatur, ſed ponderabatur. Utebantur veteres metallo non ſignato, ita ut primis temporibus pondera & nummi non diſtinguerentur. Apud Romanos as fuit primùm nummus, pondo unius libræ. De pondere autem librali aſſis poſtea detractum eſt, & factus eſt vilis nummus. Aſſis verò partes erant triens & quadrans. Romani nummis argenteis uti cœperunt ſub Servio rege. Uſitatior ex illis fuit ſextertius, valens duos aſſes cum dimidio, ſive duas libras æris cum ſemilibra; indè appellabatur ſextertius, quaſi ſemitertius: ſicut Græci dicunt τρίτον ἡμιτάλαντον pro duo talenta cum dimidio.

Denarius quoque nummus argenteus valebat decem aſſes æreos, undè nomen habebat; ita quatuor ſextertios: ſed non idem ſemper fuit denarii pondus.

Viri


Viri periti volunt ſub Conſulibus ponderoſiorem fuiſſe, ita ut ſeptem denarii æquarent pondus octo drachmarum Atticarum, quæ faciebant unciam Romanam; & ſub Cæſaribus imminutum fuiſſe pondus denarii, & æquatum drachmæ, ſic octo denarios pariter & octo drachmas feciſſe unciam Romanam. In tributum pendebantur à devictis gentibus denarii, in quibus expreſſa erat imago Cæſaris, de quo nummo ſit in Evangelio mentio.

Drachma erat nomen uſitatiſſimi nummi apud Atticos. Pars erat octava unciæ Romanæ, ut modò dictum. Mina etiam ſpecies nummi apud Atticos, erat centum drachmarum. Talentum Atticum valebat ſexaginta minas, ſive ſex mille drachmas.

Ponderum nomina eadem erant ac nummorum apud Hebræos, ut diximus. *ScheKel*, ſiclus, illis idem ſonat quod Latinis *pondus*, nomen etiam, ut diximus, nummi, qui à Græcis dicitur *στατὴρ ſtater*, à verbo *ἱστάναι*, quod idem eſt ac *ponderare*. Si quidem ſiclorum frequentior uſus eſſet, quoties non exprimitur ſpecies nummi intelligi debet ſiclus. Sic cùm dicitur triginta argenteis Chriſtus venditus, de triginta ſiclis argenteis ſit ſermo. Formam veteris ſicli exprimendam curavimus (*Tab. IX.*) Præfert ex una parte vaſculum, quod creditur repræſentare urnulam qua Manna ſervabatur juxta Arcam fœderis, cum hac inſcriptione *ſiclus Iſrael* literis Samariticis, quibus ante captivitatem Babylonicam Judæos uſos fuiſſe obſervaturi ſumus ſuo loco. Ex altera parte nummus ille exhibere videtur virgam Aaronis florentem, circa quam literis pariter Samariticis legitur hæc inſcriptio *Jeruſalem ſancta.*

Chicar quod Græci & Latini Interpretes reddunt Talentum, primùm maſſa erat rudis. Pretium ejus ex cap. 38. Exodi colligitur fuiſſe ter mille ſiclorum; cùm enim conſtet capitatim fuiſſe ſolutum à ſingulis

Iſrae-



Digitized by Google

…ht … inter- … red- Obo-	Ponderant Pondere Parisino	
…l	Granis $13 \frac{41}{100}$	Nummus noſter argenteus L'Ecu - ponderat 5[illegible]Gr.- Dimidium ejus 256 Granis- Quarta pars ejus 128 Granis Marca, le Marc pondus est 8 Unciarum, ſiue Semilibra -Uncia autem continet 576 Grana Mna Hebræorum, ponderabat 31 Nūmis argenteis, cum 226 Granis Talentum Hebræum nummis eisdem 1572 cum 369 Granis
$\frac{1}{4}$	Granis $16 \frac{61}{80}$	
…	Granis $67 \frac{1}{20}$	
$\frac{5}{7}$	Granis $76 \frac{22}{35}$	
…o	Granis $268 \frac{1}{5}$	
…lo	Granis $536 \frac{2}{5}$	
…200	Granis 16092, siue 3 Marcs, 3 Uncys, et 540 Granis	
…000	Granis 804600, siue 174 Marcs, 4 Uncys, 504 Granis	

Luciani sc.

Iſraelitis per annos ſingulos dimidium ſicli, loco autem allegato dicat Moyſes ſexcentum millia hominum ſolviſſe centum talenta, liquet ſexcenta millia ſemiſiclorum valere centum talenta, ex quo conficitur ter mille ſiclos pares eſſe uni talento.

Res noſtra nummaria tot mutationibus ſubjacet, ut de illa vix ſtatui poſſit aliquid certi, quo pretium ejus definiatur in multos annos. Nummorum enim noſtrorum pondus, forma, valor, nomina etiam ſubinde mutantur, ut nullum operæ pretium ſit nummos, qui nunc in uſu ſunt, recenſere. Etenim cùm hæc quæ ſcribimus in lucem prodibunt, forſan nova moneta cudetur, veteris interdicto uſu. Quæpiam tamen via ineunda eſt qua ad noſtrates nummos, hoc eſt, ad notum valorem revocare poſſimus antiquorum nummorum nomina, id eſt, ſic comparare poſſimus veteres nummos cum noſtris, ut quæcumque mutatio accidat rei monetariæ noſtræ, certo æſtimari poſſint veteres nummi.

Ratio ponderum & nummorum uſitatorum apud Romanos cum iis quibus uterentur Græci, nota eſt ex auctoribus Græcis & Latinis, qui iſtam rationem definiunt. Nec etiam ignorari poteſt valor nummorum Hebræorum reſpectu ad nummos Græcorum & Romanorum, ſiquidem Joſephus & B. Hieronymus adſtruant ſicli pondus fuiſſe ſemiunciæ Romanæ; quod liquet ex Evangelio in quo ſemiſiclus, nempè tributum illud quod, ut ſupra dicebamus, capitatim ſolvebatur, appellatur didrachmos, hoc eſt, nummus valens duas drachmas; nam ſic integer ſiclus erat quatuor drachmarum. Suprà autem vidimus unciam Romanam valere octo drachmas, & ideò ſemiunciam quatuor drachmas. Indè, inquam, ſemiſiclus Hebræus appellatur didrachma à Matthæo (*cap.* 17.) ibi enim ſermo eſt de tributo dimidii ſicli, quem ſinguli Judæi ex lege tenebantur annuatim pendere, primùm

Tabernaculo, deinde Templo, hoc eſt, Deo. Qua ergo lege Chriſtus ſe non teneri demonſtrabat; Reges enim, aiebat, non ſolent exigere vectigal à filiis, qui ideò immunes ſunt. Ut autem dimidius ſiclus duas drachmas valebat; ita ſiclus integer quatuor drachmas: quapropter in eodem loco Matthæi dicitur Chriſtus pro ſe & Petro ſtaterem dediſſe, id eſt, integrum ſiclum. Stater enim Græcis idem ſonat quod Hebræis ſiclus, ut diximus.

Animadvertendum eſt Alexandrina pondera duplo majora eſſe Atticis, ut Varro diſertè teſtatur. Hinc ſeptuaginta Græci Bibliorum interpretes, quos Alexandrinos fuiſſe quidam conjiciunt, ſaltem Alexandriæ verſionem ſuam cuderunt, ſiclum non tetradrachmum, ſed didrachmum interpretantur; quod non faciunt Evangeliſtæ, neque Joſephus. Eadem de cauſa Philo, qui Alexandrinus eſſet, ſemiſiclum non appellat didrachmum, ſed unius drachmæ facit. Hæc cùm non adverterent nonnulli, commenti ſunt duplicem fuiſſe ſiclum, unum ſanctum quatuor drachmarum, & communem alterum duarum drachmarum. Sicli quidem examinandi præcipiuntur juxta ſiclum Sanctuarii, non quod alter eſſet ſiclus profanus, alter ſanctus; verùm ſic loquitur Scriptura, quia in ſanctuario ſervarentur vera & prima pondera, quæ norma eſſent & lex omnium ponderum.

Omnes veteres nummi indè ſine multo negotio æſtimantur & componuntur inter ſe, quoniam notum quota pars eſſent libræ. Sed & valor eorum reſpectu noſtræ apertus eſt, ſi quidem experimentis & ratiociniis, quæ modò propoſuimus, innotuerit unciam noſtram Pariſienſem majorem eſſe Romana triginta novem granis cum $\frac{4}{5}$. Ita eò res redit, ut expendamus pondus nummorum qui nunc ſunt in uſu probato; ſi quidem noto pondere veterum nummorum, facilè erit dignoſcere horum cum noſtris

num-

nummis rationem. Verùm ne in calculis ſubducendis error ſubrepat, advertendum eſt, ſive egeſtate, ſive avaritia, aliquando etiam de publicorum nummorum pondere aliquid detractum eſſe, vel alienam materiam admixtam. Hoc contigiſſe noſtro ſolido experimur, quod primum erat ſolidum de argento, ſive nummus erat totus argenteus, qui poſtea ita ære permixtus eſt, ut abierit in noſtrum uſualem ſolidum. De juſto nummorum valore nihil ergo ſtatui poteſt, niſi ratione ſic inita, ut ſupponatur nec alienam materiam admixtam, nec juſto pondere minores fuiſſe; quod verum eſt de nummis Iſraelitarum: religio enim vetabat deterere eorum pondus, aut materiam corrumpere.

Non ita eſt de noſtris nummis: præterquam quod non ſemper aurum ſic excoquitur, ut perfectè purum ſit, poſſunt in eo eſſe diverſi puritatis gradus, quos viginti quatuor diſtinguunt auri fabri, & caractas appellant. Verbi cauſa, cùm de nummo aureo dicunt 22. caractas habere, ſignificant duos tantùm gradus, ſive duas partes ex viginti quatuor in eo eſſe materiæ inferioris. Quo autem valor auri exquiſitiori ratione ſignificent, iterum caractam ſubdividunt in duas partes, in quatuor, in octo, in ſexdecim. Ita nummus defæcatus uſque ad 23. caractas & $\frac{1}{2}$, dicitur quadrageſimam ſui partem tantum habere ex aliena materia.

Similiter diverſi gradus notantur in argento, ut ſi ære temperatum ſit, valor ejus declaretur. Purum argentum artifices in duodecim denarios dividunt. Ergo cùm ſignificant argentum verè purum eſſe, ad duodecim denarios excoctum dicunt, ut ſcilicet nulla aliena materia ſuperſit; ad undecim verò, cùm ita ære temperatum eſt, ut pars ejus duodecima ærea ſit, non argentea. Denarius quatenus pondus eſt, ut vidimus, dividitur in 24. grana: ſingula grana in

 duas,

duas, in quatuor, in octo partes. Argentum quod undecim denariorum eſt, granorum verò duodecim, amiſit vigeſimum quartum ſuę puritatis gradum.

Hæc de abſoluto valore cujuſque metalli. Expendendus autem valor ejus relatus ad aliud metallum. Pendet ille ex raritate vel abundantia hujus metalli; ſæpè ſæpiùs ex lubitu Principum. Olim Romæ ratio auri ad argentum ea fuit, quam numerus quindenarius habet ad unitatem; aliis temporibus, illa quæ eſt inter unum & decem. Ita hoc-ce ſæculo hæc-ce ratio non ſemper eadem ſtatuta eſt. Anno 1641. ſub Ludovico XIII. aurum ſe habebat ad argentum ut 13. $\frac{1}{2}$ ad 1. hæc autem ratio immutata fuit anno 1656. & eodem pretio argenti ſervato, auri auctum; ſic auri ad argentum ratio ea evaſit quæ eſt inter 1. & 14. $\frac{15}{16}$

Non minùs mutationibus ſubjacet pretium æris, quo libra Turonenſis conſtare videbatur; ut diuturnam operam ille non præſtet, qui hoc, exempli cauſa, anno quo hæc ſcribo, velit exprimere moneta noſtra valorem nummorum antiquorum, definiendo quot libras Turonenſes hic & ille nummus antiquus valeat. Reſtat itaque ut quoniam pondera non mutantur, ſupponentes juſtum pondus ſuum habuiſſe veteres nummos, nec ex impuro metallo cuſos, definiamus quale eſſet pondus illorum expenſum ad noſtratia pondera. Quot libras ſive quot marcas auri, exempli cauſa, ponderaret talentum Hebræum: aurei autem & argentei idem erat pondus apud Hebræos; ita de aliis nummis eorum. Utemur ratione, quam ſupra notavimus, unciæ Romanæ ad Pariſienſem: ſi quis autem noto pondere alicujus vetuſti numiſmatis, aveat exprimere moneta noſtra valorem ejus, mentem advertat ad pondus noſtræ monetæ quale definitum eſt regiis edictis. Comparet, verbi gratia, ſiclum Hebræum argenteum ſemiunciæ Roma-

Romanæ, & ideo 268. $\frac{1}{7}$ granorum cum nummo argenteo ſcutato qui 512. granorum, vel cum dimidio iſto eodem nummo 256. granorum, ſtatim agnoſcet ſiclum paulò plus quàm iſtum dimidium nummum ponderare, ſcilicet duodecim granis. Drachma erat pars octava unciæ Romanæ ſive 536. granorum noſtratium; ideò drachma conſtabat 67. granis: quarta autem pars ſcutati argentei ponderat 128. grana; ita drachma accedit ad dimidiam partem quartæ partis ſcutati argentei. Hìc præponimus pondus nummorum nunc uſitatiorum in Europa, ut ſi ad exteros perveniat noſter libellus, uti poſſint calculis noſtris.

De valore ſive pondere nummorum æreorum ut aliquis ſermo fiat, primùm obſervabimus nummos æreos ſcripturæ exteros fuiſſe; utebantur enim Hebræi nummis ex argento vel ex auro. Cujuſque metalli valor pendet, ut dictum eſt, ex raritate vel copia ejus. Olim denarius Romanus, qui argenteus erat, æquabat pretium decem aſſium æreorum, ſive tantum erat pretium ejus quantum decem librarum ærearum; cùm ergo denarius ille paris eſſet ponderis ac drachma, aut paulò ponderoſior, ſtatuimus enim ſeptem denarios facere unciam Romanam, una libra Romani argenti conſtabat 84. denariis Romanis. Itaque denarius ſive pars octogeſima quarta libræ argenteæ, cùm valeret decem libras æris, par erat pretio 840. ſeptimis partibus unciæ æreæ, quem numerum decem libræ æreæ continent. Sic ratio argenti ad æs tunc temporis erat eadem ac inter hoſce duos numeros 1. & 840. quæ ratio demonſtrat magnam copiam æris fuiſſe per reſpectum ad argentum. Una enim marca argenti ſive octo unciæ argenti ante aliquot annos, cùm pretium argenti nondum auctum eſſet, permutabatur cum ſexaginta libris æris, id eſt duæ marcæ, ſive una libra argenti

ejuſdem valoris erat ac centum viginti libræ æris; Sic ratio argenti ad æs non alia erat quàm quæ eſt inter 1. & 100. Igitur olim Romæ ferè octies æs vilius erat quàm nunc in Gallia. Quare non mirum ſi as Romanus, licet libralis, etiam vilis nummus diceretur. Quidquid de pretio unjuſcujuſque dicetur, non difficile erit accommodare alteri. Jam verò ex iis quæ modò dicta ſunt, colligendo quot granis v. c. ponderet nummus ſcutatus integer, deprehendetur quis fuerit valor ſicli Hebræi per reſpectum ad nummum ſcutatum. Aliter noſtros calculos ſubducere non potuimus, ut in ſequentia ſæcula prodeſſe poſſint, donec libra Pariſienſis immutata ſtabit. Quoad nummos æreos, ſufficit ſcire quòd ſi eadem tunc eſſet copia æris quæ olim fuit, aſſem non multo extra octo denarios æſtimandum; ita triens, & ideò magis quadrans viliſſimus nummus erat. Sed valorem æris non poſſumus certò ſtatuere. Pretium ejus ſubinde mutatur, augetur, minuitur. Aſſis verò vilis nummus erat, ſi compararetur ad argentum. Non ita eſt autem, ſi referatur ad æreos nummos noſtros. Nam vetuſti, quorum uſus erat apud Romanos, ponderoſiores ſunt noſtris æreis nummis. Veteres aſſes Romani non pauci reperiuntur; ſed ſive ætas, ſive ærugo detriverit, omnes pondere inter ſe differunt. Plurimos habet Bibliotheca ornatiſſima regalis Abbatiæ ſanctæ Genovefæ. R. P. Nicolaus Sarebource hujuſ-ce Bibliothecæ præfectus, mihi rem gratam facturus, quinque veterum aſſium pondus exquiſitis lancibus exploravit. Primus, ut ad me reſcripſit, ponderat undecim uncias, uno groſſo, cum quinquaginta quatuor granis. Secundus octo uncias, cum tribus groſſis. Tertius octo uncias, cum quinque groſſis, & triginta octo granis. Quartus octo uncias, cum ſex groſſis, & triginta octo granis. Quintus ſex uncias, cum ſex groſſis, & ſex granis.

Igitur

Igitur aſſis non vilis nummus cenſeri poteſt, niſi per reſpectum ad argentum, & eo tempore quo magna erat raritas argenti; nam ad minimum ponderabant ſemilibram noſtratem; & ideò ratione ponderis ſui & materiæ ſemilibram Turonenſem valuiſſent.

Pondus nummorum ſive aureorum ſive argenteorum, quorum in Europa uſus frequentior eſt.

Ludoviſius aureus (*un Luigi d'oro*) ponderat 5. denariis 6. granis, ſive 126. granis; ita dimidium ejus 2. denariis 15. granis vel 63. granis.

Ludoviſius argenteus (*un Luigi d'argento*) 21. denariis 8. granis ſive 512. granis. Ita dimidium ejus 10. denariis 16. granis vel 256. granis; & quarta pars ejus 128. granis.

Nummus aureus Hiſpanicus, *piſtole d'Eſpagne* (*Doppia di Spagna*) 5. denariis, 6. granis, ſive 126. granis.

Nummus argenteus Hiſpanicus, *piece de huit reales* (*Piaſtra d'otto Reali*) 21. denariis, 8. granis, ſive 512. granis

Nummus aureus Anglicus, *le noble à la roſe* 6. denariis; ſive 144. granis.

Alius nummus aureus Angliæ dictus *Guinee* (*una Ghinea*) ferè 157. granis & $\frac{1}{2}$.

Nummus Anglicus argenteus *Skelin* 4. denariis 12. granis, ſive 108. granis.

Nummus argenteus nunc uſitatior in Anglia, *l'ecu moderne* (*lo Scudo moderno*) paulò plus quam 585. granis.

Nummus aureus, *Real de Flandre* (*un Reale di Fiandra*) 1. uncia, 1. denario, 8. granis, ſive 608. granis.

Nummus aureus, *Reale de Flandre*, 1. uncia, 1. groſſo, ſive 600. granis.

T 4 Num-

Nummus aureus, *Patagon de Flandre* (*Pattacone di Fiandra*) 22. denariis, ſive 528. granis.

Dalles au lion, 21. denariis, ſive 504. granis.

Nummus aureus Italiæ *Piſtole* (*una Doppia*) Romæ, Bononiæ, Mediolani, Venetiarum, Florentiæ, Sabaudiæ 5. denariis 4. granis, ſive 124. granis.

Nummus aureus, *Ecu*, (*uno Scudo*) Romæ, & in pluribus urbibus Italiæ, Venetiis, Genuæ, in Sabaudia, apud Coloniam Allobrogum uſitatus 2. denariis, 14. granis, ſive 62. granis.

Nummus argenteus in Italia uſitatus dictus, *Ducatone* 1. uncia, 1. denario, ſive 600. granis.

Ducaton d'Avignon, 1, uncia, ſive 576. granis.

Piece du Pape d'Avignon, ou *Julle* (*Piaſtra del Papa d'Avignone*, *ovvero un Giulio*) 2. denariis, 9. granis, ſive 57. granis.

Ducats d'or (*Ducato d'oro*, *ovvero Ongaro*, *o Zecchino*) Imperii, Hungariæ, Venetiarum, Sabaudiæ, & Provinciarum fœderatarum, & Turcarum, 2. denariis 17. granis, ſive 65. granis.

Decet autem animadvertere, nummos Gentium diverſarum, licèt æqualis ponderis, non ideò ejuſdem eſſe valoris, quia plus vel minùs inferioris materiæ permixtæ habent.

His obſervatis, ſi quis velit æſtimare, verbi gratia, valorem ſicli; quoniam pondere noſtro pendeat 268. granis cum $\frac{1}{5}$ unius grani, hoc eſt, cum una parte, quales quinque continet unum granum, quod hìc ſemel advertant, qui artem numerandi non percallent. Indè, inquam, quiſque facilè deducet ſiclum paulò ponderoſiorem eſſe quàm nummum, quem appellamus *demi-ecu* (*mezzo ſcudo*) qui ponderat 256. granis. Ita de quocumque altero veteri nummo, cujus valor ſic cognoſcitur, noto pondere ejus. Tum & licebit æſtimare pretium cujuſque rei, & illud moneta noſtra exprimere. Etenim quoniam talentum

lentum Hebræorum ponderabat ter mille ſiclis, ſequitur ponderaſſe 174. marcas, 4. uncias, 7. groſſos; ſi multiplices 268. grana cum quinta parte unius grani, quod eſt pondus ſicli, per 3000. Noſtra autem moneta facile eſt exponere valorem talenti ſive argentei, ſive aurei. Nam ſcimus pondus noſtri ſcutati argentei 512. granorum, & ex una marca argenti confici novem tales ſcutatos. Itaque neceſſe eſt talentum Hebræum argenteum valere 1571. ſcutatos noſtrates argenteos, cum 248. granis, quæ paulò deficiunt à dimidio ſcutato 256. granorum.

Pondus cujuſque baſis argenteæ tabularum Tabernaculi erat unius talenti: tales erant centum baſes; quæ igitur ponderabant 17460. marcas, 7. uncias, 4. groſſos, ſive valebant 157146. ſcutatos cum 238. granis. Similiter licet æſtimare valorem talenti aurei, & rei cujuſque ponderantis talentum. Etenim cùm ex marca auri cudantur 36. Ludoviſii, ſive piſtolæ Hiſpanicæ, ſive pondus marcæ par ſit 36. talibus nummis cum $\frac{4}{7}$ talentum autem ponderet 174. marcas 4. uncias 7. groſſos, æquabit pondus 5686. Ludoviſiorum aureorum ſive piſtolarum cum 36. granis & $\frac{1}{7}$ Candelabrum conflatum fuerat ex talento auri; ita tantus erat valor ejus. Ergo mirum eſt, licet tabernaculum paratum fuerit in deſerto ab Iſraelitis profugis & exulibus, tanta tamen tum auri, tum argenti copia abundaſſe.

Ne cuipiam ſit difficilis uſus tabularum, addam omnes cellas horizontales in tabula quæ inſeritur huic xv. capiti continere parem valorem, ſicut perpendiculares pondera ejuſdem nominis. Ita uncia Romana par eſt duobus ſiclis, 7. denariis, 8. drachmis, 32. ſeſtertiis, 40. ghera, denique 536. $\frac{1}{5}$ granis. In cellulis verò perpendicularibus quibus præſcribitur nomen illud *uncia Romana*, unciæ ſunt: in prima cella *una uncia*, in ſecunda inferiori 30. *unciæ*, in tertia 1500.

tia 1500. unciæ. Ita de tabula ſequentis capitis. Denique ſciendum pondera apud Hebræos non fuiſſe ex metallo, ne ærugine deteri poſſent, & ſic leviora fieri; quod lucem affert huic-ce Proverbiorum loco, (*Cap.* 16. *v.* 11.) *Pondus & ſtatera judicia Domini ſunt, & opera ejus omnes lapides ſacculi*, nempe judicia ejus omnibus ponderibus expenſa ſunt.

CAPUT XVI.

De menſuris cavis & longis, de quibus in Sacra Scriptura ſit mentio.

EOdem experimento quo nobis patefacta eſt ratio veterum ponderum, aperitur via ad æſtimandas veteres menſuras cavas & longas; verbi cauſa, cognita ratione libræ Romanæ cum Pariſienſi, deprehendi poteſt capacitas Romanorum vaſorum cum noſtris, Ex allegato enim ſupra Fannio ſcimus aquam, cujus capax eſt amphora, ponderaſſe 80. libras Romanas, congium qui pars eſt octava amphoræ, cepiſſe 10. libras aquæ, & ideò ſextarium partem ſextam congii, 20. uncias, quæ viginti unciæ pondere Romano, pares ſunt ex calculo ſuperiori 18. unciis ponderis Pariſienſis cum $\frac{5}{8}$ hoc eſt uni libræ Pariſienſi cum duabus unciis, & $\frac{5}{8}$. Cùm itaque experiamur aquam, cujus hemiſextarius noſter Pariſienſis capax eſt, ponderare octo uncias noſtrates, chopinam 16. & pintam 32. indè capacitatem veterum vaſorum æſtimare poſſumus.


Alia via ſcrutari poſſumus ipſam veterum vaſorum capacitatem per reſpectum ad noſtra vaſa. Conſtat auctoritate Fannii amphoram Romanam, cùm ſic conflabatur in formam cubi, cujus latera eſſent unius pedis Romani, tunc fuiſſe capacem aquæ, cujus pondus eſſet octoginta librarum Romanarum, quæ juxta

priores

Digitized by Google

TAB. X

Vaſorum Hebræorum int
Comparatio, et eorum Capa
Vaſis Pariſinis æxtim



			H
		Seah ſiue Satum	1
	Bathus Epha Amphora	1	2
Chomer ſiue Corus	1	3	6
1	10	30	6

priores calculos pares ſunt libris Pariſienſibus 55. & 14. unciis. Undè deducimus quæ ſit ratio pedis Pariſienſis cum Romano. Etenim aqua vaſis cubici, cujus latera ſint unius pedis Pariſienſis, ponderat circiter 70. libras Pariſienſas; alii enim pondus illud eſſerunt diligentia adhibita deprehendiſſe levius, nempe 69. librarum cum novem unciis. Alii verò majus faciunt ſcilicet 71. librarum cum aliquibus unciis. Ita ut neceſse ſit pedem Pariſienſem majorem eſſe Romano, quoniam vas illud cubicum quod conſtituit, majus ſit vaſe cubico, cujus latera ſint unius pedis Romani. Horum autem numerorum 55. librarum 14. unciarum, & 70. librarum radices cubicas, arte quam norunt Arithmetici extrahendo, reperitur una ferè duodecima parte pedem Pariſienſem majorem eſſe pede Romano: ſcilicet pedem Romanum conſtare undecim pollicibus, quales pes Pariſinus duodenos habet. Ab hoc-ce numero non multùm diſcedit menſura pedis hujus-ce Romani, qui in vetuſtis monumentis expreſſus eſt, puta in tumulo T. Statilii, qui eſt 10. pollicum & 11. linearum, quales duodecim pollex Pariſinus habet cum $\frac{1}{10}$ lineæ, id eſt, decima parte lineæ. In tumulo Coſſutii per expreſſus habet pariter decem pollices, undecim lineas cum $\frac{1}{2}$ lineæ, ideò viſum eſt nobis longitudinem veteris pedis Romani ſtatuere undecim præcisè pollicum, ſive minor ſive major fuerit.

Pes cubicus, hoc eſt, vas cujus latera ſunt unius pedis, continet, ut experimento diſcimus, pintas 36. quas ſingulas diximus ponderare 32. uncias. Hi duo numeri 36. & 32. per ſe multiplicati efficiunt 1152. uncias, & ideò 72. libras, quales quæque conſtat 16. unciis. Ita aqua pedis cubici non tantum 71. ſed 72. libras noſtrates continere cenſendum eſſet; ſed eſt advertendum tunc aquam pintæ ponderare 32. uncias, cùm pinta ſic impletur, ut paululum ſurgat aqua.

Quid-

Quidquid ſit, ſine periculo erroris reformidandi ſic ęſtimari poteſt capacitas veterum menſurarum (*Tab. X.*) Proponendum eſt ſibi ante oculos vas cubicum unius pedis noſtratis, ſimul & alterum vas pariter ſimile cubo, cujus latera ſint unius pedis Romani. Amphora, ut vidimus, erat cubus; cujus pars octava appellabatur congius; vas etiam ſimile cubo, cujus latus erat media pars lateris amphoræ, ſive ſemipedis Romani. Notum eſt probatis experimentis hemiſextarium Pariſienſem habere 12. pollices cubicos, chopinam 24. pintam 48. Quapropter cùm pes Pariſienſis contineat 12. pollices, quales pes Romanus non plus ferè habet quàm 11. ut ſtatuimus; ideò vas cubicum pedis Pariſienſis quod habet 1728. pollices cubicos, majus erit vaſe cubico unius pedis Romani, ſive amphora quæ tantùm contineret 1331. pollices Pariſinos. Sic facilè capacitas vaſorum Romanorum componi poteſt cum capacitate vaſorum noſtrorum. Simul & ratio cognoſcitur quæ ſit inter menſuras longas veteres & noſtras, quoniam nota ſit ratio pedis Romani cum Gallico.

Jam enumeremus diverſas menſuras veterum, initium ducentes à cavis, id eſt, à vaſis. Præcipuum vas apud Romanos erat amphora. Capiebat illa duas urnas, par tribus modiis, quibus res arida, ſive fruges menſurabantur. Urna habebat quatuor congios. Sexta pars congii dicebatur ſextarius, ſextarii pars media hemina. Apud Græcos metreta erat vas reſpondens amphoræ Romanæ; ſed illam ſuperabat una urna. Chus Græcorum idem erat ac congius Romanus. Cotyla par cenſetur heminæ. Medimna utebantur Græci ad menſurandas fruges.

Quam inter ſe habeant rationem menſuræ Hebrææ cavæ luculenter explicat Scriptura; *chomer*, qui redditur *corus* in Bibliis Latinis, vas erat capaciſſimum, cujus pars decima dicebatur Epha, æqualis batho, niſi quod

batho

batho liquores menſurabantur, ſicut epha fruges.

Seah, ſive ſatum erat tertia pars bathi ſive epha.

Hin, media pars ſati. Gomor, ut Græci efferunt, Hebræi verò ***omer***, quod ergo vas aliqui confundunt cum chomer propter viciniam ſoni, pars erat decima menſuræ epha, cabus ſexta pars ſati. Log quarta pars cabi erat. Sexdecim quartarii æquabant cabum; ſic quartarius pars quarta menſuræ log.

Non ita facile eſt dijudicare quæ fuerit Hebræarum menſurarum ratio ad menſuras exteras, videlicet Græcas & Romanas, & ideò ad Gallicas. Cùm ex antedictis via pateat qua verum valorem Romanarum menſurarum, tum cavarum, tum longarum aſſequi poſſumus; Græcarum autem cum Romanis ratio nota ſit ex veterum authorum teſtimoniis, ſi Græci interpretes Bibliorum eam curam adhibuiſſent, ut vel unam ſive cavam ſive longam menſuram in Scripturarum fonte celebratam æquaſſent alicui menſuræ vel Græcæ vel Romanæ, res confecta eſſet. Dixi, ſive cavam ſive longam; ex illa enim altera æſtimari poteſt. Verùm longè abeſt ut eam adhibuerint diligentiam. Exemplis evincere poſsem peccaſſe ea in re, non ferenda negligentia, quæ exempla protuli in libris de Templo, ubi diligentiùs diſſerimus de veterum menſuris. Eo in loco diximus Joſephum ſcatere erroribus, fortè propriis, quorum ipſe author ſit; certè alienis, nempe quos in ejus codicem induxit Librariorum oſcitantia. Sic ille loquitur de cubito Hebræo, ut eum æqualem faciat Græco, qui paulò major eſt Romano. De vera autem cubiti Hebræi longitudine operæ pretium erit huc afferre quæ in allegatis de Templo ſtatuimus ex non improbabilibus conjecturis; id enim quod intendimus non poſſumus aſſequi, nempe cognoſcere capacitatem vaſorum Hebræorum, niſi priùs nobis innotuerit Hebræus cubitus. Animadvertimus quoties Moyſes de cubito ſermonem fecit, non indicaſſe diverſum à communi,

muni, qui in promiſcuo uſu eſſet, videlicet quo uterentur Ægyptii. Pauci numero advenerant in Ægyptum filii Jacob, ut potius accepiſſe modulos menſuratum ab Ægyptiis, quàm intuliſſe, pronum ſit credere. Saltem decuiſſet Moyſem, ſi alio cubito populares ſui, alio Ægyptii uterentur, de diſcrimine monere; quod feciſſe videtur Ezechiel, alloquens Judæos captivos, qui inter Babilonios verſabantur, non eodem utentes cubito. Sed non tam Ægyptii quam ipſe Noe haberi poteſt author determinati cubiti: quando enim paravit illam ingentem arcam niſi definitam menſuram adhibuiſſet, non potuiſſet ædificium illud compingere. Non, inquam, partes quibus conſtabat ſibi invicem cohærere potuiſsent, ad certam menſuram non porrectæ vel contractæ. Si quidem verò Moyſes modò egreſsus ex Ægypto, dum Tabernaculi fabricam deſcribit, cubitum nominat, nec dicit majorem aut minorem Ægyptio, qui innotuerat Iſraelitis, quorum labore tot tantaque monumenta conſtructa fuerant, jure concludimus eundem fuiſſe, ſaltem hac-ce Moyſis ætate. Reſtat ut videamus an labentibus ſæculis huic detractum ſit vel additum.

Primùm niſi aliquo ſcripto vel monumento appareat mutatam cubiti Ægyptii longitudinem, hodiernum antiquo parem credere eſt. Etenim adigebat Ægyptios neceſſitas, ut ſine ullo additamento, vel detrimento ſervarent eandem cubiti menſuram; nam cubitalibus intervallis notata illa menſura erat, qua definiebantur Nili incrementa, in Niloſcopis puteis, vel in columnis marmoreis quibus incrementa Nili menſurabantur. Sic fiebat ut cubiti menſura omnium ſubjecta oculis non imminueretur vel augeretur. Alioqui multæ turbæ exortæ fuiſſent in Ægypto, cum ſingulis annis omnes agrorum terminos Nilus limo obduceret, & ideò toties limites agrorum dimetiendi. Adjungam antiquarum Pyramidum dimenſiones præ-

præciſè menſurari hodierno cubito Ægyptio: non ſolent autem Architecti menſuris imperfectis dimetiri ædificia quæ conſtruunt. Apud Romanos certus pedum numerus definiebat menſuras ædificiorum; ita & cubitorum in Ægypto. In ſacris Scripturis omnis dimenſio certo cubitorum numero comprehenditur.

Grævius, Anglus ſagaciſſimus, qui rem in Ægypto exploravit, aſſerit cubitum hujuſ-ce regionis, quem vocant *derah* eſſe partium 1824. qualium habet pes Anglicus, mille: Pariſinus 1068. Sic ergo calculum ineo. Si 1068. valor pedis Pariſini dat duodecim pollices, numerus ille 1824. valor cubiti Ægyptii, quot dabit pollices? Hunc numerum 1824. ut docet regula aurea, duco in 12. & factum hacce multiplicatione divido per 1068. quotiens diviſionis dat 20. pollices, & illam fractionem $\frac{112}{267}$ æqualem quinque lineis cum $\frac{249}{267}$ id eſt, cum 249. partibus integræ lineæ, quæ in 267. partes diviſa eſt. Itaque rotundioribus numeris utentes ſtatuere poſſumus longitudinem cubiti Ægyptii viginti pollicum Pariſinorum cum ſex ferè lineis. Sed & has lineas negligimus, ut rotundiores ſint menſuræ. Præterquàm quòd Hebræum cubitum his viginti pollicibus non majorem fuiſſe evincimus. Huic-ce longitudini congruunt ea omnia, quorum menſuras Scriptura exponit. Ergo licet conjicere nec multò longiorem, nec multò breviorem fuiſſe.

Vera longitudo cubiti Hebræi retegi etiam poſſet, ſi conſtaret de vera forma maris ænei, & cujus ſententiæ ſtandum, vel authoris librorum Regum, vel authoris Paralipomenorum, circa numerum bathorum quos caperet. Joſephus opinatur mare æneum fuiſse vas rotundum ſimile hemiſpherio: Alii cylindro, cujus latera recta ſint & fundum planum. Scriptura liquidò dicit decem cubitorum fuiſse diametrum ejus. Ex libris Regum capiebat duo mille ba-

thos;

thos; ex libris verò Paralipomenorum ter mille bathos. Joſephus adhæret authori librorum Regum, ſive ſecutus eſt hodiernam lectionem horum librorum, definiens mare æneum cepiſse duo mille bathos. Vaſe ſphærico cylindricum majus eſt tertia parte: itaque ſi mare ſupponatur ſphæricum, duo mille bathos contineat; vel ſi cylindricum, ter mille. Vir Geometra juxta has duas hypotheſes deprehendet valorem bathi in formam cubicam redacti. Mihi videtur veriſimilior ſententia Joſephi, qui ſtatuit mare fuiſse ſphæricum, & cepiſse tantùm duo mille bathos, juxta quam hyphoteſim cujuſque bathi in formam cubicam redacti latus eſt dimidii cubiti Hebræi, & ideò decem pollicum Pariſinorum. Bathus & Epha quoad capacitatem non differebant: ita cùm cujuſque latera eſſent decem pollicum, tota capacitas erat mille pollicum, ſaltem non multò major.

Pes cubicus Pariſienſis, ſive vas cubicum, cujus latera ſint pedis Pariſini, hoc eſt, duodecim pollicum, continet 1728. pollices. Pes verò cubicus Romanus, cùm ſimplex definitus ſit undecim tantùm pollicum, habet ſolummodo 1331. pollices Pariſinos. Ad pollicem cubicum Pariſinum, cujus formam hìc expreſsam vides, revocavimus omnes veteres menſuras. Pinta autem Pariſienſis eſt quadraginta octo talium pollicum. Attamen pinta quæ in domo publica Pariſienſi aſservatur, dicitur continere tantùm pollices cubicos 47. $\frac{3}{7}$ vulgò ſupponitur, habere quadraginta octo præcisè, & tot habere deberet; nam in ſextario numerantur pintæ octo, & triginta ſex ſextarii in dolio, vulgo, *le muid* (*la botte*); ita in dolio ſunt 288. pintæ. Dolium autem habetur æquale octo pedibus cubicis; undè neceſsariò pinta quadraginta octo pollicum cubicorum eſse debet; ergo chopina dimidium pintæ eſt 24. pollicum cubicorum, & hemiſextarius dimidium chopi-

næ

næ duodecim ſimilium pollicum. Hiſce fundamentis nituntur calculi, quibus æſtimamus capacitatem vaſorum, quibus vinum & oleum menſurabantur.

Apud Hebræos, ut modò diximus, vas *bathus* menſura liquorum, & *epha* menſura rerum aridarum, non differebant quantitate, ſed uſu. Non ita eſt in Gallia. Ita vaſa Hebræa, prout horum uſus erat in dimetiendis liquoribus aut frugibus, æſtimanda fuere vaſis diſtinctis quibus Galli utuntur. Sed & illa vaſa Gallica valdè ambigua ſunt. Conveniunt tamen omnes in modio, quæ major eſt menſura frugum, *le muid de bled* (*moggio*) eſſe 12. ſextarios, in ſextario *duas heminas*, *deux mines* (*due mine*) in mina 2. *minots*, in uno *minot* (*mezza mina*) 3. boſellos, in boſello 16. *litrons* (*quartucci*) Ut iſta ratio ſervaretur, ædiles præſcripſerunt cuique vaſi certam altitudinem & diametrum. Sed Geometræ peritiſſimi obſervaverunt has altitudines & diametros non convenire cum rationibus quæ ſupponuntur inter diverſa vaſa illa enumerata. Vir ſummæ peritiæ & diligentiæ, prout altitudinem & diametrum boſelli ſtatuerunt ædiles, reperit capacitatem ejus eſſe 644. $\frac{3}{7}$ pollicum.

72. Log faciunt unum bathum 1000. pollicum; ita log tredecim pollicum $\frac{8}{9}$ & major noſtro hemiſextario Pariſienſi ferè duobus pollicibus cubicis.

Sex hin faciunt unum bathum; ita hin capax erat 166. pollicum & $\frac{2}{3}$ qui faciunt 3. pintas 1. hemiſextarium cum 10. pollicibus & $\frac{2}{3}$

Bathus, ut multis argumentis oſtendimus, non multò major erat 1000. pollicibus; quibus diviſis per 48. pintas, quot habere una pinta ſupponitur, bathus continebat 20. pintas, 1. chopinam, 1. hemiſextarium $\frac{1}{3}$

Vidimus corum cenſeri inter menſuras rerum liquidarum. Eadem erat menſura ac chomer; ita decies major epha, & ideo batho; qui cùm valeret vi-

 ginti

ginti pintas 1. chopinam, 1. hemiſextarium $\frac{1}{3}$ ergo corus capiebat 208. pintas 1. hemiſextarium cum $\frac{1}{3}$.

Vix ſtatui poteſt valor cabi, cum de ratione ejus cum cæteris vaſis non conſtet. Si ſit media pars omer ſive gomor, cùm illud ſit 100. pollicum, ut dicemus, quoniam omer decima pars epha 1000. pollicum, cabus erit 50. pollicum. Noſtrum autem *litron* (*quartuccio*) faciunt pollicum 40 $\frac{2}{3}$: ita cabus par eſt 1. *litron* cum $\frac{1}{4}$

Bathus & ideò epha ſunt 1000. pollicum; ita omer decies minor 100. ita vas illud capiebat circiter quantum tria vaſa illa quæ *litron* appellamus.

Satum ſive ſeah eſt tertia pars epha; ita 333. $\frac{1}{3}$ pollicum; ita paulò majus quàm ſemiboſellus noſter 322. $\frac{1}{2}$ pollicum.

Epha ſive ephi eſt mille pollicum: Boſellus eſt 644. $\frac{2}{3}$, ſemiboſellus 322. $\frac{1}{2}$, *ſemilitron* (*mezzo quartuccio*) 21. $\frac{1}{6}$ Tres illæ menſuræ Pariſienſes ſimul non faciunt pluſquam 988. pollices. Ita deficiunt ab epha 12. pollicibus. Vidimus ſive bathum ſive epha vas eſſe paulò majus quàm 1000. pollicibus. Quapropter epha ſtatuere poſſemus par boſello, ſemiboſello, & litrone uno ſimul collectis.

Lethec, ſupponitur hoc-ce vas duplo majus vaſe epha. Sic æquale eſt tribus boſellis & duobus litronibus.

Epha pars decima eſt cori ſive chomer. Igitur corus capiebat quindecim boſellos, cum ſemiboſello, uno litrone, uno ſemilitrone, cum ſeptemdecim pollicibus.

Longitudinum menſuras inter ſe comparantes, in memoriam revocare decet, ubique gentium proprii corporis partibus uſos homines, ad longitudines dimetiendas, digitis, palmo, cubito, pede, paſſu. Palmus apud Romanos conſtabat quatuor digitis conjunctis. Palma autem diſtinguitur à palmo. Hæc enim

Digitized by Google

			Digitus Romanus	Mensurarum nostrarum
		Tophac טפח Siue Palmus Hebræorũ	I	8 Lineæ cum $\frac{1}{4}$
ñ m		I	4 $\frac{32}{33}$	3 Pollices et 5 Lineæ
		3	14 $\frac{10}{11}$	10 Pollices 3 Lineæ

enim definitur iſto intervallo, quod eſt ab articulo manus ad extremum medium digitum.

Cubitus æqualis erat ſex palmis, & ideò 24. digitis.

Pes continebat quatuor palmos, & ideò ſexdecim digitos, ita cubitus æquabat pedem cum ſemipede. Paſſum ſive greſſum eam appellant intercapedinem, quæ eſt inter duos pedes hominis progredientis. Sunt qui alium ſimplicem paſſum, quem duorum pedum cum ſemipede faciunt, alium agnoſcunt compoſitum quinque pedum.

Mille paſſus majores faciunt milliarium. Suprà ſtatuimus pedem Romanum eſſe undecim pollicum Pariſinorum.

Præter dictas menſuras Romanorum, Græci habent ſpithamam, quæ eſt extenſio inter pollicem & minimum digitum expanſos. Spithama eſt duodecim digitorum. Ita æqualis ſemicubito.

Stadium eſt ſpatium quod uno ſpiritu dicitur confectum ab Hercule. Vulgò definitur 125. paſſuum majorum.

Apud Hebræos menſurarum minima dicebatur *tophac*, nimirùm quatuor digitorum tranſverſorum, ſive conjunctorum. Talium digitorum duodecim dicebatur *zereth*, quæ menſura Græcis dicitur *ſpithama*. Latini interpretes duas illas menſuras tophac & zereth uno & eodem palmi nomine non benè exprimunt; diverſæ enim ſunt, ut una & eadem voce non poſſint ſignificari.

Cubitus, quali Hebræi olim utebantur, erat 24. digitorum; ita ſemicubitus erat æqualis zereth.

Calamus babebat ſex Hebræos cubitos 24. digitorum.

Chibrath erat ſpatium magnum, cujus quantitas non benè ſcitur.

Inter menſuras recenſere poſſumus illud interval-

 lum,

ſum; quod appellari ſolet *ſabbati iter*. Ex Paraphraſte Chaldæo ad librum Ruth, & ex omnibus Doctoribus Judæorum, erat duorum millium cubitorum. Beatus Lucas in Actis dicit montem Oliveti remotum fuiſse Hieroſolymis itinere Sabbati. Joſephus (*Lib.* 20. *c.* 16. *Antiq.*) in Græco codice Frobeniano iſtud iter facit quinque ſtadiorum; ſed non ultra 400. cubitos aſſignat ſtadio: ita quinque ſtadia faciunt tantummodo duo mille cubitos. Quapropter intelligendum eſt ſtadium Hebraicum; nam Græcum, ſive Latinum 125. paſſuum non facit, juxta ſententiam noſtram de cubito Hebræo, pluſquam cubitos 343. $\frac{1}{4}$.

Pes Pariſinus (*Tab. IX.*) continet duodecim pollices, ſicut pollex duodecim lineas. Sexpeda, ſive toiſia, ut loqui mos eſt, conſtat ſex pedibus. Non alia apud nos menſura eſt conſtans. Quin etiam nec in omnibus regni provinciis eadem eſt longitudo pedis, qui regius dicitur, nec regiæ toiſiæ. Leuca nullum habet certum intervallum. Vulgò ſinguli gradus, ſive pars 360. ambitus terræ, ſtatuuntur viginti quinque leucarum. Induſtrii autem viri & Matheſeos periti deprehenderunt ſpatium ſingulorum graduum eſſe 570060. ſexpedarum ſive toiſiarum: quem numerum ſi dividas per viginti quinque, exurgent 2282. $\frac{10}{25}$ ita leuca Gallica, quales vulgò ſupponuntur viginti quinque uno gradu conſtaret 2282. toiſiis cum $\frac{10}{25}$ vel $\frac{2}{5}$ id eſt, cum duabus partibus toiſiæ in quinque partes diviſæ. Cognita ratione cubiti Hebræi cum pede Pariſino, & ideò cum pede Romano, facilè ſcitur valor cujuſque menſuræ Hebraicæ. *Digitus* Hebræus erat 10. Pariſinarum linearum; *tophac* ſive palmus minor 3. pollicum & 4. linearum; *zereth* 10. pollicum, *cubitus* viginti pollicum, ſive 1. pedis & 8. pollicum, *calamus* decem pedum; *ſtadium* Hebræum 111. ſexpedarum, ſive toiſiarum & 8. pollicum. Hæc animadvertere ſufficiat pleriſque,

quos

quos in appoſita tabula perturbant fracti numeri, qui vitari non poſsunt.

Licet autem neminem lateat quæ ſit menſura ſemipedis regii Pariſini, nempe eam eſse ſex pollicum, & ideò nota ſit longitudo pollicis, attamen expreſſimus in tabula, cum ſemipedis in ſex pollices diviſione. Pollex diviſus eſt in duodecim lineas, quibus conſtat. Denique & lineam exhibemus, nempe duodecimam partem pollicis, cujus cubum exhibemus, videlicet molem quadratam, cujus latera ſint unius pollicis; ſed cave, lector, ne omnino fidas huic menſuræ. Uſi quidem ſumus Pariſino pede, qui viſus eſt juſtior; verùm charta cùm madefit, laxatur, contrahitur poſtea ſiccitate; ita linea expreſsa, & tota figura non ſervant primam menſuram. Sed hìc peccari non poteſt errore notabili. Omnia quæ de menſuris veterum Hebræorum diximus, de harum inter ſe comparatione, & valore noſtris menſuris expreſso, vides lector collecta & expreſsa in tribus ſequentibus tabulis. Siclum Hebræum excudi curavimus cum caracteribus Samariticis, & ſymbolis quibus ex utraque parte ſignabatur.

Finis Partis Primæ.

APPARATUS BIBLICUS, SIVE MANUDUCTIO AD SACRAM SCRIPTURAM.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

De Scriptura Sacra. Quibus nominibus inſignitur Codex quo illa continetur. Sermo eſt divinus, quo nos Deus compellat. Non alius æquè certus eſt; & qui magis omnes dubitationis cauſas præcidat.

HACTENUS attigimus quæ quidem ad intelligendam Sacram Scripturam ſunt neceſſaria, ſed quaſi extra illam poſita. Nunc, ut ita loquar, interiora ejus, hoc eſt, ipſam adire juvat, quærendo de illa, quæ niſi in genere nota ſint, ſpeciatim clarè cognoſci non poteſt. Ante omnia animadvertendum quibus nomimibus appellatus ſit codex, quo illa continetur. Teſtamentum dicitur, *διαθήκη*. Hoc-ce Græco nomine Græci interpretes reddiderunt nomen Hebræum *Berith*, id eſt, fœdus, quod olim Deus uſus Moſe mediatore, & poſtea ſuo Meſſia Chriſto, cum hominibus iniit. Nuncupatus eſt idem codex *Bibliotheca ſancta*, quia Libros ſanctos complecteretur; & ideò etiam *Pandecta*, quod Græcum eſt nomen ejuſdem ſignificatio-

nis.

nis. Nunc vulgò appellatur *Biblia*; quod nomen prævaluit. Quocumque nomine appelletur, non multùm intereſt. Res quæ ipſam Scripturam ſpectant, ſunt expendendæ. Quærendum, inquam, quid ſit; an à Deo; quos ſcriptores habuerit; quo tempore & qua illi lingua ſcripſerint: quæque enim lingua ſuos habet idiotiſmos, ex quibus ſtatuendum de vero ſenſu Auctorum qui in ea lingua ſcribunt. Quærendum pariter, an certæ, an æqualis auctoritatis ſint omnia illa volumina, quibus Biblia conſtant, quæ ſacra appellantur; qui ſint quorumque textus originales, vel à quibus in diverſas linguas illi textus verſi ſint, & quando. Attinet & ſcire qua cura, qua fide ad nos pervenerint; quo in pretio, quibus in deliciis habita; qua religione viri pii illa legere, meditari, & eorum verba in opera vertere ſatagebant, pari amoris & venerationis affectu.

Ordo ergo poſtulaviſſet, ut partem illam ſecundam noſtri Biblici Apparatus, imo totum Apparatum auſpicati eſſemus ab eo quod primum de Scriptura Sacra expendendum videtur, an reipſa Sacra ſit, & in quo cæteris hominum ſcriptis præſtet; ſed Chriſtianis ſcribimus, quos obtundat qui rem, quæ illis conſtat, vellet fuſiori adſtruere oratione. Dicam tamen breviter, quòd hominibus qui facti erant ut conſortio divino fruerentur (eo Adam innocens fruebatur in Paradiſo,) nunc propter peccatum ab eo elongatis, id ſolatii reſtat, ut quando non datur Deum adire præſentem, Deus abſens ipſe dignetur literis ſuis eos compellare, quaſi de cœlo ad nos ſcribens; quod eleganter dicit B. Auguſtinus (*In Pſal.* 40.) *De illa civitate, undè peregrinamur, literæ nobis venerunt. Ipſæ ſunt Scripturæ, quæ nos hortantur ut benè vivamus.* Hoc fecit utens lingua hominum quos afflabat, ſive quorum ore nos allocutus eſt. Scilicet, Sacra Scriptura veluti Epiſtola eſt Dei, miſſa ad nos per

manus Prophetarum & Apoſtolorum, quæ ſuum auctorem ſatis prodit, fidem ſibi ipſa concilians, & rerum dignitate & majeſtate verborum. Secum cohæret, & priora poſterioribus in illa confirmantur; ſive, quæ refert noviſſimis temporibus impleta, vera eſſe oſtendunt, quæ aliis temporibus protulerat vaticinia.

Eorum quos habet auctores, integritas vitæ, etiam miracula ab illis patrata, demonſtrant nec deceptos illos, nec decipere voluiſſe. Denique horum ſcripta ad nos incorrupta perveniſse conſtat omnibus argumentis, quibus probari poſſit de quocumque ſcripto verè eum habere auctorem, cujus nomen præſcribit. Etenim, ut verbis utar Sancti Auguſtini (*Cap.* 6. *lib.* 33. *contra Fauſtum*) *Undè conſtat, libros qui inſcribuntur nomine Hippocratis, eſſe Hippocratis? Undè ſi quis hoc neget, nec ſaltem refellitur, ſed ridetur, niſi quia ſic eos ab Hippocratis tempore uſque ad hoc tempus, & deinceps ſucceſſionis ſeries commendavit, ut hinc dubitare dementis ſit? Platonis, Ariſtotelis, Ciceronis, Varronis, aliorum ejuſmodi auctorum, librorum, undè noverunt homines, quòd ipſorum ſint, niſi eadem temporum ſibimet ſuccedentium conteſtatione continua?*

Sed efficaciora ſuppetunt argumenta ad ſacri Codicis veritatem adſtruendam. Nullus liber ſcriptus eſt, de cujus veritate pluris intereſſet homines certos eſſe, nec pati ſibi illudi. Agitur enim in Codice ſacro de religione, & de moribus componendis, ut digni ſint perpetua felicitate. Codex, inquam, ille via vitæ eſt, in qua errare periculoſum. Summam Religionis continet: ideò diligenti cura aſſervatus, exſcriptus magna fide; ut nemo crediderit impunè poſſe aliquid ei detractum vel additum fuiſſe. Ne id contingeret, Deus providit; neque enim ſinebat, ut in errorem pernicioſum induceret liber, quo nos verita-

ritatem docere ſuſceperat. Fraus latere non poterat; diu enim eſt, quòd homines in diverſas partes ſciſſi ſunt, ad quas quiſque rapere conatur verbum Dei. Clamitaſſent ergo falſarios, ſi vel minimum ab adverſariis depravatum advertiſſent. Ita immutari non potuit, quin aſſereretur veritas ejus; dum ſic & ſic ſcriptum antiquitus, contendit ille qui arguit mutatum.

Addamus dictis, quod pluries deſcriptus ſit Codex ſacer, omnium manibus tritus, omnibus expreſſus linguis, ubique diſſeminatus, in omnibus locis & temporibus celebratus, allegatus ab innumeris ſcriptoribus. Igitur occultus error & pernicioſus non potuiſſet irrepere in toties multiplicatos ejuſdem Sacræ Scripturæ codices per totum orbem terrarum; & id fieri, nemine conſcio, cùm aſſiduò oculis legatur, & teneatur memoria, & nullo reclamante, cùm tanti fiat. Amens ſit, cujus mentem ea cogitatio ſubire potuerit, aut commentitium aut ſuppoſititium librum eſſe pro vero; qui olim ſcriptus, nunc exciderit aut totus corruptus ſit. Ipſe ſibi fidem adſtruit codex Scripturarum; omnia enim, ut dixi, quæ continet, ſecum cohærent. Facta, geſta, quæ in eo narrantur, confirmantur omnibus antiquis & indubitatis monumentis; nec ullâ re, nec verbis ullis poteſt mendacio argui, cùm *nemo ſcriptorum*, ut aiebat Vopiſcus in Aureliano ſuo, *non aliquid mentitus* ſit, *quantùm ad hiſtoriam*.

De Bibliorum ſcripto æquiùs & veriùs dici poteſt, quod in libro 1. de Oratore Tullius dicebat de ſcripto, quo primariæ leges Romanorum continebantur. *Fremant omnes licèt, dicam quod ſentio, bibliothecas me-hercule omnium Philoſophorum, unus mihi videtur XII. tabellarum libellus, ſi quis legum fontes & capita viderit, & auctoritatis pondere, & utilitatis ubertate, ſuperare.* Sed pium obtundo lectorem, qui non eget hiſce argumentis, volens ſine

mo-

mora deduci in cognitionem libri, quem verè habet pro Dei verbo. Ut huic deſiderio ſatisfaciam, notionem præmittam librorum omnium quos ſacrum Volumen complectitur, noto enim generali argumento, ſive non ignorata prorſus re, omnis qui de illa habetur ſermo apertior eſt.

CAPUT II.

Enumerantur libri quibus conſtat ſermo divinus, & cujuſque libri brevis texitur hiſtoria.

Biblia Sacra complectuntur volumina Deo auctore ſcripta, quæ enarrant mundi creationem, lapſum primi hominum parentis, promiſſiones divinas de orituro hujus lapſus Reparatore. Donec autem iſte reparator, qui Meſſias appellatur adveniret, alterius fœderis mediator, & legis æquioris lator futurus, inierat Deus per manus Moyſis cum Hebræis fœdus, cumulans eos beneficiis, dum parebant legi ejus, & eo cultu illi deſerviebant; quem Moyſi præſcripſerat. Interea Deus mittebat Prophetas, qui ſpem facerent adventus Meſſiæ. Prima pars Bibliorum, quæ continet ea quæ obtigerunt Hebræis, in adventus Meſſiæ typum, ideo appellatur vetus fœdus, continens hiſtoriam fœderis quod olim Deus inierat cum Hebræorum progenie Iſraelitis; & ſumitur pro teſtamento, quod ut vim habeat, mors teſtatoris, ut loquitur Paulus, neceſſe eſt intercedat. Idcirco novum fœdus potiſſimum dicitur *Teſtamentum*, quia morte Chriſti confirmatum eſt: ſed nomen illud convenit & vetuſto fœderi, quod & firmatum eſt morte animalium, quæ fuit typus mortis Chriſti. Sic Biblia dividuntur in vetus & novum Teſtamentum. Iſtud appellatur Evangelium, quia attulit bonum nuntium

Meſſiæ

Meſſiæ adventus, qui à creatione mundi expectabatur. Utrumque totum eſt de Chriſto, quem vetus pollicebatur venturum, novum adveniſſe affirmat, & hunc eſſe Jeſum, natum ex Maria virgine. Inſtrumentum vel inſtrumenta, vel ſimpliciter, vel cum ſacri ac divini adjectione etiam ſancti Patres, ut Tertullianus, vocavere ſacras Literas. Scilicet *inſtrumentum* vox eſt uſitata apud Juris conſultos, qui ſic appellant omnem ſcripturam, quæ in pactis, conventiſque, ac rebus iis omnibus quas valdè certas, ratas, firmaſque eſſe oportet, inſtruit ac docet attentiùs. Prima pars veteris Teſtamenti ſolet appellari ab Hebræis lex: legem enim Dei, quam Deus in monte Sinai dederat, habet; à Græcis *Pentateuchus*, quia ſcilicet quinque libros ſive volumina continet, à πέντε *quinque* & τεῦχος *volumen*. Ex ordine enumerabo hos omnes libros.

Primum librum Bibliorum Græci interpretes *Geneſim* inſcripſerunt (γένεσις, *generatio* ſeu *ortus*) quòd contineat creationem & originem mundi, cœli, terræ, hominum, animalium, plantarum, omniumque quæ viſuntur. Hebræi verò *Bereſith* à prima totius libri dictione ſuo more appellarunt. *Bereſith* autem idem ſonat ac *in principio*. Geneſis non ſolum mundi ortum, ſed & progreſſus, mirabilemque MMCCCLXIX. annorum Dei gubernationem ad obitum uſque Joſephi pertexit. Nempe narrat originem rerum omnium, lapſum primi hominum parentis; quomodo Abel à Cain fratre occiſus ſit, & ejus loco natus Adamo Sethus. Sethi progenies ſancta fuit, & nomine filiorum Dei inſignita; Cain verò impia, & nomine filiorum hominum notata eſt. Cùm matrimonio utrique juncti ſunt, tunc prorſus humanum genus corruptum eſt; & hoc perdere ſtatuit Deus, obruens terras diluvio univerſali, à quo tamen Noe cum tribus filiis ſervavit. Turris Babel,

voca-

vocatio Abraham, incendium Sodomorum; Iſaaci nativitas, Abrahæ mors, matrimonium Iſaaci, ex quo nati Eſau & Jacob: quas uxores duxerit Jacob, ex quibus duodecim filios habuit; & inter eos Joſephum, qui à fratribus ſuis venditus, poſtea eos liberavit à fame. Hæc omnia in libro Geneſeos narrantur.

Secundus liber Græcè dicitur ἔξοδος, id eſt, exitus, ab inſigni liberatione filiorum Iſrael à ſervitute Ægypti; Hebraicè verò *veele ſemoth*, id eſt, *& hæc nomina*, à primis ipſius libri dictionibus nuncupatur. Continet autem duram populi Iſraelitici ſervitutem, ab ea liberationem, tranſitum per mare rubrum, divinæ legis promulgationem, ſtructuram & erectionem Tabernaculi, concinnationem ſupellectilium ejus, diſpoſitionem partium, quibus conſtabat, & approbationem Dei conſpicuis ſignis. Complectitur hiſtoriam rerum quæ geſtæ ſunt per CXLV. annos, à morte Joſephi ad erectum Tabernaculum. Exodus enarrat quibus portentis tandem Moyſes vicerit pertinaciam Pharaonis, qui captivos tenebat Iſraelitas.

Tertius liber *Leviticus* dicitur, quia leges ferè ejuſmodi complectitur, quæ *Levi* poſteris Sacerdotio admotis injunctæ ſunt divinitùs, ad obeundum publicum religionis cultum: nempè muneris Levitici diſpoſitionem continet, leges quæ ad ceremonias & officium Levitarum pertinent; ut ſunt holocauſta, & reliqua ſacrificiorum atque oblationum genera, ignis perpetuus, diſcrimen animalium mundorum & immundorum, in dictio feſtorum dierum, promulgatio anni Jubilæi, & alia quàm plurima, notatu digna, quæ in populo Dei dicta, factaq; ſunt intra unum menſem & dimidium, ab erecto videlicet die prima menſis primi anni ſecundi Exodi Tabernaculo, ad menſem uſque ſecundum ejuſdem anni, in quo Deus juſſit Moyſem

cenſum

cenſum populi inire. Leviticus ab Hebræis vocatur *Torat hacohanim*, id eſt, lex Sacerdotum, vel *vaicra*, id eſt, *& vocavit*, à primo libri vocabulo, ut de aliis jam dictum eſt.

Quartum librum Græci ἀριθμοὶ, Latini *Numeros* inſcripſerunt, quod in ipſa fronte Moyſes & Aaron ex juſſu Dei cenſeant populum; nempe ineant populi numerum tributim. Hebræi, ut ſuperioribus libris, ita huic quoque nomen impoſuerunt à prima voce *vaiedaber*, id eſt, *& loquutus eſt*. Continet autem res geſtas & leges promulgatas à ſecundo menſe anni ſecundi poſt exitum ex Ægypto, uſque ad initium menſis undecimi anni quadrageſimi, id eſt, hiſtoriam annorum ferè triginta novem, cenſum populi, ordinem & ſitum caſtrorum, munera Aaronidarum, leges de immundis & zelotypia, de Nazareatu, de oblationibus principum, de conſecratione Levitarum, de Paſchatis celebratione. Narrat murmur Iſraelitarum, ob tædium itineris & mannæ faſtidium; quomodo murmurationis conſcii fuerint Aaron & Maria: quando miſſi exploratores in terram Chanaan; & quomodo, Core, Dathan & Abiron contra Aaronis ſacerdotium murmurantibus, confirmaverit illud Deus, florente ſolius Aaronis virga. In eo libro ponuntur leges de vacca rufa: murmuratio ob penuriam cibi & potus continetur; quam ſtatim ſecuti ſunt immiſſi in caſtra Iſraelitarum ſerpentes. Tunc & contigit hiſtoria Prophetæ Balaam, qui advocatus à rege Madianitarum ut malediceret Iſraelitis, contra benedixit, Deo ſic volente, & celebre edidit vaticinium de orituro Meſſia ex gente Iſraelitica. Enumerantur quadraginta deſerti ſtationes.

Quintus liber *Deuteronomium* dicitur, à δεύτερος *ſecundus*, & νόμος, *lex*: quaſi dicas ſecundam, ſeu ſecundariam legem, vel potiùs iteratam legem. Non enim alia eſt ab ea, quæ in monte Sinai data eſt; ſed

ſed eadem denuò repetita coram filiis eorum, qui poſt primam promulgationem perierant in deſerto. Hebræi, ſuo more, à primis dictionibus, *Hellehaddebarin*, id eſt, *hæc ſunt verba*, hunc librum inſcripſerunt. Deuteronomium, inquam, appellatur hic liber quintus, quia, ut dicit B. Athanaſius, repetit & declarat, ſive iterat Moyſes quidquid prædictum erat in Exodo, Levitico, & Numeris, omnia legitima, juſtificationes & præcepta, & populum obſervantiæ earum admonet. Incipit Legislator à brevi narratione rerum præteritarum: mox hortatur populum ad legis obſequium, quam diligenter repetit & explicat; proſequens res geſtas ab initio undecimi menſis, juxta calculos Lancellotii, uſque ad ſeptimum diem menſis duodecimi anni illius qui ab exitu quadrageſimus eſt. Nam ſermo nomine Dei ad populum factus, qui initio libri narratur, contigit primo die undecimi menſis anni ab Exodo quadrageſimi. Mortuus eſt autem Moyſes, ut narrat Joſephus, ultimo anni menſe, & juxta caput XXXIV. Deuteronomii eum mortuum defleverunt Iſraelitæ in campis Moabitarum triginta diebus, adeoque toto menſe duodecimo.

Horum quinque voluminum Moſes auctor eſt; illa enim ſcripſiſſe adſtruitur in Exodo (*cap.* 24.) & in Deuteronomio (*cap.* 31.) Octò verò poſtremos verſus Deuteronomii, ubi de morte & ſepultura Moſis agitur, nonnulli credunt additos ab Eſdra; alii hæc Joſue ſuppleviſſe: tametſi Joſephus afferat quòd Moſes mox moriturus ſeipſum in ſacris voluminibus mortuum ſcripſerit, veritus ne propter excellentes virtutes ſuas Judæi ſe à Deo raptum prædicarent.

Poſt Pentateuchum ſequitur liber inſcriptus *Joſue*, qui ab ipſomet conſcriptus putatur. Continet res ab illo geſtas, à morte Moyſis uſque ad mortem ipſiuſmet Joſue: quin & res quæ non contigerunt niſi eo mortuo; quapropter non potuere ab illo deſcribi.

Deus

Deus non deſeruit Iſraelitas, nec ſivit errare ſine duce. Mortuo Moyſe, Joſue fidelis ejus miniſter, qui ſub eo didicerat artem qua regendus populus Dei, huic præfuit, & dux ejus factus, Dei juſſu, induxit Iſraelitas in terram promiſſam. Tempus per quod geſſit Joſue quæ continentur in libro ſuo, vulgo cenſetur decem & ſeptem annorum. *Joſue* Hebræis idem ſonat quod *ſalvator* Græcis. Illud LXX. exprimunt hiſce characteribus Ἰησοῦς Jeſus. Filius erat Nun, quem Græci Ναυῆ *Nave* vocant. Statim miſit exploratores, quos excepit Rahab meretrix. Tranſivit Jordanem miraculo ſiccatum. Circumcidit Iſraelem in Galgalis, phaſe celebravit; & tunc deficiente manna, Iſraelitæ cœperunt comedere de fructibus terræ. Terram Chanaan occupant, evertunt Jericho. Achan qui de anathemate hujus urbis quidpiam furatus fuerat, juſſu Domini lapidatur. Rex Hai ſuſpenditur. Gabaonitæ ſe dedunt populo Dei. Joſue plurimos reges vicit, & tandem partitur terram inter tribus Iſrael. Aſſignat refugii civitates, & quæ eſſent Levitis propriæ. Ad ſervanda Dei præcepta, & cavendam cum gentibus ſocietatem, Iſraelitas cohortatus moritur.

Liber, qui excipit librum Joſue, dicitur ***Judicum***. Nimirum poſt mortem Joſue Deus excitavit ***Judices***, qui ſub hoc nomine rexerunt, & ſervaverunt Iſraelitas. Dicti Hebræis *ſophetim*. Indè Punicum vocabulum *ſuffetes*, quo Carthaginenſes conſules ſuos appellabant. Hi judices nulli erant humano judicio obnoxii: attamen non regia pollebant poteſtate; dicitur enim Judicum XVII. 6. *In diebus illis non erat Rex in Iſrael, ſed unuſquiſque quod ſibi rectum videbatur, hoc faciebat*. Horum, qui eligebantur in Judices, præcipuum munus erat aſſerere libertatem populo Dei; imperium autem eorum procul omni pompa manſuetum & civile. Non ergo monarchæ

cen-

cenſendi, ſed paſtores, conſules, præſides liberi populi; quoad externa partim à civibus differentes. Aſſerta libertate populi, ad priſtinam vitam redibant.

Poſt Joſue, numerantur tredecim Judices, puta, Othoniel, Aod, Samgar, Debora propheriſſa (unà cum Barac) Gedeon, Abimelech, Thola, Jair, Jephte, Abeſan, Ahialon, Abdon, & Sanſon. Liber Judicum refert ſtatum reipublicæ ſub illis judicibus à morte Joſue ad Sanſonis mortem, & exhibet ſervitutes varias quibus Deus peccata Iſraelitarum caſtigabat. Sub finem verò aliqua habentur exempla, quibus oſtenditur, quàm corruptis moribus, & ad idololatriam fuerint illi propenſi; ut hiſtoria Michæ de tribu Dan, qui conducto Levita in ædibus ſuis colebat idola. In eodem Judicum libro refertur impium & violentum facinus Benjamitarum, qui uxorem cujuſdam Levitæ ſtupro violaverunt. Quod ut ulciſcerentur cæteræ tribus, iniere prælium cum tribu Benjamin, quam internecione ferè deleverunt. Liber Judicum continet acta per annos CCCXVII. cum ſinguli annorum numeri, quorum mentio eſt, colliguntur & rectis calculis numerantur. Etenim obſervandum Hebræos frequentiùs uti numero cardinali pro ordinali; ideo ubi *quadraginta* vel *octoginta* annis terram quieviſſe dicitur, id intelligendum de *octogeſimo*, vel *quadrageſimo anno*, ab ultima pacta pace annos ſcilicet dinumerando. Quod cum ita fiet, invenietur in libro Judicum ſpatium CCCXVII. annorum comprehendi: ab anno ſcilicet mundi MDLXX. ad annorum MMDCCCLXXXVII.

Libellus dictus *Ruth*, eximiæ pietatis & divinæ providentiæ ſingulare exemplum exhibet. Hiſtoriam Ruth Judicum tempore contigiſſe in ipſo libri initio ſignificatur. Exorta fames in terra Iſrael coegerat Elimelech Bethleemitem cum Noemi uxore & duobus filiis, quos ex illa ſuſceperat, abire ad Moabitas.

Ibi

Ibi mortuus eſt Elimelech, & filii ejus nupſerunt quique Moabitidi, quarum una appellabatur Ruth. Mortui ſunt illi ſine prole; quare Noemi cogitavit de reverſione in patriam. Ruth ſocrum piè ſubſecuta uſque Bethlehem, ſecundis nuptiis juncta eſt cum Boozo prædivite, ad quem pertinebant hæreditario jure bona filiorum Elimelech; ideo lege Dei tenebatur, hanc in conjugem accipere. Ex his nuptiis natus eſt Obed Davidis avus, juxta genealogiam Matthæi. Terra promiſſa coli cœpta eſt anno mundi MMDLX. poſt quem annum Salmon nupſit Rahab meretrici. David natus eſt anno mundi 2919. Ita inter ingreſſum terræ promiſſæ uſque ad Davidem elapſi ſunt circiter 360. anni aut 366. quos Heideggerus in Enchiridio ſuo Biblico ſic commodè diſtribuit, ut Rahab anno poſt ingreſſum in terram Chanaan 42. ex Salmone Boozum: Boozus Obededom ex Ruth anno ætatis 102. (adeòque circa tempus Samgaris, qui Eudi ſive Aod ſucceſſit, anno poſt ingreſſum in terram Chanaan 128.) Obededom Jeſſen anno 111. Jeſſes Davidem anno etiam 111. genuiſſe dicantur. Libros Judicum & Ruth dicunt collectos alii à Samuele, alii ab Ezechia, alii ab Eſdra. Judæi numerant librum Ruth inter quinque *meghiloth*, id eſt, libellos qui per annum legi in feſtis ſolent. Illi ſunt Canticum, Ruth, Threni, ſive lamentationes, Eccleſiaſtes, Eſther.

Quatuor libros qui ſequuntur, Græci appellant *βασιλειῶν*, id eſt, *Regnorum*, ut à quibuſdam Latinis nuncupati ſunt; quòd de duodecim tribuum regno, primùm integro, poſtea diviſo, tractent. Plerique tamen Latini *Regum* dicere maluerunt, quòd præpoſita tantùm Samuelis hiſtoria, quæ & ipſa ad dignoſcendam originem inſtituti regni erat neceſſaria, cætera ad Regum facta pertineant. Hebræi verò duo tantùm poſteriores *Regum* appellant, priores Sa-

muelis nomine inſigniunt; cujus hæc eſſe potuit ratio, quòd & hiſtoriam duorum Regum à Samuele unctorum contineant, & quæ tam in hoc de Saule, quàm in altero de Davide referuntur, Samuelis vera eſſe vaticinia comprobent.

Horum ergo *Regum* primus res geſtas narrat ſub judicibus Heli & Samuele, nec non ſub rege Saule, & per ſpatium annorum 101. extenditur; ab anno ſcilicet Heli primo, qui eſt mundi 2848. ad mortem Saulis, quam anno 2949. adſcribimus. Secundus liber Regum res geſtas à morte Saulis ad finem uſque Davidici Regni deſcribit, annorum circiter XL. hiſtoriam exhibens. Hi duo primi libri Regum, ſive duo libri Samuelis creduntur conſcripti partim ab ipſo Samuele, partim à Nathan & Gad prophetis, ut conjicitur ex calce primi libri Paralipomenorum, ubi allegantur quaſi ſcriptores geſtorum Davidis.

Tertius liber Regum, qui ſecundùm Hebræos primus eſt *Melachim*, id eſt, *Regum*, incipit à Salomone, præmiſſa tantùm narratione, qua oſtenditur quomodo ad Regnum ipſe pervenerit. Regno deinde in duas partes ſciſſo, quatuor regum Juda & octo regum Iſrael res geſtas pertexit: tota verò libri hiſtoria annos complectitur CXXVI. è quibus priores XL. Salomonis fuerunt: Cæteri reliquorum regum, tum Judæ, tum Iſraelis. Denique quartus liber, ſive ſecundus Regum ſecundùm Hebræos, continet res geſtas ſexdecim Regum Juda, & duodecim regum Iſraelis, & prophetarum, qui ſub illis vixere. Tertii & quarti libri Regum ignoti ſunt auctores. Ab Eſdra aut à Jeremia qui dicunt ſcriptos, nullo certo nituntur argumento. Veriſimile eſt per compendium fuiſſe collectos ex variis diariis, quæ tunc temporis nota erant.

Græci libros illos qui in Latinis & Græcis Bibliis ſequuntur, appellant *Paralipomenon*, hoc eſt, *prætermiſ-*

miſſorum; quòd ibi nonnulla in Pentateucho, & in libris Joſue, Judicum, Samuelis & Regum, aut omiſſa, aut breviùs dicta repetunt & repræſentant. Iidem libri chronica inſcribuntur, quia in illis narratur quo ferè tempore quidque geſtum ſit. Hebræi eos appellant *dibre haiamin*, id eſt, *verba dierum*, quòd ex Regum diurnis excerpti ſint: Dies ſæpiùs ſumitur pro anno in ſacris Scripturis; ſic *verba dierum* annales ſunt: nempe ſunt Ephemerides, ſive geſta diurna. Unus eſt autem Paralipomenon ſive Chronicorum liber apud Hebræos, id eſt, non in duos libros dividitur, ut apud Græcos & Latinos. Huncce librum ab Eſdra ſcriptum conſtans fama ſemper obtinuit. In horum autem priore, propagatio gentis Iſraeliticæ ab Adamo ad reditum uſque à captivitate breviter recenſetur. Deinde repetita à Davide hiſtoria, ejus regnum accuratiùs deſcribitur, ad Salomonis uſque unctionem, hoc eſt, ad annum mundi 2990. In ſecundo libro hiſtoria annorum 479. texitur; ab anno ſcilicet mundi 2990. ad annum 3468. cùm finitis LXX. annis captivitatis, Cyrus Judæis redeundi poteſtatem fecit. Genealogiæ veterum tribuum & familiarum Iſraeliticarum ſub captivitate non parum confuſæ fuerant; ideò auctor horum librorum in Judæorum uſum has genealogias magno ſtudio indagavit, & conſignavit; tum ut gentes Iſraelitis per connubia inſertæ ab iiſdem diſtinguerentur: tum ut ipſæ tribus Iſraeliticæ in certis familiis ſuis poſt hac ſe continerent. Nobis multùm hi libri conducunt, ut aperta ſit Genealogia noſtri Salvatoris JESU CHRISTI, quomodo ortum duxerit ex Abraham & Davide.

Paralipomenon libros excipit ille liber qui Hebræis dicitur *Eſdras*, quo continetur ſeries hiſtoriæ Hebræorum, poſtquam in patriam à captivitate Babylonis reverſi ſunt. Ab Eſdra ſcriptore nomen eſt ſortitus.

titus. Ille, ut de ſe dicit capite octavo, ſcriba erat velox in lege Moyſis, nempe legis-peritus. Tertullianus & quidam alii antiqui ſcriptores tradunt illum Scripturæ libros à Chaldæis unà cum Templo exuſtos, reſtituiſſe. Verùm Chaldæi non omnia exemplaria combuſſerant, ſiquidem Daniel legebat Jeremiam poſt Templum incenſum. Series hiſtoriæ hoc libro comprehenſæ eſt annorum circiter LXXXII. ab anno ſcilicet mundi 3468. quo Cyrus, Cambiſe patre in Perſia & Cyaxare ſocero in Media vita functis, orientis monarchiæ potitus eſt, ad annum 3550. qui fuit vigeſimus regni Artaxerxis illius, qui Longimanus dictus eſt.

Liber *Nehemiæ*, qui & *Eſdræ ſecundus* dicitur à Nehemia ſcriptore nomen accepit. Vidit hic Eſdram, eique ſuperſtes fuit, ex cujus conſilio animum ad ſcribendum applicuiſſe dicitur; undè etiam Eſdræ ſecundus dictus liber. Continet autem inſtaurationem Jeroſolymorum, correctionem reducis populi, & labentis Dei cultus renovationem. Hiſtoria eſt annorum circiter XXXI.

Poſt generalem hiſtoriam Judæorum, ſequuntur libri in quibus enarrantur, non acta totius gentis, ſed quorumdam virorum & mulierum, ut Tobiæ, Judith, Eſther, Job. Liber cui *Tobiæ* nomen inſcribitur, continet eximiæ pietatis, ſingularis patientiæ, & Dei in ſuos providentiæ, præclara documenta, temporibus Salmanaſaris Aſſyriorum regis, ſub quo Tobias abductus eſt captivus cum pleriſque Iſraelitis.

In libro *Judith* celebratur præclarum facinus Judith, generoſæ fœminæ, quæ Holophernem interficiens liberavit Judæam. Tempus quo id contigerit, non conſtat: alii ante, alii poſt Judæos in captivitatem abductos. Ubi de auctoritate hujus libri diſſeremus, illam quæſtionem expendemus.

In li-

In libro *Eſther* legere eſt quæ pro Judæis popularibus ſuis hæc mulier perfecit; quomodo per illam Deus univerſam Judæorum gentem jamjam perituram ſervaverit, & Aman, qui excidium illius inſidiosè machinabatur, percuſſerit. Res contigit in diebus Aſſueri regis Perſidis. Quis ille ſit, an Darius Perſa, an Darius Medus, an alius, incertum eſt. Veriſimiliùs conjectant, qui opinantur Aſſuerum maritum Eſther fuiſſe Darium Hyſtaſpis. Valerius Maximus libro nono memorat inter reges Perſarum, quemdam Ochum poſtea dictum Darium, qui ſeptem magos interfecerat. Ochus nomini Hebræo אחש reſpondere poteſt; auctum autem additamento regio, ut fieri ſolebat, factum אחשורוש *ahaſueros*, undè *Aſſuerus*. Omnia conveniunt in Darium Hyſtaſpis, qui occidit magos.

Sequitur in Bibliis vulgatis liber *Job;* quem etiam plerique Hebræi negant in rerum natura fuiſſe. Quæ de illo habet Scriptura, dicunt non veram eſſe hiſtoriam, ſed parabolam, ad patientiæ exemplar adornatam. *Prædives Job opibus: ſed eò illuſtrior, quòd his neque integris corruptus, neque amiſſis depravatus eſt*, inquit Sulpitius Severus. Quo tempore vixerit, & hiſtoria ejus ſcripta ſit, latet; niſi quòd ſatis liquet, nondum ſcripta lege, cujus non meminit. Quin multò antiquior Moſe cenſeri poteſt, quia vita ejus producta ſit ad ducentos annos; qui vitæ terminus tempore Moyſis contractior erat. Præterea quia ipſe tanquam pater-familias ſacrificavit, quod ſub lege, & poſt eam, non licuit; licebat priùs, Patriarcharum more. Patria ejus nec benè nota eſt. Certè vicina fuit Chaldæis; & vicini *Sabæi* in Arabiæ deſertæ parte magis aquilonari. Nominatur עץ *Utz* vel *Hus*. Tres in ſacris Literis nomine *Utz* inſigniuntur. Unus nepos Semi ex Aramo (*Geneſ.* 10. 22. 23.) cujus ſedes fuit in Aramæa ſive Syria; quique jam

X 3 olim

olim conditor Damaſci & Trachonitidis creditus, Alter filius Nachor (*Geneſ.* 22. 21.) cujus regio dicta *Utz*, *Uſitis* vel *Auſitis*, poſteri *Auſitæ*, Arabiæ deſertæ incolæ. Poſtremus ex gente Horæorum (*Geneſ.* 36. 28. *Deut.* 11. 12.) qui poſt ab Idumæis ſunt expulſi. Patriam Jobi *Utz* à ſecundo illo dictam, adeoque nec Syriæ, nec Idumeæ, ſed Arabiæ deſertæ, inde docti colligunt, quòd ſola illa regio *Utz* ſeu *Aus*, *Auſitis* nuncupetur, à primo ſcilicet fundatore Utzo: Trachonitis verò nuſpiam terra *Utz*, ſed terra *Galaad*, *Baſan*: Idumæa etiam non terra *Utz*, ſed terra *Edom*, *Seir*, *Theman*. Job natus videtur ex poſteris vel Nachor fratris Abraham, cujus filius *Utz* ille fuit, à quo *Auſitis*; vel ipſius Abraham, per filium aliquem ex Cetura genitum.

Deinde ſequuntur in Codice ſacro libri, qui ſpectant mores. Primus ex illis occurrit liber *Pſalmorum*; proximior hiſtoricis, ad quos etiam referri poſſet: enarrantur enim in illis Dei geſta; & quaſi breviarium eſt rerum quæ hactenus fieri contigerant. Hebræi hunc librum appellant *ſepher thehillim*, hoc eſt, *librum laudum*, nempe Dei. Græci appellant ψαλμὸς & ψαλτήριον, à ψάλλω *leni motu percutio*. ψαλτήριον inſtrumentum eſt quo pſallitur, cujus percuſſi ſonus propriè ψαλμὸς *pſalmus* dicebatur. Canebant Judæi cantiones ſacras ad pulſum citharæ vel nabli. Pſalmorum liber unicus eſt apud Latinos, ſed in quinque partes diſſectus apud Hebræos; quarum unaquæque hac clauſula terminatur, *fiat*, *fiat*, Hi omnes Davidis dicuntur, non quòd is omnium ſit auctor, ſed quòd multos veterum Vatum collegerit, (aiunt enim & aliquos à Moyſe decantatos) & plurimos ipſe addiderit. Præterea quidam ſunt poſterioris ætatis, quorum Eſdras & alii auctores feruntur. Qui illi fuerint, ſcire non ſatagimus. Etenim quod de libro Job dicebat Gregorius Magnus: *cùm rem cognoſcimus, qui ſcri-*

ſcriptorem quærimus, quid aliud agimus, niſi legentes literas de calamo ſatagimus?

Sequitur liber Græcè παροιμίαι, id eſt, *Proverbia* dictus & Hebraicè *Misle*. Nomen Hebræum propriè ſignificat parabolam, ſive comparationem, etiam egregium & præcipuum dictum, à verbo *Maſchal*, quod eſt, *dominari, ſimul & aliquid ſimilitudinis habere*. Ergo per illa proverbia licet intelligere ſententias breves, acutas, ſimilitudines quæ rem propoſitam illuſtrant, ſymbola qualia ſunt Pythagoræ ænigmata, quæ quidpiam occultum ſignificant, & proverbia, quæ ut plurimùm vero veriora experire eſt. Hæc omnia quæ occurrunt in hoc-ce libro, reputantur ſapientum verba. Ipſe Salomon in tertio libro Regum cap. III. dicitur locutus tria millia parabolarum. Auctor ergo cenſeri poteſt plerorumque horum Proverbiorum. Forſan de ſe loquitur cap. XXX. *verba congregantis* & cap. XXXI. *verba Lamuelis regis* &c. Quamvis aliter videatur viro perito, cujus ſenſum capite ſequenti proferam.

Liber *Eccleſiaſtes* dicitur Hebræis *Coheleth*, à verbo *Cahal*, quod eſt, *Convocavit*: qui concionem ſive Eccleſiam advocavit. Eccleſiaſtes nomen eſt Græcum ejuſdem ſignificationis Ἐκκλησία *concio* & *concionis locus*. Ipſe Salomon, ſive nondum peccator, ſive pœnitens, in hoc libro concionatur de rerum mundanarum vanitate; quas ut in contemptum adducat, loquitur de homine, quaſi perinde & animalia moreretur. Sic premit tumentes animos.

Canticum Canticorum carmen eſt vocatum ab Hebræis *Sir Haſirim*, id eſt, *Canticum Canticorum*: quaſi diceres, nobiliſſimum carmen, ſeu excellentiſſimum Canticorum. Creditur eſſe nuptiale carmen, exprimens caſtos, jucundoſque complexus animorum. Sive potiùs totum myſticum eſt, exhibens argumentum incomprehenſibilis amoris Chriſti erga Sponſam

tuam, ac viciſſim Sponſæ erga Chriſtum Sponſum. Hæc legendo, decet revocare in memoriam quod dicit Paulus ſecundò ſcribens Corinthiis cap. 11. 2. *Æmulor enim vos Dei æmulatione. Deſpondi enim vos uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.* Teſtatur ſe zelo Dei æſtuare, ut fideles Corinthios uni viro Chriſto ſiſtat, tanquam virginem caſtam. Ad legendum ſpiritualis amoris carmen, qui non amat ſpiritualiter, fruſtra accedit; quia non poteſt capere ignitum eloquium frigidum pectus. Idcirco illud canticum, nec principia Geneſeos Judæis legere licebat, ante annum trigeſimum, ut nos docet Hieronymus. Animadvertendum autem illum libellum, de quo loquimur, eſſe *dramaticum*, id eſt activum. Scilicet ſcriptor non ipſe loquitur; ſed inductæ perſonæ agunt & loquuntur: ita ſpecies quædam eſt *Dramatis*. Librum illum Salomon videtur compoſuiſſe, poſt conſtructam in ſaltu Libani domum æſtivam, *veni de Libano, veni coronaberis* (*cap.* 4. *v.* 8.) Nullus in hoc opere de moribus ſermo eſt; nec Deus ſemel nominatur.

Subſequitur *Sapientiæ liber*, ſic dictus quòd de Sapientia tam Increata quam creata tractet. Apud Græcos inſcribitur *Sapientia Salomonis*, non quia ipſe librum ſcripſerit, ut aliqui opinati ſunt, ſed quia ſententiarum quæ in eo ſunt ſaltem ac ſenſuum auctor ſit. Nam vulgò creditur ſcriptum fuiſſe à Philone Alexandrino, qui vixit ſub Claudio & Caio Imperatoribus. Plerique tamen opinantur ſcriptorem libri Sapientiæ Philone Alexandrino antiquiorem.

Sapientiam excipit *Eccleſiaſticus*, ſic appellatus, ut placet Auguſtino, quia in Eccleſia legeretur. Etenim, ut ſuo loco dicemus, libri qui in Eccleſia legerentur, appellabantur Eccleſiaſtici, ad diſtinctionem eorum, qui propter majorem auctoritatem, appellabantur *Canonici*. Alii putant Eccleſiaſticum à Latinis inſcribi, ad imitationem ſimul & diſtinctionem libri Salo-

Salomonis, qui Eccleſiaſtes appellatur; complectitur enim ſimilia morum axiomata. Antiqui etiam πανάρετον vocant, quia de omni virtute præcepta tradit. Inſcribitur à Græcis, *Sapientia* Jeſu filii Sirach: à quo videlicet primùm Hebraicè hic liber ſcriptus eſt, deindè verſus in Græcum ab alio Jeſu, illius nepote vel abnepote; quo verò tempore, indicat prologus: *Ego autem*, inquit, *anno trigeſimo octavo Regis Evergetæ, poſtquam perveni in Ægyptum, & cum multùm temporis ibi fuiſſem inveni ibi libros relictos, non parva & contemnendæ doctrinæ*, quos mihi viſum eſt interpretari.

Omne vetus Teſtamentum haberi poteſt pro venturi Meſſiæ vaticinio: ita omnes libri ſunt vaticinia & prophetiæ. Sed hoc-ce nomine donantur, quæ geſta & dicta continent quorumdam virorum, quos Spiritus Dei afflaverat, ut prænuntiarent quæ ſub Chriſto eſſent ventura. Hunc ſemper intuebantur; ita ut verbis eorum ſæpè ſubſit duplex ſenſus, ſive vaticinii eorum argumentum ſit tum tempus præſens tum futurum. Prænunciabant rem proximè futuram; quæ eſſet vaticinium Chriſti adventuri. Primus, inquam, & obvius ſenſus accipiendus de re aliqua præſenti: Alter magis reconditus ad Chriſtum pertinet. Ita in vaticinio Iſaiæ de Virgine paritura, ut infra dicemus fuſiùs, proximè ſpectabat Propheta Virginem quam duxit, cujus partus eſſet regi Achab ſignum proximæ liberationis; ſed portenderet alium partum qui verè portentum eſſet, & ſignum verioris liberationis. Non ambigi poteſt, quin Iſaias intuitus fuerit Mariam Virginem & Chriſtum prolem ejus; ita meritò Matthæus huic vindicat celebre vaticinium.

Prophetæ in *majores* quatuor & *minores* duodecim vulgò diſtribuuntur. Majores dicuntur, quorum majora ſunt opera; Minores, quorum minora. Majores ſunt Iſaias, Jeremias, Ezechiel, Daniel. Cum

Jere-

Jeremia conjungitur Baruch, qui huic Prophetæ officium ſcribæ præſtitit. Threni θρῆνοι, id eſt, *lamentationes* Jeremiæ faciunt libellum. Harum lamentationum argumenta ſunt deſtructio urbis Jeruſalem & captivitas populi. Numeris quibuſdam aſtringuntur, per alphabetum digeſtæ omnes; hoc cum diſcrimine, quòd primum, ſecundum & quartum caput ſingulis literis ſingulos dant verſus, Caput tertium tertios.

Minores prophetæ in uno volumine continentur propter brevitatem ſuam, quod appellatur ab Hebræis *threaſar*, Chaldaicum nomen, idem ſonans quod *duodecim*. Minores prophetæ ſunt Oſee, Joel, Amos, Abdias, aliis dictus Obadias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, aliis Zephanias, Aggæus, Zacharias, Malachias.

Poſt Prophetas ſequuntur libri *Macchabæorum*. Illi referunt quæ à Macchabæis geſta ſunt. In hiſtoria Gentis vidimus Macchabæos ſic dictos, quia in vexillo haberent literas, à quibus incipiunt nomina hujus ſententiæ, *quis ſicut tu Deus inter deos*. Duos admittit Eccleſia in Eccleſiaſticum canonem libros Macchabæorum. Primus continet bella Domini, quæ adversùs impias gentes, Antiocho Epiphane, & Eupatore, Demetrio Sotere, Alexandro Epiphane ſeu potiùs Epimane, Demetrio Nicanore, & Antiocho Sidete regibus, Eccleſiam perſequentibus, Heroes Aſſamonæi, pontifices ſimul & principes, puta Matthatias & filii ejus tres, Judas Macchabæus, Jonathan & Simon, unus poſt alterum geſſere. Matthatiæ proavus à Joſepho nuncupatur Aſſamonæus, indè qui à Græcis & Latinis Macchabæi, ab Hebræis appellantur Aſſamonæi. Nomen illud occurrit in Pſalmis, & indicat viros primarios, principes; quod ergo ob præclaras virtutes ſuas Macchabæorum genti tributum ſit.

Primo libro Macchabæorum alter adjungitur, qui dici-

dicitur ſecundus, non quòd hiſtoriam Macchabæorum in libro primo ad Joannis Hircani tempora uſque productam continuet, quod fieri tamen intererat, ſed quòd quædam Macchabæos concernentia complectatur; adeòque *alius* potiùs quàm *ſecundus* dici meruerat.

Paucis verbis perſtringam quæ ſpectant libros quibus conſtat *Evangelium*; nemini enim Chriſtiano id poteſt eſſe ignotum. Evangelium continet primò quatuor Evangeliſtas, Matthæum, Marcum, Lucam, Joannem, à quibus potiſſimùm deſcriptus eſt adventus Domini noſtri JESU CHRISTI. In opere eorum maximè deſcribitur Evangelium, nempè illud bonum nuntium, quod à tot ſæculis expectabatur de Adventu Meſſiæ in terras. Ideò prima pars Evangelii id ſibi vindicat, ut propriè *Evangelium* nominetur. Subſequuntur *Actus Apoſtolorum*, ſcilicet hiſtoriæ Apoſtolorum à morte Chriſti per annos circiter triginta.

Deinde *Epiſtolæ* Beati *Pauli*, una ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, duæ ad Theſſalonicenſes, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos. Poſtea ſequuntur *Epiſtolæ Catholicæ*, id eſt, ad omnes miſſæ, non ad quemdam virum, aut Gentes quaſdam. Una eſt Jacobi: duæ Petri, tres Joannis, una Judæ Apoſtolorum. Denique in ea parte Bibliorum, quæ novum fœdus conſtituit, continetur *Apocalypſis* Beati Joannis Evangeliſtæ, hoc eſt, revelatio Arcanorum quæ Deus illi patefecit.

CA-

Viginti duo, ſive viginti quatuor libros veteris fœderis iterum dividunt Judæi in tres partes, ſcilicet in Legem, Prophetas, & Hagiographa ſive ſancta Scripta. Omnes libri quibus conſtat Scriptura ſunt ſacri; ſed cùm aliud nomen quo tertia pars diſtingueretur, non illis ſuppeteret, hujus partis Libros appellavere *Ketuuim*, id eſt, *ſcripta*, per emphaſim intelligentes, hoc eſt, *ſacra ſcripta*, ut loquuntur Græci, Hagiographa. Ad illam diviſionem Chriſtus forſan reſpiciebat apud Lucam (*Cap.* 24. *v.* 44.) dicens, *Quoniam neceſſe eſt impleri omnia quæ ſcripta ſunt in Lege Moyſi, & Prophetis, & Pſalmis de me.* Librum autem Pſalmorum nominat pro quocumque Sancto Scripto. Lex continet quinque libros Moyſis. Prophetæ habent octo libros; in ſecunda etenim claſſe, complectuntur quos priores Prophetas appellant, ut primus liber hujus claſſis ſive Prophetarum ſit liber Joſue, ſecundus Judices, cui libro aliquando connectitur Ruth, tertius Samuelis quem nos Regum primum & ſecundum dicimus, quartus Regum qui tertio & quarto Regum volumine continetur. Sequentes Prophetas appellant poſteriores. Claſſis poſteriorum Prophetarum, quintus eſt Iſaias, ſextus Jeremias, ſeptimus Ezechiel. Octavus verò liber continet duodecim minores Prophetas. Sic advertit lector inter Prophetas Danielem non recenſeri: Tertius denique ordo Hagioprapha, id eſt, Sacra Scripta continet, quo nomine cæteros libros ſacri Codicis ſignificant. Primus Hagiographorum incipit à Job, ſecundus à Pſalmis Davidis, tertius habet Salomonis parabolas, quartus Eccleſiaſtem, quintus Canticum Canticorum, ſextus Danielem. Jam diximus hunc eximi à Judæis è numero Prophetarum, quanquam illi agnoſcant hominem eſſe à Deo inſpiratum; edidit enim clara vaticinia tum de Meſſia, tum de eventibus; undè merito à Chriſto appellatur Propheta:

ſed

ſed ſic placuit Judæis. Rationem hanc reddit Maimonides inſulſam, cur inter Prophetas non eum numerent, quia, inquit, Danieli non vigilanti & benè compoſito, ſed per obſcura ſomnia obtigerint revelationes. Septimus liber Hagiographorum habet verba dierum ſive Chronicorum, qui liber apud nos inſcribitur Paralipomenon primus & ſecundus: Octavus hujuſ-ce claſſis eſt Eſdras; nonus Eſther.

Sunt qui velint olim à Judæis dictos peculiari ratione Prophetas, qui certo adſcripti collegio, ſcriptis commendarent acta publica; quorum ergo ſcripta numerabantur inter libros Prophetarum, etiam ſi vaticinia non continerent: quales ſunt libri Joſue & Judicum. Contra verò qui Collegii prophetici viros non haberent auctores, quanquam annuntiarent futura, eximebantur numero librorum propheticorum. Nos cum Judæis & Græcis numeramus centum quinquaginta pſalmos; Græci verò & Latini in eo diſcordant ab Hebręis, quia in verſionibus ſuis nonum pſalmum conjungunt cum decimo, & ne numerus deficiat, pſalmum CXLVII. in duos dividunt.

Hæ ſunt generales diviſiones veteris inſtrumenti. Porrò Pentateuchus dividitur à Judæis in *Paraſchas*, ut loquuntur, id eſt diſtinctas ſectiones, eaſque vel majores vel minores. *Paraſchæ* majores ſunt penſa hebdomadaria lectionum legis, numero quinquaginta quatuor, quia, ut diximus, ſingulis annis Pentateuchum legendo tenentur Judæi abſolvere, finem facientes in feſto Tabernaculorum, à ſequenti Sabbato ſumunt initium annuæ lectionis. In noſtro quidem Kalendario non ſunt ultra quinquaginta duæ ſeptimanæ. Igitur annuo ſpatio ſufficerent quinquaginta duæ *Paraſchæ*, ſed Judæi rationem habuerunt anni intercalaris ſui, qui abundat uno menſe; undè in annis vulgaribus duas Paraſchas conjungunt. Paraſchæ minores ſunt minutiores interſectiones legis, ſive Paraſcharum

majo-

majorum, pro diverſitate materiæ. Paraſchæ autem tam majores quàm minores dividuntur in *petuchot*, ut loquuntur, id eſt, *ſectiones apertas*. Cæterùm Paraſchæ apertæ & quidem majores ſignantur tribus פפפ majoribus, ſive litera *phè* majoriter repetita, minores unico פ *phè* & minuſculo. Porro quælibet ſectio aperta nomen ſortitur à prima ſua voce. Sic prima Paraſcha totius ſacri Codicis dicitur *Bereſchit*, quæ prima vox eſt Geneſeos, & ideò totius Scripturæ. Aliæ Paraſchæ appellantur *Sethumot*, id eſt, *clauſæ*) & inchoantur in medio lineæ. Hæ Paraſchæ *Sethumoth* ſunt majores & minores. Quæ majores ſunt, ſignantur tribus majoribus ססס *ſamech*; at minores, unico ס *ſamech* minuſculo, ut videre eſt in pleriſque Bibliis Hebraicis.

Denique quælibet Paraſcha major ſubdividitur in ſeptem portiones, quoniam ſeptem ſunt lectores, quorum quilibet ſuum de Paraſcha legit penſum. Sacerdos, ſi adſit, primus legit; ſecundus Levita; deinde alii lectores, pro ratione dignitatis.

Singulis paraſchis reſpondent *haſtaræ*, ſive lectiones Propheticæ, ſic dictæ quia his lectis populus dimittebatur. Ea eſt enim vocis *haſtara* ſignificatio, quæ derivatur à verbo quod Hebræis idem ſonat quod *dimittere* Latinis. Hæc lubentiùs obſervo, ut appareat illam conſuetudinem in Eccleſia, legendi ſacrum Codicem, habere ſuum ortum ex antiquis Judæorum ritibus; tum etiam diſtinctionem illam lectionum & Canticorum nobis uſitatam, ſive morem tum pſallendi tum legendi. Chriſtiani imitati ſunt Hebræorum paraſchas in Evangeliis Dominicalibus, & haſtaras in Epiſtolis quæ leguntur in Miſſis, tum ex libris Prophetarum, tum ex aliis Scripturæ libris, ſed frequentiùs ex Apoſtolorum Epiſtolis. In Kalendario Hebræorum quod propoſuimus videre eſt ſingulis ſabbatis per menſem, quæ tunc paraſcha legeretur; & quæ

haphta-

haphtara huic Paraſchæ reſponderet. Sectiones medias Hebræi vocant *ſidras*, id eſt, ordines, ſeu ſectiones Paraſchis breviores, à Maſorethis adſcriptas libris Sacris, ut pro cohærentia aut diverſitate rerum per omnes libros veteris Teſtamenti, quibus communes ſunt, textus diſpeſcatur.

Altera diviſio eſt ſacri Codicis per capita, Hebræi appellant *perachim*, quaſi dicerent *fractiones*, *fragmina*. Quid Græci in Actis (*cap.* 8. *v.* 32.) intelligant per περιοχὴν τῆς γραφῆς, quod vulgatus Interpres reddit ſimpliciter *locum Scripturæ*, ambigitur. Alii putant indicari *Paraſcham*, alii *Haphtaram*. Ille locus allegatur de Iſaia Propheta, ubi Chriſtus dicitur ductus ad occiſionem tanquam agnus.

Diviſio ſacri Codicis per capitula inventum eſt Chriſtianorum, qui imitati ſunt Hebræos dividentes Pentateuchum in ſectiones. Poſtea ipſi Hebræi & illam diviſionem Chriſtianorum adoptaverunt. Diſtributio per capitula ab aliis refertur ad Hugonem Cardinalem; ab aliis ad Carolum Magnum. Reliqua diviſio textus eſt ratione verſuum, qui continuitatem ejus dirimunt, & in ſententias ſive perfectas ſive interciſas accentu quem Hebræi appellant *ſoph paſuch*, quæ diviſio ignota erat antiquitùs Hebræis; ut docet Elias Levita, obſervans librum legis fuiſſe ſcriptum ſine verſuum diſtinctione, qua adhuc caret in exemplaribus quæ in ſynagogis Judæorum, in Arca ſancta, ad lectiones ſolemnes Sabbaticas & feſtales aſſervantur. Attamen codices Judæorum fuiſſe antiquitùs diviſos per ſententias, commata, membra, & verſus, & intervallis quibuſdam diſtinctos innuere videtur B. Hieronymus in præfatione Paralipomenon & Iſaiæ. Dicit ad utilitatem legentium in translatione ſua ſervaſſe eaſdem commatum inciſiones & intervallorum diſtantias, quas in Hebræis codicibus invenerat.

Hic animadvertendum eſt ſectiones illas *Perachim* dici

dici *κεφαλίδας capitula*, nempe certas particulas, partes Scripturarum, quas nos *capitula* appellamus. Quod Hebræi nominant *meghilla*, hoc eſt, *volumen*, Græcis interpretibus dicitur *κεφαλὶς*: ſic Pſalmo trigeſimo nono, ubi canitur *Ecce venio*, *in capite libri ſcriptum eſt de me*, græcè eſt, *ἐν κεφαλίδι βιβλίου*: in fonte *in meghilla ſepher*, nempe *in volumine libri*. Sic ubi Ezechiel jubetur *comedere volumen*, Græci nomen *meghilla* reddunt *κεφαλίδα*. Veriſimile non eſt propoſitum Ezechieli omne volumen Bibliorum, quod comederet; ſed quoddam *peruſch fragmentum*, quampiam ſectionem, capitulum. Quæritur ergo quis ſit ſenſus verborum pſalmi, quæ Apoſtolus ad Hebræos interpretatur de Chriſto x. 7. *Ecce venio*, *in capite libri ſcriptum eſt de me ἐν κεφαλίδι* &c. Putavit B. Hieronymus illud capitulum eſſe Geneſeos principium, quod tale eſt, *Bereſchith* id eſt in eapite, in initio. Sed decet potiùs accipere verba Chriſti de volumine Scripturæ, quod totum eſt de Chriſto; & ideo ſicut in Evangelio dicit de Moſe, *de me ſcripſit*; ita de tota Scriptura; quaſi dicat in omni capitulo ſcripturæ de me agitur.

Libros novi fœderis ſtatim Chriſtiani, ut publicè commodiùs legi & intelligi poſſent in *περικοπὰς* ſectiones ſeu particulas majores, ejuſdem ſcilicet argumenti materias inter ſe connexas, & ſub uno quaſi communi titulo inter ſe comprehenſas, diſtinxerunt. In præcedenti libro, dum ageremus de lectionibus Scripturæ quæ fierent in ſynagogis, vidimus multo pretio redemptum honorem primarum lectionum. Qui inciperent legere, dicebantur voce Hybrida *Archipheretica*, id eſt, capitis ſeu ſectionis principes. Sectio, ut diximus, dicebatur *perek* פרק *perachim*, vel *pherecim* ſectiones. Horum archiphereticarum mentio fit in novella Juſtiniani, in qua agitur de Judæis. Et crebra eſt mentio in libris Eccleſiæ ſectionum quæ in Eccleſia legebantur à lectoribus, Diacono præmonen-

 te: *at-*

te: *attendamus*. Antiqua eſt novi Teſtamenti in verſus diviſio; ſed verſuum hodiernus numerus tum novi tum veteris fœderis tribuitur Roberto Stephano, cujus inventionis gloriam ei aſſerit Henricus Stephanus filius ejus in præfatione concordantiarum novi Teſtamenti. In manuſcriptis videre eſt alios aliter diviſiſſe Biblia.

Diviſiones Codicum novi Teſtamenti ideo diligentiùs obſervatę ſunt, quia ineunda erat concordia inter Evangeliſtas. Euſebius repererat quoſdam canones, ſive quaſdam regulas, quibus fieret iſta concordia, ad quam neceſſe erat, ut verſiculis quiſque Evangeliſta diſtingueretur, ut ſive privatim ſive publicè commodiùs legi & intelligi poſſent. Has *περικοπὰς*, ſectiones, quandoque Patres Græci appellant *ἀναγνώσματα* ſive *ἀναγνώσεις*, Latini *lectiones*; quia ſcilicet ſingulis diebus aliquot Evangeliſtarum & Apoſtolorum *περικοπαὶ* in ſacris cætibus legerentur. Ad quam rem conſtitutum fuit *ἀναγνωστῶν lectorum* munus, quorum mentio paſſim apud antiquiſſimos. Diacono enim clamante *πρόσχωμεν attendamus*, ſtatim lector textum ſcripturæ legebat. Singulæ ſectiones ſuos habebant titulos, ſive *ἐπιγραφὰς* inſcriptiones; Unde & tituli dicebantur. Diſtinguebatur etiam textus ſecundum *κεφάλαια*, *capita* ſeu *capitula*, ab ipſo textus librorum ordine ipſaque argumentorum varietate; ita ut *capita* dicantur, quod ex argumenti, rerum atque ordinis diverſitate, novum caput, novamque partem conſtituant, & intervallo, quodam ac literis majoribus diſtinguantur. Olim capitula breviora erant; ut videre eſt in antiquis ſcriptoribus, qui plura in ſingulis Evangeliſtis numerant. Quod Græcis dicitur Στίχοι Latinis *verſus*, minores ſunt diviſiones, à vertendo calamo ſic dictæ; quia continuo recurratur ad novam lineam, ſic verſibus diſtincta videatur oratio, & quaſi metris conſtare.

Græ-

Græci & Latini non rarò recenſent virorum doctorum ſcripta, non modò librorum numero, ſed etiam verſuum & linearum ſupputatione. Sic ſcribit Plinius lib. xxx. 1. Zoroaſtrem vicies centena millia verſuum ſcripſiſſe. B. Hieronymus dicit Hilarium in pſalmos ab Origene quadraginta fere verſuum millia mutuatum. Ille in Geneſi verſus ſupputat 4500. in toto Pentateucho verſus 7950. Vana, ut puto, religione in libro Legis laborant Judæi circa magnitudinem linearum in columna, circa numerum litterarum in linea.

Non opus eſt ut admoneam novum Teſtamentum dividi in libros hiſtoricos, qui de Chriſto & Apoſtolis agunt; nimirum quatuor Evangelia & actus Apoſtolorum; & didacticos; quales ſunt Epiſtolæ Pauli ad Eccleſias, vel certas perſonas, tum cæterorum Apoſtolorum Petri, Joannis, Jacobi, Judæ. Liber qui Apocalypſis inſcribitur, Propheticus eſt.

C A P U T IV.

A quibus, quo tempore, & qua lingua ſinguli libri ſacri ſcripti ſunt.

Conſtat libros omnes ſacros, dictante Spiritu Sancto, ſcriptos; ſcire autem juvat quorum lingua ſive ſtylo uſus ſit Spiritus Sanctus. Iis quæ circa hanc rem ſuprà diximus, addam quod Pentateuchum à Moyſe ſcriptum indicent complura loca ex Pentateucho. Inſuper aliis in libris adſtruitur hujuſ-ce libri auctor. Quæ contra objici ſolent, facilè ſolvuntur, nempe quòd in his libris enarretur mors Moyſis, & quæpiam eam ſubſecuta; quæ ergo non potuerit Moyſes mortuus ſcripto mandare: quòd regiones, urbes his appellentur nominibus, quæ non niſi poſt obitum ejus habuerint. Non diffitentur viri Orthodoxi ab Eſdra

& à viris primariis Eccleſiæ Judaicæ; quibus cura Librorum ſacrorum mandata erat, & collecti ſunt poſt reditum à captivitate, quidpiam additum ſive ad complendam ſive ad illuſtrandam hiſtoriam; quæ additamenta cùm primùm adnotata fuiſſent in margine, deinde potuerint irrepere in textum. Quin forſan inſerta ab Eſdra quando Biblia edidit: cujus generis ſunt, tum mors Moyſis, tum nova urbium ac regionum appellatio.

Hæc verba capitis 24. v. 26. quæ leguntur in libro Joſue: *ſcripſit quoque omnia verba hæc* Joſue *in volumine legis Domini*, ſignificare videntur eum eſſe auctorem voluminis, cui nomen ejus præſcribitur. Sunt tamen qui poſt tempora Salomonis ſcriptum opinantur. Ita loquitur libri ſcriptor, ut indicet tempus præteritum poſt rem quam enarrat; ut cum ſcribit juſſu Dei poſitos duodecim lapides ad ripam Jordanis, addit: *Et ſunt ibi uſque in præſentem diem*, cap. 14. 9. Quibus verbis ſæpiùs utitur. *Vocatum eſt nomen loci illius Galgala uſque in præſentem diem*. cap. IV. 9. Loquens de miraculo ſolis, qui immotus ſtetit ad imperium Joſue: *non fuit*, ait, *antea nec poſtea tam longa dies*. c. X. 14. nonnulla quoque huic-ce libro addi potuere vel ab Eſdra, vel ab aliis, qui Biblia tranſcribenda curarunt.

Libri Judicum auctor ignoratur. Pleriſque videtur quòd fuerit Samuel: ſed quiſquis ſcripſerit hunc librum, non attigerat regnum Davidis; ſcribit enim cap. I. 21. *Jebuſæum autem habitatorem non deleverunt filii Benjamin: habitavitque Jebuſæus cum filiis Benjamin in Jeruſalem, uſque in præſentem diem*. Ipſe eſt David, qui Jebuſæos expulit ex illa urbe.

Libellus Ruth ſcriptus videtur regnante Davide. Hiſtoria contigit *in diebus unius judicis*, *quando reges præerant*. Nomen Judicis non expreſſum eſt. Scriptor attexit genealogiam, quam uſque ad Davidem perducit.

Duo

Duo ſequentes libri, qui Græcis & Latinis dicuntur primus & ſecundus Regum, inſcribuntur ab Hebræis nomine Samuelis. Certè Propheta non ultra prima viginti quatuor capita primi libri ſcribere potuit; finis enim primi & totus ſecundus agunt de rebus poſt mortem ejus tranſactis. Quin & in primis capitibus multa ſunt, quæ alium auctorem arguunt.

Duos alios libros, quos Græci & Latini appellant tertium & quartum Regum, Hebræi verò primum & ſecundum, communis opinio tribuit Eſdræ; ſicut & Paralipomenon, quos ex diverſis ſchedis & commentariis poſt ſolutam captivitatem fuiſſe compoſitos veriſimile eſt. De horum librorum auctoribus juvat audire quæ dicit Theodoretus in præfatione ad libros Regum. *Plurimi fuerunt Prophetæ*, inquit, *quorum libros quidem non invenimus, nomina autem didicimus ex hiſtoria Paralipomenorum. Horum unuſquiſque conſuerat ſcribere, quæcumque contingebat fieri ſuo tempore. Atque indè eſt quòd primus Regnorum & apud Hebræos & apud Syros, nominatur prophetia Samuelis. Quod ei facile eſt cognoſcere, qui prædictum librum legere voluerit. Qui ergo Regnorum libros ſcripſerunt, ex ſcriptis illis accepta occaſione poſt plurimum tempus ſcripſerunt. Quomodo enim fieri potuiſſet, ut is qui vixit cum Saule aut Davide, ea ſcriberet quæ facta ſunt tempore Ezechiæ & Joſiæ & Nabuchodonoſoris, bellicam expeditionem & Hieroſolymorum obſidionem & populi captivitatem & tranſmigrationem in Babylonem, & mortem Nabuchodonoſoris? Eſt ergo perſpicuum, quòd unuſquiſque ex Prophetis ea conſcripſit, quæ geſta ſunt ipſius temporibus. Alii autem quidam cùm illa collegiſſent, compoſuerunt librum Regnorum. Et rurſum fuerunt aliqui alii hiſtoriographi eorum quæ ab illis fuerant prætermiſſa, qui de his conſcriptum librum appellarunt Paralipomenon, ut qui doceret ea quæ fuerant à prioribus prætermiſſa.*

Duo libri qui nomine Eſdræ inſcribuntur, olim pro

uno libro ab Hebræis habebantur, ut B. Hieronymus obſervat. Duos quidem diverſos auctores habent. Primus ſcriptus eſt ab Eſdra, qui factus eſt dux Judæorum, quibus liber in patriam reditus permiſſus eſt, anno Artaxerxis regis Perſarum ſeptimo. Complectitur hiſtoriam ſolutæ captivitatis, à primo anno Cyri uſque ad vigeſimum Artaxerxis Longimani. Nehemias ſcripſit ſecundum. Pincerna erat Longimani, à quo poteſtatem accepit, anno regni ejus vigeſimo, revertendi Hieroſolymam, & ædificandi eam. Liber ille ſecundus continet hiſtoriam à vigeſimo anno Longimani, uſque ad Darium Nothum ejus filium, qui anno mundi 3581. regnare cœpit. Etenim ille Darius Perſa, cujus mentionem facit Nehemias cap. 12. v. 22. non poteſt eſſe Darius Codomanus, ab Alexandro magno devictus, anno mundi 3674. ad quod tempus Nehemias ætatem non produxit. Occurrunt in libro primo Eſdræ quædam difficultates in Genealogiis, quas forſan Librarii inducere potuerunt: ſed in capite duodecimo ſecundi Eſdræ ſive Nehemiæ v. 22. mentio fit Jeddoa, qui ſi tunc Pontifex fuiſſet, meritò non haberetur pro magno illo Pontifice *Ἰαδδοῦς*, pro Jaddo, qui obvius factus eſt Alexandro magno, cùm venit Jeroſolymam: quippe quem Nehemias videre non potuiſſet; ab anno enim vigeſimo Longimani uſque ad Alexandrum magnum elapſi ſunt pluſquam centum anni. Verum non ibi dicitur de Jeddoa, ſive Jaddo, quòd tunc fuerit Pontifex: potuit naſci ſub fine regni Darii Nothi; ita attingere regnum Alexandri magni. Sed veriſimiliter quæ in hoc capite XII. uſque ad verſum 27. dicuntur, inſerta videntur; quia hiſtoria interpolatur ſerie Sacerdotum & Levitarum, qui venerunt Jeroſolymam cum Zorobabel. A vigeſimo autem & ſeptimo verſu pergit Nehemias loqui de muris Urbis reſtauratis: ſed addit in fine libri: *de filiis autem Joiada filii Eliaſib ſacerdotis magni, gener erat Sanaballat*

ballat Horonites, quem fugavi à me, Sannaballat il-le, qui non ſemel nominatur, alius cenſendus quàm qui centum circiter poſt annis, tempore Alexandri magni, in odium Judæorum & Templi Jeroſolymitani, aliud huic æmulum in regione Samariæ, in monte Gariſim, Templum extruxit.

Tobiæ librum, à quocumque ſcriptus ſit, veram continere hiſtoriam conſentiunt Judæi, licèt pro Canonico non habeant. Hujus autem auctor ignotus eſt, ſicut librorum Judith & Eſther, pariter & libri Job; cujus etiam ætas ignota eſt. Non omnes Pſalmos David cecinit, ut diximus; nec etiam Proverbiorum omnium & Eccleſiaſticis cenſetur ſolus auctor Salomon; à quo Canticum Canticorum ſcriptum ſatis convenit inter peritos.

Vir doctus viginti quatuor prima capita Proverbiorum ex 31. ex quibus conſtat Liber ille, tribuit Salomoni; quinque capita quæ ſequuntur, cenſet collecta ex ejus ſcriptis, per viros Ezechiæ, ut indicant prima verba capitis 25. quæ videntur inſtar procemii præpoſita his quinque capitibus 1. *Hæ quoque parabolæ Salomonis, quas tranſtulerunt viri Ezechiæ*. Nomen Ezechiæ hoc-ce 25. capite liquido enuntiatur, ænigmaticè verò in capite 30. quod vir doctus eidem Regi vindicat. 1. *Verba Congregantis, filii Vomentis: viſio quam locutus eſt vir, cum quo eſt Deus, & qui Deo ſecum morante confortatus, ait &c.* fons ſic redditur à Latino interprete; ab aliis ſic; *verba Agur, filii Jake: prophetiam dixit vir ad Ithiel & Uchal*. Aut juxta Vatablum; *verba Agur, filii Jake: prophetiam dixit vir ad Ithiel; ad Ithiel, inquam, & Uchal*. Sic duas voces fontis *Agur* & *Jake* Vatablus & alii accepere pro appellativis nominibus: Vulgatus interpres pro propriis, *verba congregantis, filii Vomentis*; quaſi hoc-ce caput indicaretur hujus eſſe, qui Congregans Hebraicè Agur dici poſſet. Ezechias multas collegerat

divitias. II. Paralip. 28 27. *fuit autem Ezechias dives & inclitus valde, & theſauros ſibi plurimos congregavit argenti*. Contra Achas pater Ezechiæ meritò dicitur *Vomens*; ita Ezechias *filius Vomentis*. Achas, ut dicitur 4. Reg. 16. 8. *cùm collegiſſet argentum & aurum, quod inveniri potuit in domo Domini, & in theſauris Regis, miſit Aſſyriorum regi munera*. Quaſi vomitu effudit divitias ſuas & II. Paralip. 28. 21. *Achas, ſpoliata domo Domini & domo Regum ac principum, dedit Regi Aſſyriorum munera*.

Ezechias noluit nomen ſuum adſcribere Libro ſacro, quia ipſe peccaverat contra Deum II. Paralip. 32. 25. Sed poſtea Deum ſibi conciliavit, & Deus fuit cum eo: ita ſe appellare potuit Ithiel איתיאל, id eſt, *cum quo eſt Deus*; ſimul Uchal אכל, quod nomen derivatur à Jachol יכול *potens fuit*; ſed ſatis agnoſcit Ezechias hanc habere potentiam à Deo II. Paralip. 32. 25. *Elevatum eſt cor ejus, & facta eſt contra cum ira, & contra Judam & Jeruſalem. Humiliatuſque eſt poſtea, eò quod exaltatum fuiſſet cor ejus, tam ipſe, quàm habitatores Jeruſalem; & idcirco non venit ſuper eos ira Domini in diebus Ezechiæ*.

Ultimum caput, nempe 31. ſic incipit: *Verba Lamuelis regis: viſio, qua erudivit eum mater ſua*. Vir doctus, cujus ſententiam profero, putat eſſe regem Manaſſem, qui ſucceſſit Ezechiæ, & ductus eſt captivus Babylonem. Nomen ſuum reticuit, quod odioſum erat propter peccata, quorum poſtea pœnitentiam egit. *Lamuel* nomen eſt Chaldaicum ignotæ ſignificationis. Ezechias doctus fuerat à Deo, *vir cum quo eſt Deus*. Manaſſes verò peccator de ſe dicit *Viſio qua erudivit eum mater ſua*, nempe ſynagoga Judaica.

Auctores librorum Sapientiæ & Eccleſiaſtici non certò cognoſcuntur, ſicuti librorum Macchabæorum. D. Hieronymus credidit à Philone Judæo compoſitam eſſe Sapientiam, quæ, inquit, redolet elegantiam Græ-

Græcam. Prophetiæ præferunt ſuos auctores, ſicut & libri qui in Evangelio continentur. Actuum Apoſtolorum Lucas ſe prodit auctorem in ipſo exordio. Diu eſt quòd diſputatur, utrum ipſe Paulus ſcripſerit Epiſtolam ad Hebræos. Alii eam adſcribunt Barnabæ, ut Tertullianus, alii Lucæ, alii Clementi. Sunt qui ſentiant diſpoſitionem ejus eſſe Pauli, ſed elocutionem Lucæ; & ideo nomen veri auctoris non prçferre, quia pleriſque Judæis erat ingratum. Cum de alicujus libri vero ſcriptore conſtat, notum qua ætate liber ſcriptus ſit, videlicet eo tempore quo ille ſcriptor vixit. Itaque quoad tempus quo ſinguli libri Bibliorum ſcripti ſunt, notum ex ætate qua vixere ſcriptores, quorum nomina præferunt: exempli cauſa, quo tempore Moyſes, Joſue, David, Salomon, Iſaias, Eſdras & alii extiterint. De tempore quo ſcriptores novi Teſtamenti libros exaraverint, qui nominibus eorum inſigniuntur, nihil compertum eſt niſi ex traditione, quam in primis Euſebius & B. Hieronymus referunt; & ex antiquis manuſcriptis, in quibus notatur ætas cujuſque Scriptoris ſacri. Decet autem animadvertere, non ratione temporis, ſed dignitate urbium, ad quas miſſæ ſunt, diſpoſitas fuiſſe B. Pauli Apoſtoli Epiſtolas; ſed in primis, nullo juſſo Domini, quod extet in ſacro Codice, Apoſtolos ad ſcribendum mentem appuliſſe. Scilicet dixerat Deus ore Jeremiæ cap. 3. *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam.* Sancti Patres obſervant Eccleſiam potuiſſe carere omni ſcripto, ſi omnes Chriſtiani in charitate & veritate perſeveraſſent; quod eleganter dicit B.Chryſoſtomus prima homilia in Matthæum. *Oportuerat quidem nihil nos indigere auxilio literarum, ſed tam puram in omnibus exhibere vitam, ut librorum vice gratia Spiritus Sancti uteremur; & ſicut atramento illi, ita corda inſcriberentur à Spiritu. Quia verò hanc à nobis excuſſimus gratiam, age vel ad ſecundam naviga-*

tionem

tionem animum adjiciamus. Equidem quòd primum illud fuerit profectò ſublimius, & ex verbis ſuis Deus, & ex operibus oſtendit. Nam & Noe & Abrahæ, ejuſque poſteris, & Job & Moyſi non per literas, ſed per ſemetipſum locutus eſt, quia ſcilicet munda eorum corda repererat. Poſtquam verò omnis populus Judæorum in vitiorum ima delapſus eſt, neceſſariò indè literæ dantur ac tabulæ, & ea quæ per has adminiſtratur admonitio. Et hoc non tantùm veteris Teſtamenti Sanctis, ſed etiam novi accidiſſe perſpicimus. Si quidem nec Apoſtolis ſcriptum aliquid tradidit Chriſtus, ſed pro literis Sancti Spiritus ſe illis daturum gratiam repromiſit. Sanctus Irenæus adſtruit, cùm ſcriberet, florere Eccleſiam apud barbaras gentes, quæ nondum literas perdidicerant.

Quidquid ſit, ſubjecimus chronologiam ſcriptorum Evangelicorum, quæ firmatur vetuſta traditione, ſine cujus authoritate nec probari poſſet eos habere auctores, cujus nomen præferunt, Eſto non omnino conſentiant antiqua monumenta de iſta chronologia; ſed indubitatum eſt, verbi cauſa, Joannem non ſcripſiſſe Evangelium ſuum multo tempore ante finem ſæculi primi. Uſque autem ad ætatem illam caruit Eccleſia Evangelio ejus. In quo ergo ſcripto exaratum erat: *In principio erat Verbum*, alibi quàm in cordibus Chriſtianorum; qui ideo aſſenſere Joanni hæc ſcribenti, quia ipſe conſentiret doctrinæ, quam illi vel patres eorum à Chriſto acceperant? Undè liquet interpretationem, ſicut veritatem Scripturarum, accipiendam ex antiqua & certa traditione; quæ etiam ſola ſufficere poſſet. Nonnulli libri perierunt, qui citantur in libris Sacris, & non ampliùs extant. Sicut illis, ita & cæteris Eccleſia carere potuiſſet: ſed id non ſivit Deus, ob emolumentum quod ex ſacris Scriptis in eam redundat. Subjiciam dict. chronologiam, qualem plerique ſequuntur, & reperitur in antiquis manuſcri-

nuſcriptis. In hac chronologia videre eſt, quod diximus, B. Pauli Apoſtoli epiſtolas non ratione temporis diſpoſitas fuiſſe, ſed dignitatis urbium ad quas ſcribuntur,

	A Paſſione Domini. Anno 6.	Æræ Vulgari Anno 19.
Matthæus ſcripſit Evangelium.		
Marcus.	10.	43.
Petrus primam ſuam epiſtolam, quo tempore Paulus primam ſcripſit ad Theſſalonicenſes.	19.	52.
Paulo poſt ad eoſdem Theſſalonicenſes ſcripſit Paulus.		
Ad Galatas: Eodem anno Lucas Evangelium ſcripſit.	23.	56.
Anno ſequenti Paulus primam & ſecundam miſit ad Corinthios.		
Scripſit etiam ad Romanos.	24.	57.
Ad Philippenſes, ad Philemonem, ad Colloſſenſes, ad Epheſios, ad Hebræos.	29.	62.
Acta Apoſtolorum tunc elaborata ſunt.	30.	63.
Binas literas miſit Paulus ad Timotheum, ſcripſit & ad Titum.		
Secunda Petri ejuſdem eſt ætatis.	33.	66.
Epiſtolæ Jacobi & Judæ incertum eſt tempus.		
Joannes Apoſtolus in inſulam Pathmon relegatus ſcripſit Apocalypſim, anno ſexageſimo primo poſt Paſſionem.	61.	94.
Biennio poſt Evangelium.	63.	96.
Tres ſuas Epiſtolas uſque ad annum ſexageſimum quintum poſt Paſſionem Domini, quo creditur vita functus.	65.	98.

Quoad

CAPUT V.

Quæ cujuſque Libri ſacri ſit auctoritas, ſive qui Canonici cenſeantur: qui Deuteronomici; qui Apocryphi.

QUamquam multis argumentis, quæ protulimus, conſtet ſacri Codicis auctoritas, juvat illam iterum adſtruere. Hæc pendet ex iis ipſis rebus quas enarrat; quæ cùm ſint extra omnem dubitationem, oportet eos qui illas mandavere ſcriptis, eſſe veraces, & à Deo, qui falli & fallere non poteſt, impulſos ad ſcribendum. Fieri non poteſt ut Moſes, auctor Pentateuchi, ſcripſerit falſa: arguiſſent eum, ſub quorum oculis tranſacta fuere quæ narrat; & quæ ſubinde confirmata ſunt, tum rerum eventu quas futuras ſignificaverat, tum teſtimonio eorum qui ei ſucceſſerunt, & legem, quam eis impoſuerat, duriſſimam conati ſunt portare; cujus jugum excuſſiſſent, ſi vel ulla re ſuſpicari potuiſſent deceptum vel fraudulentum Moyſem fuiſſe. Quòd ſi conſtet fides ſcriptis ejus, quis dubitaverit quin vir Dei fuerit; & Deo regente ejus calamum, ſcripſiſſe; ut omnia quæ dixerit, cenſenda ſint verba Dei? Quod de ſcriptis Moſis dicimus, dicenda de aliis, quæ poſtea ſequentibus ſæculis Prophetæ ſcripſerunt; quorum cura & religio fuerit incorrupta ſervare ſcripta tum Moſis, tum prædeceſſorum ſuorum: qui ſic non interrupta ſerie tradiderunt poſteris, quod acceperant à patribus. Hocce veritatis Scripturarum efficacius argumentum habet apud Hebræos, quòd ab ipſa condita eorum lege uſque ad tempora noviſſima, Pontifices, quibus commiſſa eſt cura Librorum ſacrorum, à duobus mille annis, non interrupta ſerie, filii patribus ſucceſſerint,

nec

hec alii admiſſi ſint, quàm qui erant ex prima Sacerdotum familia. Nominatim autem omnes illi recenſentur, ut dicit Joſephus lib. 1. contra Apionem. *Judicium verò integritatis hoc maximum eſt, quia Pontifices apud nos à duobus millibus annis denominati à patre recenſentur. His autem, ſi quid prævaricentur, interdicitur ne vel ad altare accedant, vel alia ſanctificatione fungantur. Rectè ſiquidem, potiùs autem neceſſariè, cùm neque conſcribendi poteſtas omnibus data, neque ulla ſit in deſcriptione diſcordia; Sed ſolummodò Prophetis, antiquiſſima quidem, & veterrima ſecundùm inſpirationem factam à Deo cognoſcentibus, alia verò ſuorum temporum ſicuti ſunt facta palam conſcribentibus. Infiniti enim libri non ſunt apud nos diſcordantes, & ſibimet repugnantes; ſed ſolummodò duo & viginti libri, habentes temporis totius conſcriptionem; quorum juſtè fides admittitur. Horum quinque quidem ſunt Moſeos, qui nativitates continent, & humanæ generationis traditionem habent uſque ad ejus mortem. Hoc tempus de tribus mille annis paululùm minus eſt. A morte verò Moſeos uſque ad Artaxerxem Perſarum regem, qui fuit poſt Xerxem, Prophetæ ſuorum temporum res geſtas conſcripſerunt in tredecim libris. Reliqui verò quatuor hymnos in Deum & vitæ humanæ præcepta noſcuntur continere. Ab Artaxerxe verò uſque ad noſtrum tempus ſingula quidem conſcripta, non tamen priori ſimili fide habita, eò quòd non fuerit certa ſucceſſio Prophetarum. Palam namque eſt, ipſis operibus quemadmodum nos propriis literis credimus: tanto namque ſæculo jam præterito, neque adjicere quicquam aliquis, nec auferre, nec transformare præſumpſit. Omnibus enim inſertum eſt mox ex prima generatione Judæis, hæc divina dogmata nominare & in his utique permanere; & propterea, ſi oportet, mori libenter. Jam itaque multi captivorum frequenter tormentis affecti ſunt,*

cti ſunt, & mortes varias in theatris ſuſtinuere, ut ullum verbum contra leges admitterent, aut conſcriptiones avitas violarent.

Hæc potiori jure dici poſſunt de libris novi Teſtamenti. Omnibus argumentis, quibus poteſt fides adſtrui alicui ſcripto, conſtat veritas ejus. Evangeliſtæ ab ipſo Deo, qui veritas eſt, edocti ſunt. Ex quo autem ſcriptum & prædicatum, nulli notabili errori obnoxium fuit; ut quod dicit Joſephus de veteri Teſtamento, magis conveniat novo. Non inferior fuit circa illud religio Chriſtianorum; cujus videlicet gratia, non aliqui, quos facile eſt numerare in Judæorum libris, ſed innumeri Martyres fuderunt ſanguinem ſuum; ut conſtare debeat, ea fide qua ſcriptum eſt, ad nos incorruptum perveniſſe. Certiorem de veritate & integritate Scripturarum veterum Joſephum faciebant Pontifices, nempè Eccleſia Judaica; & traditæ nobis ſunt tum veteres tum novæ Scripturæ ab Eccleſia: ut optimo ſenſu dicat Auguſtinus lib. contra Epiſt. fundamenti cap. v. *Ego verò Evangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoveret auctoritas.*

Dicat aliquis: vitioſus hic fit circulus ab Auguſtino; quaſi dum interrogaretur cur Biblia crederet, reſponderet, quia iis teſtificaretur Eccleſia: & rursùm interrogatus cur crederet Eccleſiam, hanc reſponderet errare non poſſe, juxta teſtimonium Scripturæ. Diximus non alios libros tanta auctoritate pollere; illam nullo carere probationis genere: in quam fidem ſimul cum adducti fuerimus, poſtea de quacumque parte Scripturæ quæſtio ſit, convenit eam ſequi, quia Scriptura in genere demonſtrat fidem Eccleſiæ adhibendam. Ita rem expendenti liquet ſacros Libros propriam & integram auctoritatem habere: illi autem indicant certam Eccleſiam, quæ errare non poſſit; ut dici poſſit etiam ipſi Evangelio non credendum,

niſi

niſi hujus Eccleſiæ commoveret auctoritas: quod huc redit, ut certum ſit Doctores ejus non pertuliſſe ut Libri ſacri corrumperentur; & qui Deo auctore conſcripti fuerant, eodem providente defenſos ab omni corruptione.

Cùm ſacros Codices hic dicimus ſervatos incontaminatos, non loquimur de ipſo primo exemplari, quod exaratum ſit manu cujuſque ſcriptoris, cujus ore nos Spiritus ſanctus elocutus eſt. Id contendimus, Deum ſic providiſſe Libris ſacris, ut ad nos pervenerint nullo fœdati errore, qui fidem aut mores corrumpere poſſit. Quod etiam de ipſo textu Hebraico veteris fœderis Divus Auguſtinus probat, ſcilicet à Judæis non fuiſſe depravatum. Imo Hieronymus appellat *Hebraicam veritatem*. Juſtino martyri quidem & quibuſdam aliis ideò Hebræi Codices ſuſpecti fuerant, quia textum Hebræum non conſulerent, ſed Verſiones Græcas à Judaizantibus hæreticis elaboratas, qui multa myſteria Salvatoris ſubdola interpretatione celaverant, ut ait D. Hieronymus. Hæc, inquam, res alios quoſdam de choro Sanctorum Patrum adduxit ut crederent fontes Hebræos turbatos eſſe à Judæis; quia dictæ verſiones non congruerent Verſioni Græcæ communi, quæ ante tempora Chriſti facta fuerat, & qua omnes Eccleſiæ Chriſtianæ utebantur.

Magnam cautionem, dicendum potiùs religionem, Eccleſiæ Chriſtianæ Antiſtites adhibuere, ne Libris ſacris insererentur, qui inferioris notæ eſſent. Hanc religionem animadvertimus in Eccleſia Catholica. Videre eſt de quibuſdam libris lites fuiſſe, quibus cæterorum adſtruitur auctoritas; nam ea religione, qua hæ lites oſtendunt primos Chriſtianos commotos fuiſſe, certum eſt nullum librum, qui vitiatus fuiſſet, potuiſſe ab Eccleſia admitti. Qui ſuſpecti erant, diſtinguebantur à cæteris. Quorum certa erat auctoritas;

tas, reponebantur in proprio Canone. Nomen illud idem quidem ſonat quod *regula*. *Grammatici Canones* apud Auſonium, Epigram. 128. *Canon chronologicus Euſebii*, *Canones Apoſtolorum*, *Canones Conciliorum*, id eſt, leges, regulæ, quæ ſtatutæ ſunt. Sed & *Canon* ſumitur pro *catalogo*. In ſcriptoribus Latinis, non purioris Latinitatis, *Canon frumentarius* eſt catalogus, numerus frumenti. *Canon fidelium & defunctorum Epiſcoporum* ſunt catalogi. Inde *canonizati* Sancti dicuntur, qui adſcribuntur catalogo Sanctorum.

Quæque Eccleſia habebat ſuum Librorum ſacrorum Canonem, ſive catalogum. Igitur cùm omnes Libri ſacri non pariter ſtatim innotuerint omnibus Eccleſiis, idem liber quibuſdam tantùm Canonicus, non omnibus habebatur, nempe non inſcriptus erat catalogo librorum, quos quæque Eccleſia legebat. Non mirum ergo eſt ſi tempore aliqui libri obtinuerint auctoritatem, ut ait B. Hieronymus loquens de Epiſtola B.Jacobi, nempe poſtquam conſtitit omnibus, quantæ eſſent auctoritatis libri illi de quibus erat quæſtio. Hanc regulam circa Libros Canonicos dat Auguſtinus (*Lib.* 2. *de Doct. Chriſt. cap.* 8.) *In Canonicis autem Scripturis Eccleſiarum catholicarum, quamplurium auctoritatem ſequatur, inter quas ſanè illæ ſunt, quæ Apoſtolicas ſedes habere & Epiſtolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in Scripturis Canonicis, ut eas quæ ab omnibus accipiuntur Eccleſiis Catholicis, præponat eis quas quædam non accipiunt; in iis verò quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas quas plures graviore ſque accipiunt eis quas pauciores minoriſve authoritatis Eccleſiæ tenent. Si autem alias invenerit à pluribus, alias à gravioribus haberi., quamquam hoc facile inveniri non poſſit, æqualis tamen authoritatis eas habendas puto.* Diverſis temporibus, & locis, & pro occaſione Sacri Scriptores ſuos libros ediderunt: ita factum eſt, ut apud omnes Eccleſias

non pervenerint ſtatim & eodem tempore ſcripta eorum; quæ non tam à perſonis quàm à judicio Eccleſiæ & ejus conſuetudine authoritatem ſuam habuerunt; ut Hieronymus, ad Dardanum ſcribens & loquens de Epiſtola ad Hebræos aiebat, nihil intereſſe cujus ſit, cùm Eccleſiaſtici viri ſit, & quotidie Eccleſiarum lectione celebretur.

Omnes libri veteris Teſtamenti, qui continentur in Bibliis Hebraicis tum Judæorum tum Chriſtianorum, judicio omnium pariter & ſuffragio ſunt certæ authoritatis. Sed præter hos-ce libros, ut videre eſt in illo teſtimonio Joſephi quod protulimus, conſtare debet alios fuiſſe, qui in veneratione erant, licèt parta pariter eis fides non adhiberetur. Ergo ubi agitur de libris Canonicis, quoniam non ſtatim conditus eſt canon ſacrorum Librorum, viri docti, ut Sixtus Senenſis, & poſt eum Bellarminus, horum triplicem faciunt ordinem. In primo reponunt libros, de quorum authoritate nulla unquam fuit inter Catholicos homines diſceptatio. In ſecundo cenſentur ii quorum non æquè certa & explorata eſt authoritas; legebantur tamen in Eccleſia ad ædificationem: ideòque ad diſtinctionem appellabantur *libri Eccleſiaſtici*; ut diſcimus à Rufino, qui in Symbolo, enumeratis Scripturis quæ ſuo tempore pro Canonicis habebantur, nempè quæ, ut nunc loquimur, erant in primo canone, ſubdit. *Hæc ſunt, quæ Patres intra Canonem concluſerunt, & ex quibus fidei noſtræ aſſertiones conſtare voluerunt. Sciendum tamen eſt, quòd & alii libri ſunt, qui non ſunt Canonici, ſed Eccleſiaſtici à majoribus appellati ſunt.* Videlicet poterant illi libri ἐκκλησιάζεσθαι, id eſt, in Eccleſia publicè recitari; cum cæteri libri qui nullius erant authoritatis, deberent ἀποκρύπτεσθαι: undè dicebantur *apocryphi*. Hæc volumina, quæ poterant legi in Eccleſia, enumerat Rufinus, & poſtea addit. *Quæ omnia legi quidem in Eccle-*

Eccleſia voluerunt, non tamen proferri, ad auctoritatem ex his fidei confirmandam. Legebantur illi libri, ut loquitur B. Hieronymus præfatione in Proverbia, *ad ædificationem plebis, non ad auctoritatem Eccleſiaſticorum dogmatum confirmandam.* Idcirco libri qui in ſecundo canone ſunt, licet conjuncti cum cæteris primi canonis, tamen non ſunt ejuſdem auctoritatis.

Tertius ordo eorum eſt qui nunquam in Eccleſia lecti ſunt, iique dicuntur *apocryphi*, hoc eſt, libri quorum authores non ſolùm obſcuri ſunt, ut nomen illud indicat; ſed quos publicum & notum judicium Eccleſiæ non probat, imò rejicit. Ex illa diſtinctione Librorum ſacrorum colligere eſt multam à Sanctis Patribus adhibitam fuiſſe diligentiam, ne libri falſi pro veris venditarentur. Quod juvat declarare illis verbis Sancti Auguſtini (*Lib.* 15. *de Civit. Dei. c.* 23.) *Omittamus earum ſcripturarum fabulas, quæ apocryphæ nuncupantur, eò quòd earum occulta origo non claruit Patribus, à quibus uſque ad nos authoritas veracium Scripturarum certiſſima & notiſſima ſucceſſione pervenit. In his autem apocryphis etſi invenitur aliqua veritas; tamen propter multa falſa nulla eſt canonica authoritas.* Et rurſus: *cur non ſunt in canone, niſi quia ob antiquitatem ſuſpectæ fidei judicata ſunt, nec utrum hæc eſſent, quæ ille ſcripſiſſet, poterat inveniri, non talibus proferentibus qui ea per ſeriem ſucceſſionis reperirentur ritè ſervaſſe?* Poſtea hæc adjicit Sanctus Doctor. *Multa ſub nominibus Enoch & aliorum Prophetarum, & recentiora ſub nominibus Apoſtolorum ab Hæreticis proferentur, quæ omnia ſub nomine apocryphorum ab auctoritate canonica diligenti examinatione remota ſunt.*

Porro ad primum ſacrorum Librorum ordinem pertinent quotquot reperiuntur in veteri fœdere Hebraicè ſcripti: totum novum Teſtamentum, iis ex-

ceptis partibus, de quibus modo dicemus. A Sixto Senenſi ponuntur in ſecundo ordine, additamentum ad librum Eſther, quod D. Hieronymus ex Græco vertit, & obſervat in fonte non reperiri, imò à ſe obelo transfixum eſſe: oratio Jeremiæ; liber Baruch, ſicut id quòd reperitur in vulgata editione poſt caput 12. Danielis, nempè hiſtoria Suſannæ, oratio Azariæ, hymnus trium puerorum, Belis hiſtoria, quæ de Theodotione ſe tranſtuliſſe ſcribit Hieronymus, cùm in Hebræo non legerentur. Similiter ad hunc ſecundum ordinem referuntur, primùm ex veteri Teſtamento, Sapientia Salomonis, Sapientia Jeſu filii Sirach, pars Eſther, Judith, Tobias, de quibus B. Athanaſius in ſynopſi dicit non fuiſſe Canonicos, ſed tamen prælectos Catechumenis. Libros quatuor Macchabæorum numerat inter eos quibus contradiceretur, ut loquitur ille, aut qui eſſent apocryphi. In novo Teſtamento cenſentur ſecundi ordinis, Marci caput ultimum, Lucæ hiſtoria de ſudore Chriſti ſanguineo & apparitione Angeli, Joannis hiſtoria de muliere adultera, Epiſtola ad Hebræos, Jacobi Epiſtola, Petri Epiſtola ſecunda, Joannis ſecunda, & tertia, Judæ Epiſtola, Joannis Apocalypſis. Primus canon ſive catalogus, in quo numerentur liber Sapientiæ, Eccleſiaſticus, Tobias, Judith, & duo libri Macchabæorum, reperitur confirmatus à Concilio Carthaginenſi III. anni 397. & ab altero, qui etiam Carthagine coactus eſt anno 419. Tertium autem Carthaginenſe confirmavit decretum Concilii Hipponenſis anni 393. Noviſſimis temporibus, Eccleſia Romana hos-ce Libros, ſicut & cæteros ejuſdem ordinis, ſuo Catalogo attexuit, utpote qui à tot ſæculis recepti fuerant, nec antea repudiati, imo publicitùs legebantur in Eccleſia, & commendabantur virorum Eccleſiaſticorum teſtimonio, ut B. Auguſtinus dicit de libro Sapientiæ & Macchabæorum.

Car-

Cardinalis Palavicinus in hiſtoria Concilii Tridentini ſcribit fuiſſe propoſitum in Concilio, ut duplex ordo librorum Canonicorum innueretur; placuiſſe verò omnibus, ut ſine iſto diſcrimine, quod aliunde notum eſſe poterat viris doctis, proponeretur catalogus ſacrorum Librorum, qualis dudum admiſſus fuerat ab Eccleſia. Etenim apud ſanctum Auguſtinum, enumerantur hi omnes libri, quos habet Canon Concilii Tridentini; quamquam agnoſcat S.Auguſtinus (*Lib.* 2. *cap.* 8. *de Doct. Chriſt.*) hos omnes libros, quos Canonicos vocat, non fuiſſe ab omnibus Eccleſiis pariter acceptos.

Canon Scripturarum non poteſt cenſeri conditus, niſi aliquot annis poſt Chriſtum natum. Quo præcisè tempore, ignoratur. Neque enim id factum eſt, quaſi omni approbante Apoſtolorum ſenatu, quorum plerique deceſſerant. JESUS CHRISTUS D. N. non mandaverat de illo Canone condendo; nec, ut dictum eſt, de ullo exarando ſcripto. Unuſquiſque ex Diſcipulis, prout occaſio ſeſe dedit, & ſe à Spiritu Sancto impulſum credidit, mentem ad ſcribendum appulit. Statim ſcriptum ejus non alibi innotuit, niſi ubi exaratum fuerat, poſtea ad alias Eccleſias delatum: ita factum quod obſervavimus, ut omnes Eccleſiæ non eoſdem pariter libros pro Canonicis habuerint. Fieri etiam potuit, ut hiſtorias quas ex Traditione acceperant, forſan ex ore ipſo Apoſtolorum, veras exiſtimaverint & attexuerint Evangelicis; ſcilicet quædam ſcripta pro Canonicis reputaverunt, quæ aliæ Eccleſiæ non admittebant. Non mirum autem Judæos Hebraizantes rejicere libros veteris Teſtamenti Græcè ſcriptos. Illis religio erat alia lingua quàm Hebræa uti. Helleniſtæ verò, nempe Græciſantes, horum auctores erant vel interpretes; & ab illis eos accepere Chriſtiani.

Eorum eſt qui de libris Canonicis dedita opera

 ſcripſe-

ſcripſerunt, difficultates omnes ſolvere, quæ occurrunt circa libros ſecundi ordinis, tum etiam primi. Animadvertendum in genere, quòd utilis eſt liber Job; Non fuit de populo quem Deus elegerat, nempe de duodecim Tribubus Iſrael. Quo tempore & à quo ſcriptus ſit liber qui nomine ejus inſcribitur, non poteſt certò definiri. Metris illigatus eſt in pluribus locis. Hiſtoria Suſannæ, pro exemplo eſt miræ pudicitiæ. Ex epiſtola Julii Africani ad Origenem & ejuſdem Origenis reſponſione colligimus aliis pro vera, aliis pro falſa habitam. Non ex Hebræo Codice tranſlata eſt; nec Hebraicè primitùs ſcriptam, ſed Græcè, demonſtrabat Africanus ex Paronomaſiis inter *χίνον* & *χίζειν*, item *πρίνον* & *πρίζειν*, quæ merè Græcanicæ ſunt, quas feciſſe dicitur Daniel, cùm Suſannæ judices interrogavit ſub qua arbore vidiſſent adulterantem, Unus reſpondit, *ſub ſchino;* tuncque dixit Daniel: ſcindat te Dominus; & cùm alter dixiſſet, *ſub prino*, ſtatim, ſecet te Dominus, ait Daniel: quæ Paronomaſiæ ex vocibus Hebraicis non potuere exſculpi; ſed ex Græcanicis *πρῖνος, ilex* à *πρίω ſerra ſeco*, & *χῖνος lentiſcus* à *χίζω findo*. Sed fieri poteſt ut Græcus interpres Paronomaſiam pro Paronomaſia poſuerit; qua libertate ſæpius utuntur interpretes.

In hiſtoria Tobiæ arguitur anachroniſmus aliquorum annorum. Deportatum ſe dicit Tobias à Salmanaſare cum decem tribubus. Hæc deportatio facta eſt anno Oſeæ regis Iſrael nono & Ezechiæ regis Juda ſexto, mundi anno 3283. Tobias autem, annis centum & duobus vitæ ſuæ completis, moribundus in lectulo affirmat Templum Dei in Jeruſalem incenſum & combuſtum eſſe. cap. 13. 2. & 14. 2. Templum incenſum eſt anno mundi 3416. Igitur inter deportationem & conflagrationem Templi 133. anni interceſſerunt. Ita cum ſaltem triginta annos habuiſ-

habuiſſet Tobias, cùm abductus eſt captivus, anachroniſmus eſt quinquaginta octo annorum; qui error refundendus in Librarios: certè non obſtat veræ pietati.

De libro Judith quidam opinantur nomine hujus ſive perſona repræſentari Judaicam gentem, quæ quaſi vidua erat tempore Antiochi regis Syriæ, cum liber hic ſcriptus eſt. Gladium Judith volunt eſſe preces Sanctorum: Bethuliam, hoc eſt, *Bethel* habent pro domo Dei, ſive pro Templo: Nabuchodonoſorem pro Diabolo: Holophernem, quem interpretantur *lictorem ſerpentis* pro typho ſive ſuperbia Antiochi. Hæc facie ingenii blandiuntur. Adſtrui codex Græcus cap. 5. 22. Templum Dei, cum hæc hiſtoria contigit, fuiſſe ſolo æquatum *ναὸς εἰς ἔδαφος* quod falſum eſt, ſi præceſſerit tempora captivitatis. Sed qui huic tempus illud aſſignant, reponunt hanc circumſtantiam additam, quæ non erat in Chaldaio fonte, ex quo B. Hieronymus tranſtulit, ſicut eam habemus in Vulgata noſtra.

In tertio ordine ſunt complures libri, quos enumerare non attinet; etenim non reperiuntur editi inter Sacros Libros. Solent tamen adjungi Vulgatæ edítioni oratio Manaſſe cum libro tertio & quarto *Eſdræ*. Certum autem eſt omnes libros qui olim erant in catalogo Sacrorum, non hodie extare. An liber bellorum Domini, & qui dicitur fœderis, de hoc numero ſint, diſputant viri docti. Ita eſt de libro juſtorum, quem aliqui habent pro Geneſi, in quo vita Abrahæ, Iſaaci, & aliorum continetur. Sed conveniunt omnes deperditos libros, quorum ſcriptores Nathan, Gad, Semeias, Addo, Ahias, Jehu, & plerique alii, qui in Sacro Codice allegantur. Deperditi ſunt incuria Judæorum, qui quoſdam incenderunt, ut queritur Jeremias. Deuteronomium adeò fuerat neglectum; ut diu ignoratum fuerit, repertum ſub Joſia rege.

Pertinebat ad Apparatum Biblicum ſaltem iſta quæ ſpectant Librorum Sacrorum authoritatem, perſingere & diſtinguere quorum fuerit ſemper indubitata authoritas, quorum dubia; quorum nulla. Quæ hæc ſcire, B. Hieronymus ad inſtitutionem junioris virginis pertinere putavit. His-ce enim verbis ſcribit ad Lætam de inſtitutione filiæ ſuæ. *Caveat omnia apocrypha. Et ſi quando ea, non ad dogmatum veritatem, ſed ad ſignorum reverentiam legere voluerit, ſciat non eorum eſſe, quorum titulis prænotantur: multaque his admixta vitioſa, & grandis eſſe prudentiæ aurum in luto quærere.*

CAPUT VI.

De lingua Hebræa, in qua primùm ſcripti ſunt libri Sacri. De antiquitate hujus linguæ. Hebræus Codex olim ſcribebatur ſine punctis vocalibus.

PRæmiſſa Sacrorum Librorum notione, ut præſtruere pergamus quæ neceſſaria ſunt ad illos intelligendos, ante omnia decet mentem advertere ad naturam ſive proprietates linguæ qua Spiritus Dei homines compellavit; ex natura enim hujus ſermonis, quo verbum Dei expreſſum eſt, in multis pendet intelligentia ejus. Non aliam orationem, ut videtur, adhibuit Deus, quàm quæ eſſet nota & uſitata his quibus credebat oracula ſua. Cùm ergo jam ab ipſo mundi primordio promiſſis de futuro Meſſia cœperit implere antiquos humani generis patres, procul dubio uſus eſt antiquiori lingua, & quæ hactenus incorrupta remanſiſſet in familia virorum piorum, ex quibus Meſſias aliquando erat oriturus. Omnium autem linguarum antiquiſſima eſt Hebræa. Non alia lingua locutus eſt primus hominum parens. In confuſione Babylonica nihil mutationis pertulit;

tulit; quod demonſtrabimus, cæteras linguas, quæ politiores habitæ ſunt, ab illa derivari, & ſacrum Codicem, quem ſcripſit Moyſes, quocumque alio, quem venditare poſſint ethnici, antiquiorem; & alia ſimilia quæ faciunt ad dignitatem & authoritatem ſacri Codicis adſtruendam. Simul de proprietatibus & præcipuis linguæ Hebrææ idiotiſmis differemus; ex quibus lux non mediocris ſacro Codici affulgebit.

Linguam Hebræam appello, quæ Abrahæ & poſteris ejus Iſaac, Jacob, & duodecim Patriarchis filiis Jacob uſitata erat, & quâ Moyſes ex juſſu Dei ſcripſit quinque libros, qui illum præferunt authorem; neque enim aliam aliquam adhibuiſſe veriſimile eſt, quàm quæ Iſraelitis nota eſſet. Hebræa autem dicta eſt vel ab Hebero Semi pronepote; ut qui ab hoc Hebero ortum duxere, appellati ſunt Hebræi: vel quia uſitata eſſet Abrahæ poſteris, qui quidem Hebræi dicti ſunt, non ab Hebero parente, ſed quia Abraham à loco, in quo erat trans fluvium Euphratem, vocatus eſt à Deo, & hoc fluvio trajecto venit in terram Chanaan. A Chananæis ergo appellatus eſt Hebræus, id eſt, *tranſitor*, eodem ſenſu quo ultramontanos dicimus, qui ultra montes degunt. Verior hæc eſt origo nominis, quo nempè Abrahæ progenies ſic appellata eſt, quia veniſſet à regione, quæ reſpectu Chananæorum trans fluvium Euphratem erat. Diſtabat enim Abraham ab Hebero ſex generationibus; & tamen nullus eorum qui de ſtirpe Heber fuit, ante Abrahamum dictus fuerat Hebræus.

Linguam Hebræam primam omnium fuiſſe oſtendunt nomina, quorum ratio redditur in textu Sacro ex radicibus Hebraicis. E multis pauca proferam. *Adam* ſic dictus eſt, quia ex *Adama*, id eſt, terra factus eſt (*Gen. c.* 2. *v.* 7.) *Eva* ab *Evah*, hoc eſt, *vivere*, quia fuit mater omnium viventium (*Geneſ. cap.* 3.)

c.3.v.20.) *Cain*, à *Cana*, id eſt, ab acquirendo, quia dixit Eva, poſſedi virum à Domino (*Geneſ. cap. 4. v. 1.*) Hæc ratio eorum nominum quæ impoſita ſunt Adæ, Evæ, Cain, reddi non poteſt in aliis linguis, nec complurium aliorum nominum. Vis autem hujus argumenti conſiſtit in hoc quòd illa nomina propria primorum hominum à primitivis ſuis radicibus deflexa & derivata ſunt; ut vox à voce dependeat, tanquam conjugata vel paronyma, ut nomen *Adam* à nomine *Adama*, quod eſt *terra*. Iſta notatio paronyma in nulla alia lingua locum habet, ſive nomen *Adam* deduci non poteſt niſi in Hebræa, ex voce quæ terram ſignificet. Undè ſequitur primos homines Hebraicè locutos.

Sed quiſpiam dicat, poſterioribus ſæculis nomina illa impoſita fuiſſe; & à ſcriptoribus res linguæ ſuæ accommodatas. Moyſes enim verbi cauſa, inquiunt, eo nomine non ſtatim appellatus eſt, quia ab aquis ſervatus eſſet, quod ſignificat origo Hebræa; filia enim Pharaonis, à quo nomen accepit cùm ex aquis eductus eſt, loquebatur Ægyptiacè; ita non potuit eum appellare Hebræo vocabulo. A Scriptore ergo Hebræo ſic appellatus Moyſes, nomine quod illi conveniret, quatenus ab aquis ſervatus fuerat.

In Exodo cap. 2. v. 10. in Vulgata quidem dicitur de filia Pharaonis, quod puerum vocaverit Moyſen, *quia*, inquiebat, *de aqua tuli eum*. Verùm reſpondet Buxtorfius, verbum Hebræum *meſchitihu*, quod Latinus interpres reddit *tuli* in prima perſona, reddi poſſe *tuliſti* in ſecunda; ut ipſa Jochabed vera mater Moyſis dederit nomen filio ſuo: ut genuinus ſenſus ſit, accepiſſe puerum, eumque lactaviſſe; quem poſtea adducens ad filiam regis, ſic illam compellaverit: nos Hebrææ mulieres hunc puerum appellavimus *Moſem*, quia tuliſti eum ſive eduxiſti ex aquis.

Antiquitatem linguæ Hebrææ ſimul & gentis demon-

monſtrant vetuſta Gentium & populorum nomina, quæ plerumque originem habent Hebraicam; & in aliis linguis nihil ſignificant. Videre eſt ſingulos Semi, Chami, & Japheti filios & nepotes ſingulis Gentibus ſingula nomina dediſſe: ut Aſſur Aſſyriis, Elam Elamitis; Aram Aramæis; Lud Lydis; Gomerum Cymbris, ſive Cimmeriis; Madai Japheti filium Medis: Javan Jonibus. Gentilium deorum nomina ferè omnia, ex lingua Hebræa orta, à vicinis regionibus ad Aſſyrios & Græcos derivata ſunt. Saturnus ab Hebræo verbo, *Satar*, id eſt, *à latendo* deducitur; ut Latium dici volunt Latini, quia Saturnus ibi latuit, cùm à Jove fugerent: niſi & hoc-ce nomen *latium* derivetur à fonte Hebræo; nam *louth* Hebræis ſonat *latere*. Jovem à Jehova deducunt multi: Belum ſive Baal ab Hebræo *Baal*, quod idem eſt ac *Dominus*, quo nomine plures Deos habuerunt Phœnices: Vulcanum à Tubalcain, qui uſum ferri & æris invenit: Cererem, non à ferendo, ut Latini, ſed ab Hebræo *Gheres*, quod notat *fructus extruſus*. Aliud ſuppeditant argumentum reliquiæ quædam linguæ Hebraicæ in omnibus aliis linguis, quod à viris doctis obſervatum eſt. Modo in lucem prodibit, niſi jam prodierit, cùm hæc typis edita prodibunt, grande opus Thomaſſini noſtri, quo ille omnes linguas deducit ex fonte Hebræo. Diu eſt quod typis exiit.

Uſque ad diluvium & ea tempora quò de extruenda turri Babylonica cogitavere homines, terra erat unius labii, ut adſtruit Scriptura; quippe omnes erant filii unius viri: confuſione autem facta linguarum, ædificium turris ſuſceptum diſturbavit Deus. Cur enim elegiſſent homines ſcindi in diverſas linguas, cùm nemini non moleſtum ſit non poſſe mentem alteri communicare, aut ſibi alterius communicari? Ergo diverſitas linguarum malum eſt immiſſum à Deo, cui ſubjacere non debuit pia Semi Soboles, quæ ſic in-

cor-

corruptam ſuam linguam ſervavit. Quidquid ſit, linguæ Hebrææ debent Græci, quòd lingua eorum politior ſit; nam ex ipſo Gentilium teſtimonio Phœnices primi eos literas docuere. Literas, inquam, in Græciam ex Phœnicia primus Cadmus intulit circa tempora Othonielis, nimirum multos poſt annos, quàm Moyſes ſacros Libros ſcripſiſſet: quibuſcum ergo nullum volumen Græcum de antiquitate contendere poteſt. Græcos autem ſuas literas accepiſſe ab Hebræis, argumentum eſt quòd Græcarum literarum nomina ab Hebræis levi deflectione deducantur; & quæ Græcis barbara ſunt, id eſt, nullius ſignificationis, in Hebræa lingua quidpiam ſignificent. Ipſi Greci literas ſuas ſe debere Phœnicibus agnoſcunt: antiquę autem reliquiæ Phœnicii ſermonis, quæ apud auctores veteres reperiuntur, demonſtrant hunc ab Hebræo non multùm diſcrepaſſe. Ex Phœnicibus Pœni ſive Carthaginenſes ortum ſuum deducunt; punica verò nomina, quæ interdum allegat B. Auguſtinus, ipſe Pœnus quatenus natus in Pœnorum colonia, ipſa ſunt Hebræa.

In captivitate autem Babylonica, licèt hæc ultra ſeptuaginta annos non duraverit, lingua Hebræa tantam mutationem ſubiit, ut Judæi hujus obliti Chaldaicam cum aliqua Hebrææ tinctura poſt ſolutam captivitatem in patriam introduxerint; ita ab hoc-ce tempore Hebraica deſiit eſſe vernacula, juxta communem omnium ferè Doctorum ſententiam; undè legimus (*cap.* 8. *v.* 7.) Nehemiam, Eſdram & Levitas, cùm legem populo prælegerent, eandem expoſuiſse; ſcilicet interpretabantur eam linqua vulgari, ut populus intelligeret. Hinc origo Paraphraſium Chaldaicarum. Ab hoc nempe tempore, poſtquam legem & Prophetas in Synagogis prælegerant Doctores, explicationem lingua vulgari adjungere cœperunt. Pro Hebraica itaque poſthac Chaldaica Judæis facta eſt vernacula, quę primò purior, poſteà magis corrupta & vitiata eſt,

pro

pro diverſitate nationum, quibus ſerviebant, variis dialectis & idiotiſmis. Quapropter quod in Evangelio adſtruitur *Hebraicè* dictum, decet interpretari *Chaldaicè*: contra verò quod ſcribit Philo, Scripturam ſacram fuiſſe *Chaldaicè* ſcriptam, intelligendum eſt *Hebraicè*. Nec tantùm Judæi Chaldaica lingua locuti ſunt, ſed & in hac libros ſuos conſcripſerunt uſque ad everſionem Templi, & ſæculis ſequentibus; ita ut nullibi extet lingua Hebraica pura, niſi in veteri Teſtamento.

Quin & priſtinos characteres viri docti hac ætate, ut olim Euſebius & Hieronymus, ſentiunt mutatos in captivitate Chaldaica; & Eſdram qui poſt reditum Codices ſacros recenſuit & inſtauravit, eoſdem literis Aſſyriis ſive Chaldaicis populo Judæo magis notis (qui durante captivitate linguæ & literarum obliti erant) deſcripſiſſe. Sic Hieronymus in præfatione in libros Regum. *Certum eſt*, inquit, *Ezram ſcribam, legiſque doctorem, poſt captam Hieroſolymam, & inſtaurationem Templi, ſub Zorobabele alias literas reperiſſe, quibus nunc utimur, cùm ad illud uſque tempus iidem Samaritanorum & Hebræorum characteres eſſent*. Et in Ezechielem cap. 9. *Antiquis Hebræorum literis, quibus uſque hodie utuntur Samaritani, extrema Thau litera crucis habet ſimilitudinem*. Rationem mutationis characterum hanc reddit Euſebius in Chronico, ubi de Eſdra affirmat divinas literas ab eo memoriter traditas, videlicet ne Judæi Samaritanis miſcerentur, ideò literas judaicas commutaſſe; ſed vera ratio eſt, quia Judæi, amiſſis Libris ſacris, aſſueverant Chaldaicæ ſive Aſſyriæ ſcripturæ, pariter & linguæ.

Hodiernus character, quo nempe nunc Biblia Hebraica exarata ſunt, vocatur major & quadratus ob formam, & Aſſyrius quia ab Aſſyriis. Alio charactere vulgò Judæi utuntur, qui appellatur minor & cur-

currens, aut Hiſpanicus, aut *maskal*, quod nomen apud Arabas idem ſonare aiunt quod macilentum, *comme qui diroit, caractere maigre* (*come chi diceſſe, carattere magro*) Attamen quia diu eſt quòd Judæi volunt in hodiernis characteribus Bibliorum infinita latere myſteria, nempe in litterarum ipſarum majuſcularum vel minuſcularum forma, figura, ductibus, inverſione, ſuſpenſione, apicibus etiam ſive ſpiculis, aut corollis quibus literarum capita in ſcriptura hodierna voluminis ſui Sacræ legis armantur vel ornantur. Cùm, inquam, omnia illa myſteria eſſent inania, ſi illi hodierni characteres eſſent novi, fingunt à tempore Moſis duplici charactere ſcriptam Legem, ſacro & profano, ſcilicet Hebræo, qui ſacer, & altero, qui ideò Samaritanus appellatus eſt, quia illum Eſdras reliquerit uſurpandum ſolis Samaritanis. Quod autem hodierni characteres Bibliorum à Talmude dicti ſunt Aſſyrii, ſic interpretantur, ut non Aſsyrii vocentur quia ab Aſsyriis venerint, ſed ex eo quòd illis characteribus lex ſcripta ſit. Vox enim Hebræa Aſsyrios populos ſignificat quidem, ſed & *beatitudines*. Beata eſt, inquiunt Rabbini, Scriptura Legis, quam ipſe Deus digito ſuo exaraverit.

Dicam pro antiquitate characterum Samaritanorum, primò alphabetum Græcum, quod conſtat à Cadmo, id eſt, à Phœnicibus Hebræorum vicinis inductum in Græciam, magis accedere ad ſimilitudinem literarum Samaritanarum, cùm invertuntur; quod argumentum eſt primævas Hebræorum literas fuiſse Samaritanas. Habemus antiquos characteres, quibus Samaritani ſemper uſi ſunt, in Siclis qui Hieroſolymis effodiuntur, olim in uſu ſub regibus Juda. Præferunt illi inciſas literas, quæ in ſcriptis Samaritanorum leguntur ſine ulla vel exigua mutatione. Nullius autem cogitationem ſubeat hos ſiclos à Samaritanis cuſos fuiſse; ſi quidem omnes hac inſcriptione notentur:

tur: *Jeruſalem ſancta*. Notum autem quàm abhorrerent Samaritani ab Hieroſolymis; quam ergo urbem non appellâſsent Sanctam. Sicli quos aliqui venditant inſcriptos imagine Salomonis cum Hebraicis literis hodiernis, nuperè cuſi ſunt; neque enim lex vetus ſinebat ut ulla hominis etiam regis imago cuderetur. In iſta tabula quà æſtimamus veterum nummorum valorem, expreſſimus formam ſicli Hebræi, inſcripti Samariticis literis.

Nunc in codice Hebræo conſonantibus literis ſubſcribuntur puncta, quæ locum tenent vocalium. Quæritur an iſta puncta coæva ſint literis conſonantibus; horum enim ita forma diverſa eſt à conſonantibus, ut cum illis non ſtatim adinventa videantur, ſed poſtea ſubdita. Virorum peritiorum ſententia eſt, puncta Textui ſacro appoſita fuiſse circa annum Chriſti quingenteſimum à Judæis ſcholæ Tiberienſis, nempe à Doctoribus Academiæ quæ tunc temporis in Tiberiade celebris erat. Ne cui autem mirum videatur, ſine vocalibus olim ſermonem Hebræum ſcribi potuiſse & intelligi, quaſi ambiguus & prorſus incertus fuiſset, ſciat & nunc his carere poſse. Etenim hodie ſine punctis ſcribunt Judæi, quorum ſcripta leguntur & intelliguntur. Multis annis poſt obitum impoſtoris Mahometis puncta vocalia adjuncta ſunt libris Arabicis; undè & hactenus pueri Turcarum, Arabum, Perſarum, ac omnium denique Mahumedanorum ſine punctis legere diſcunt.

Hæc favent novitati punctorum, quæ nunc probanda eſt argumento quod ducitur ex literis Samaritanis, quas eaſdem fuiſſe cum antiquis Hebræis ſupra probavimus. Puncta vocalia nulla agnoſcunt Samaritani; nam ope trium literarum, quas *Matres lectionis* vocant, quæque antiquitùs pro vocalibus habitæ ſunt, libros ſuos ſacros legerunt, & hodie legunt. Vocalium ſoni quaſi congeniti ſunt cum literis conſonantibus;

tibus; quæ ideò ſic dicuntur conſonantes, quia efferri non poſſunt, quin quæ piam ex vocalibus ſonet cum illis. Quin & vocales linquæ Græcæ α, ε, η, ι, ο, υ, reſpondent Hebræorum his-ce conſonantibus literis *aleph*, *he*, *vau*, *heth*, *jod*, *ajin*, Harum ergo conſonantium ope olim Hebræi & Samaritani ſicut & Arabes poterant, nondum inventis punctis, efferre ſermonem, qui diſtinctè ſonaret auribus. Ita quanquam utilia ſint puncta, non poteſt dici horum uſum fuiſſe ſemper omninò neceſſarium, & frequentatum. Contrarium docet Synagogarum ab ultima antiquitate conſuetudo, Volumina ſacra, quæ populo publicè in illis præleguntur, neque puncta neque accentus habent. Quin ſine verſuum diſtinctionibus exarata ſunt; ut morem antiquis temporibus uſitatum exhibeant. Præter libros typis excuſos & punctatos, unum, inquam, habent volumen Legis in ſingulis Synagogis, peculiari modo deſcriptum, circa columellam convolutum, quod aſſervant in peculiari capsa, quam *Aaron*, id eſt, *arcam* appellant, ſerico coopertum, & auro ac gemmis ornatum. Hoc volumen in magna apud eos veneratione eſt; quod cùm ex arca proferunt, ut ex eo aliquid legatur, magna reverentia tractant; populuſque cum jubilo & acclamatione honorem tantùm non divinum ipſi tribuit. Poſt lectionem verò eadem cum pompa & reverentia in arcam reponunt. Hoc autem volumen, non punctatùm, volunt ipſum Moſis volumen in Arca Dei juſſu ſervatum referre, quod fatentibus pleriſque eorum Doctoribus, erat punctis deſtitutum, imo ipſi docent, Moſis ævo, figuras vocalium & accentuum nondum fuiſſe; & hac de cauſa librum illum in ſynagogis hodie ſine notis in Moſaici exemplaris memoriam ſcribi.

Elias Levita celebris inter Hebræos Grammaticus puncta à Judæis Tiberienſibus poſt confectum Talmudem excogitata fuiſſe probat teſtimonio doctiſſimorum

rum

rum Rabbinorum, quos allegat. In toto Talmude, tam in Miſchna quàm in Gemara, nulla fit punctorum mentio, nec ullius accentus nomen aut figura occurrit. Altum illud ſilentium in vaſtis illis voluminibus argumentum validum ſuppeditat, puncta fuiſſe eorum compilatoribus prorſus ignota; præſertim cùm in locis plurimis occaſio ſe obtulerit, imò neceſſarium fuiſſet illorum mentionem facere, ſi tunc extitiſſent; puta cùm controverſia eſt de vocabuli alicujus lectione, quod punctis deſtitutum variè legi poterat. Nam ſi punctatos codices habuiſſent, punctatio controverſiam diremiſſet. Ita vox דבר apud Hebræos, prout cum diverſis punctis effertur, ſonat vel *dabar*, id eſt, *verbum*, vel *deber*, nempe *peſtis*. Cùm autem Talmudiſtæ admonent variæ lectionis, dicunt: ne legas ſic דבר ſed ſic דבר, nec aliud addunt quo pronuntiationis varietas, undè ſenſus diverſi oriuntur, diſtingui poſſit. Facile autem erat ex auditu differentiam percipere in *dabar* & *daber*, ſed hoc non poterant ſcripto exprimere ob defectum punctorum. Tres ergo literas tantùm repetunt, ut intelligat lector ex iſta repetitione pronuntiationem trium literarum non eandem eſſe. B. Hieronymus commentans illa verba Prophetæ Habacuc cap. 3. v. 8. *Ante faciem ejus ibit mors*, indicat à ſe ignorata puncta: *Pro eo quod nos tranſtulimus mortem, in Hebræo tres literæ poſitæ ſunt* דבר *abſque ulla vocali: quæ ſi legantur* davar, *verbum ſignificant; ſi* dever, *quæ Græcè dicitur* λοιμός. Pariter ad caput nonum Jeremiæ v. 22. *Verbum Hebraicum* דבר *quod tribus literis ſcribitur (vocales enim in medio non habet) pro conſequentia & legentis arbitrio, ſi legatur* dabar, *ſermonem ſignificat; ſi* deber, *mortem; ſi* daber, *loquere; unde LXX. & Theodotion junxerunt illud præterito capitulo, ut dicerent, diſperde parvulos de foris, juvenes de plateis. Aquila verò & Symmachus tranſtulerunt* λάλησον *loquere, ut*

re, ut imperet Deus loqui quæ ſequuntur. Hic commoda fuiſſent puncta; ad ambiguitatem tollendam, & varietatem ſignificationis explicandam: ſed nulla illorum mentio fit, non ſolùm apud Hieronymum, ſed & apud cæteros Patres tam Græcos quàm Latinos.

Non infirmum argumentum pro novitate punctorum ſuppeditant antiquæ Verſiones, Græcæ, Chaldaicæ, Syriacæ, &c. ex quibus perſpicuum eſt, ob defectum punctorum, voces quaſdam ambiguitate laboraſſe; undè aliter interpretati ſunt Verſionum iſtarum auctores, quàm hodie in punctatis codicibus legimus: inter illas diverſitas nulla fuiſſet, ſi aliter non legiſſent quàm in hodiernis exemplaribus legimus. Hoc paſſim obſervant viri docti in commentariis ſuis, aliiſque ſcriptis; plura exempla promentes ex ſeptuaginta Græcis interpretibus, ubi eædem literæ, ſublatis punctis, tam ipſorum Verſioni, quàm lectioni hodiernæ inſervire poſſunt. Contigit etiam verſionem Græcam ideo diverſam eſſe à verſionibus Hebraicis, quæ poſt punctatos codices cuſæ ſunt, quia ſine ulla verſuum & dictionum diſtinctione olim Hebræi Codices ſcribebantur. Prout ergo interpretes Græci hanc vel literam vel vocem referunt ad id quod præcedit, aut ad id quod ſubſequitur, interpretantur diverſimodè ab hodiernis interpretibus, qui nunc utuntur Codicibus in quibus fixa eſt verſuum & dictionum diſtinctio.

His obſervatis de nova punctorum obſervatione locum illuſtramus libri ſecundi Eſdræ c. 8. 8. ubi ille dicitur legiſſe librum Legis *diſtinctè & apertè ad intelligendum*. Nimirùm Eſdras, licet uteretur libro qui non haberet puncta ſive vocales, tamen legebat & pronuntiabat ſecundùm proprias vocales, ita ut ſenſum populus intelligeret. Si enim puncta habuiſſet, laus hæc puero ſeptenni meritò conveniebat, at decenni indigna. Quis enim filium ſuum decennem

valde

valde laudabilem exiſtimaret, quòd Latinè ſciret expeditè legere? At Hebræi textus eadem ratio eſt, ſi puncta & accentus habeat. Non immorabor confutandis argumentis, quibus antiquitatis punctorum aſſertores pugnant; rem enim tantùm delibamus, & quantùm ſatis eſt, ut qui primùm accedunt ad lectionem ſacri Codicis & interpretum ejus, prænotionibus neceſſariis omnino non careant. Qui rem expendere voluerit, legat eruditum opus Ludovici Capelli, *arcanum punctuationis Hebraicæ revelatum*, & exercitationes Biblicas Morini, qui exercitatione XVII. & evincit tempore D. Hieronymi textum Hebræum nondum fuiſſe in verſus & commata diſtinctum, & ignotas prorſus Hebraicas grammaticas; ut ſola Traditione lingua Hebræa diſceretur.

CAPUT VII.

De Alphabeto Hebræo. Formam literarum Hebræarum prodeſt non ignorare.

QUæ dicturi ſumus de lingua Hebræa, clariora fient, ſubjecto ejus alphabeto, cujus literas intereſt ſaltem oculis, viſu poſſe diſtinguere: ut ſi forte quis ſcripturarum amans in Biblia originalia inciderit, è noto charactere intelligat Librum eſſe ſacrum. Prærerquam non deceat ignorare harum literarum nomina, & ordinem; his enim pro numeris utuntur ſcriptores ſacri, diſtinguunt pleraque cantica, plures pſalmos, quorum quidem verſiculi, ſtrophæ habent in ſuo initio quæpiam ex dictis elementis, certo ordine recurrentibus; unde illi Pſalmi appellantur *alphabetici*; qualis eſt Pſalmus centeſimus decimus octavus, qui ſecundùm ordinem literarum ſic compoſitus eſt, ut octo primi Verſus nominibus, quæ primam literam, quam Hebræi *aleph* ap-

 pellant,

pellant, inchoentur: rurſus ex ſequenti *beth*, totidem verſus exordium ſumant; ac poſtea ex *gimel* idem numerus compleatur; atque ita uſque ad thau, quæ apud Hebræos extrema litera eſt, Pſalmus ille totus conſcriptus ſit. Viginti duæ literæ Alphabeti ſic octies repetitæ conficiunt verſus CLXXVI. quibus ille pſalmus conſtat. Sacer autem Vates non inane carminibus ſuis ornamentum aſſuebat. Cùm hoc pſalmo morum doctrinam omnem complecti vellet, colligabat hac ce arte diverſas ſententias, ut faciliùs memoriæ commendarentur. Jeremias ſimili arte devinxit Lamentationum ſuarum carmina, ſervans ordinem literarum Hebræarum; quod cùm Latino & Græco ſermone Interpretes non poſſent exprimere, nomen literarum Hebræarum præfigi voluerunt, à quo inciperet carmen. Hinc ſingulis annis per ſanctam hebdomadem perſonant ædes ſacræ Hebræi alphabeti recitatione. Tanquam barbaris vocibus perterrerentur fideles, niſi ſcirent eſſe literas Hebræas; & ab illis inchoari carmina in textu originali, quibus in verſione præfiguntur.

Ergo viſum eſt huic-ce loco inſerere alphabetum Hebræum, & valorem literarum ejus exprimere tum Latinis tum Græcis literis. Adjunxi Græcum alphabetum; ex quo liquebit omnem doctrinam ſuam acceptam debere Hebræis Græcos, qui & ab illis prima elementa didicerint. Hujus veritatis certum argumentum eſt, quòd in nullo alio alphabeto, ut modo dicebam, voces quibus appellantur quæque literæ, ſignificantes ſint. Nempe nomina literarum quibus alphabetum Hebræum conſtat, quampiam rem ſignificant, nullam in alphabeto Græco. Etenim quid Græcis denotant voces illæ *alpha*, *betha*, *gamma*, præter literam ſive caracterem, cui pro nomine inditæ ſunt ſine cauſa, niſi quia ab Alphabeto Hebræo originem habeant; in quo non ſunt inania verba.

Aleph

Digitized by Google

LITTERARUM

ræcarum

ϡ Græci numerum 900 exprimunt per hanc figuram ϡ quam dicunt *Sanpi*, quia ſit ex *ſigma* inuerſo cum *Pi* intra figuram Ex Tribuſ illiſ caracteribus *Epiſemon Fau* ς *Kophe* ϟ. & *Sanpi* ϡ, qui non ſunt litteræ, intelligitur a Græciſ olim uſurpataſ litteraſ Hebraicaſ *Vau, Tſade;* & *Coph* in quarum loco, ut veterem ordinem arithmeticum ſervarent, ſupra dictoſ caractereſ ſubſtituerunt unde colligere eſt Græcoſ ab Hebræiſ litteraſ accepiſſe.

Aleph Hebræis ſonat *bos*, *dux*; ideò litera, quæ dux eſſet cæterarum, eo nomine appellata eſt. *Beth*, domus. *Gimel*, plenitudo; & ſic de cæteris. Illas autem literas efferimus eo ſono quem illis tribuit B. Hieronymus, ſcribens ad Paulam Urbicam de hujus alphabeti interpretatione.

Alphabetum Hebraicum & Græcum.

Attentis oculis conſidera, lector, hæc-ce alphabeta. Cognoſces inter cauſas quibus effectum eſt; ut antiquæ verſiones adeò differant ab hodiernis fontibus, cenſendam eſſe literarum Hebræarum ſimilitudinem. Etenim, verbi cauſa, duæ literæ ר reſch & ד daleth, ut dicit B. Hieronymus, parvo apice diſtinguntur. Indè factum eſt ut eadem urbs ab aliis *Reblata*, ab aliis *Deblata* dicatur. Literæ י *jod* & ו *vau* tantùm magnitudine diſcernuntur; undè in eodem Ezechielis loco alii legunt עין *en*, id eſt, oculus alii עון *avon*, id eſt, iniquitas, ut obſervat idem ſanctus doctor, nempè alii legunt *jod*, alii *vau*. Similiter literæ *beth* ב & *caph* כ differunt parvo apice, ſicut *gimel* ג & *nun* נ; etiam *vau* ו & *zain* ז. Facilè fugit oculos diſcrimen quod eſt inter *he* ה & *cheth* ח; ſicut inter *theth* ט & *mem* מ.

Præterea ſunt literæ, quæ diverſæ figura ſunt, ſono ſimiles; in quibus ergo pronuntiandis lingua errat, ut ſunt *caph* כ & *coph* ק. Una noſtra litera *S* exprimimus quinque illas literas Hebræas *ſchin* aut *ſin* ש, ſamech ס, *zain* ז & *tzade* צ. Hæc ſoni ſimilitudo peperit varias lectiones & diſcrepantias quæ omnes (adeò curæ fuit Deo ſacer Codex) non officiunt ſacris dogmatibus.

CAPUT VIII.

De idiotiſmis ſive proprietatibus linguæ ſanctæ. Unde tanta diverſitas inter eadem nomina, quibus Græci & Latini interpretes expreſſerunt nomina propria Hebræorum.

CUm Græci & Latini interpretes phraſi Hebrææ pluſculum inhæreant, cognitio proprietatum ejus etiam his neceſſaria eſt qui non alios quàm Latinos aut Græcos Codices legunt. Sciendum autem eſt Hebræos non habere caſus, eodemque nomine invariato per omnes caſus uti. Inde interpretes ſubinde caſum pro caſu uſurpant. Ut illud (2. *Cor. c.* 8. *v.* 23.) *ſive pro Tito, ſive fratres noſtri*, id eſt, *pro fratribus noſtris*. Verba eorum non habent indicativum præſentem & imperfectum; utuntur præterito vel participio; ita *credidi*, ideſt *credo*: & *ad ſimulacra euntes*, id eſt, *ibatis*. Comparativo & ſuperlativo carent; utuntur poſitivo, ad exprimendos hos gradus, ita dicunt *bonum* pro *melius eſt confidere in domino, quàm confidere in homine*. Igitur quandoque per comparationem dicta intelligere decet, quæ dicuntur poſitivè.

Lingua Hebræa non habet ultra mille & viginti duas radices; à quibus omnia nomina derivantur. Propter hunc exiguum radicum numerum, ſæpe unum idemque nomen, vel verbum, vel etiam ſententia pluribus diverſiſque rebus deſignandis adhibetur. Præter activam & paſſivam conjugationem, mediam habent. Nomina eorum duali terminatione ſignificant rem eſſe geminam. Verbum, prout flectitur, contrarias ſignificationes habet; quas diverſas flexiones cùm non exprimat Latinus interpres, ideo ambiguus. Sic factum, verbi causa, ut *benedicere* interdum ſonet

net idem ac *maledicere*, nempè pro diverſa pronuntiatione, quam nunc puncta vocalia diſtingunt. Sic cùm diverſæ ſint in lingua Hebræa conjugationes ſive flexiones, pro illarum varietate idem verbum præter actionem quam ſignificat, denotat inſuper modum actionis particularem; puta an quis agat, aut agatur, an in ſe agat, aut alios agere faciat: quod advertendum; nam illud Evangelii, de die aut hora judicii Chriſtum neſciſſe, ex proprietate ſermonis Hebræi accipere poſſumus pro *non facit ſcire*: Chriſtus enim potuit verbum, quo uſus eſt, flectere, ut id ſignificaret. Sic illud Pauli: *Tunc cognoſcam ſicut & cognitus ſum* poſitum eſt, pro *tunc efficiar cognoſcens*. In verſionibus Græcis & Latinis, verba activa denotant duplicem actionem, quandò verbum Hebræum cui reſpondent, eſt in conjugatione quam *Hiphil* appellant. Ut illud *emigrabit te* (*Pſalm.* 51. *v.* 7.) id eſt, *emigrare te faciet*; & illud Jonæ (*Cap.* 3. *v.* 7.) *& clamavit Rex*, id eſt, *clamare fecit*. Oſee (*Cap.* 8. *v.* 4.) *ipſi regnaverunt*, id eſt, *regem ſibi conſtituerunt*. *Spiritus poſtulat pro nobis* (*Rom. cap.* 8. *v.* 26.) id eſt, *poſtulare facit*. *Deus triumphat nos* (2. *Cor. c.* 2. *v.* 14.) id eſt, *triumphare facit*. Quædam verba in hac conjugatione fictionem ſeu ſimulationem notant: *ſimulavit ſe divitem*: *ſimulavit ſe ægrotum*. Non rarè quædam nomina ſubſtantiva vim verbi activi habent: ſic Deus *juſtitia noſtra* idem eſt ac *juſtos nos faciens*. *Juſtitia* aliquando pro juſtificatore accipitur, aliquando pro juſtificato. Ita videre eſt, quomodo lingua ſancta, cum tam parvo radicum numero, innumeris ſignificandis rebus inſervire poſſet.

Quia præpoſitionum & conjunctionum, ſive, ut loquuntur Hebræi, literarum ſervilium numerus exiguus eſt, ideo in verſionibus Græcis & Latinis, liberè una pro altera præpoſitio & conjunctio adhi-

betur; quia una & eadem litera Hebræa diverſarum præpoſitionum & conjunctionum vim habeat: præpoſitionum enim loco Hebræi utuntur Elementis alphabeti ſui, verbi cauſa, ſuo כ, quod reſpondet multis prępoſitionibus noſtris; Unde hęc litera & aliæ, quia deſerviunt multiplici uſui, dicuntur *ſerviles*.

Non omnem Phraſeologiam Scripturæ hic explicare vacat; perſtringam quoſdam ejus idiotiſmos. Numerus plenus & rotundus ſæpe in illa ponitur, neglecto minore, qui aliquantulum excreſcit vel deficit. Unus idem aliquando ponitur pro *primus*: verbi cauſa, *una* ſabbati pro *prima dies* hebdomadis. Voculæ *non amplius*, *non ultra*, *ſæculum*, *generatio*, *generationes*, non ſemper ſignificant abſolutam æternitatem, ſeu durationem interminabilem, ſed ſolùm diuturnam durationem, & quaſi humanam æternitatem, ſive longum tempus, cujus finis ab homine jam vivente non videtur. Notandum eſt vocem *caput* loco pronominum interdum poni: *carbones ignis congeres ſuper caput ipſius*, pro *ſuper ipſum*. Etiam illud *filius hominis*, locum tenet pronominis primę perſonæ in his locutionibus Domini: *filius hominis non habet ubi caput ſuum reclinet*: id eſt, *ego non habeo ubi caput meum reclinem*. Voces ſunt Hebrææ diverſæ ſignificationis; quarum ambiguitatem Interpretes non advertentes primi in errorem inducti ſunt, deinde alios induxere. Sic quia *caran* ſignificat *cornua producere & radios ſplendoris inſtar cornuum emittere*, cùm Interpretes dixiſſent faciem Moyſis à conſortio Dei factam cornutam, pictores delineaverunt Moyſen cornutum, cùm decuiſſet nihil niſi emicantes radios ex facie repręſentare, quibus aſtantium oculi perſtringebantur; ut clarè innuit Apoſtolus (2. *Cor. cap.*3. *v.* 12. & 14.) Nomen *Kedem* ęquivocum eſt: notat orientalem plagam ſimul & ante-actum tempus. Uſurpatur & pro his particulis *antea*, *ante*. Pleraque & alia ſunt, quę in diver-

diverſos uſus Hebræi uſurpant. Sic nomen *davar* ſignificat ſermonem & quamcumque rem. Nomen *etzem* propriè ſignificat *os*, *corpus*, *ſubſtantiam*; interdum autem & locum pronominis obtinet. Ita *corpus peccati* eſt ipſum peccatum, & *corpus mortis* ipſa mors; *corpus Eccleſiæ*, ipſa Eccleſia: & *corporaliter* idem ſonat quod *eſſentialiter*. Vaſa ſunt quævis inſtrumenta, ut *vaſa mortis*, id eſt, omnia quibus mors infertur: *vaſa belli*, arma & inſtrumenta bellica: *vaſa Pſalmi & Cantici*, inſtrumenta omnia muſica. Ita de hoc-ce nomine *filius*. Appellant enim Hebræi ſagittas *filias pharetræ*: *inſulam*, Verbi gratia, Tyrum, *filiam maris*: ſuburbia & villulas ei ſubjectas, *filias ejus*: campos pingues, *filios olei*: qui digni ſunt morte, *filios mortis*. Ponitur *filius* pro diſcipulo: hinc *filii Prophetarum* pro diſcipulis Prophetarum: *juſtificata eſt ſapientia à filiis ſuis*, id eſt, à diſcipulis. *Filius unius anni*, pro natus uno anno: *frangere panem* pro veſci pane, ſive comedere panem. Lex vetabat his uti, quæ promiſcuo erant in uſu, & benedictione particulari non fuerant ſanctificata; idcirco *commune* dicebatur pro *prophano*. Nomen illud *mors* adjungitur his quæ mortem cauſare poſſunt: *umbra mortis* eſt *umbra pernicioſa*. Similiter dicunt *pactum ſalis* pro *pacto æterno*. Quia utebantur lapideis ponderibus, indè lapis interdum ponitur pro pondere. Septenarius numerus indicat multitudinem. Animam *in manu ponere*, idem eſt ac *in periculo verſari*; *virtus* idem quod *exercitus*. *Auditus* pro *rumore* uſurpatur: *ſedere* pro *manere*: *pretioſum* pro *raro*: *juſtitia* pro *eleemoſyna*: *cœlum* pro *Deo*: *anima* pro *vita*: *caput* pro *ſumma*: *robur Domini* pro *Arca*: *os gladii* pro *acies gladii*: *labor* pro *dolore*: *lucerna* pro *vita*: *Vox Domini* pro *tonitru*, *cornu* pro *potentia*. *Alienigena* ſonat idem quod *meretrix*; quia

cum

cum lex non ſineret meretrices vivere in Iſrael, idcirco omnes extraneæ erant.

Aures perforare idem eſt quod *ſervum quempiam facere*, quia qui ſe mancipabant, præbebant aures ſibi perforandas. *Calix & funiculus* præter ordinariam ſignificationem notant *hæreditatem*; quia dum hæredes agros dividebant, hos metiebantur funiculis; & cùm ſorti committebant diviſionem, ſortes mittebant in calicem. Proprium Hebræis eſt ut ſubſtantivum geminatum excellentiam ſignificet, & ſuperlativi vicem obtineat *Sancta Sanctorum* pro *ſanctiſſima*: *Canticum Canticorum* pro *excellentiſſimum canticum*: *Vanitas vanitatum*, id eſt, *res vaniſſima*. Eadem vox ſubſtantiva in eodem caſu geminata multitudinem ſeu univerſalitem ejus rei ſignificat. *Homo & homo natus eſt in ea*, id eſt, *multi homines*. *Populi populi*, id eſt, *omnes populi*. Repetitio autem ejuſdem nominis diſtributionem indicat; ita *duo & duo ingreſſi ſunt*, id eſt, bini, ut vernaculè dicitur *deux à deux*, *ital. a due a due*.

Dum loquimur de idiotiſmis linguæ Hebrææ, cauſa à nobis reddenda eſt, cur ab Interpretibus ſacri Textus tam diverſimodè reddantur propria perſonarum nomina. Primùm conſonantes literæ, ut dictum eſt, non eodem modo efferuntur, ſed diverſo, pro ſubjectis vocalibus punctis. Græci autem interpretes, qui primum Biblia verterunt, uſi ſunt Codicibus qui ſine punctis vocalibus ſcripti erant, vel aliis quàm quæ adjunguntur hodiernis. Ita vocabula in textu aliter nunc ſonant, quàm olim, cum LXX. interpretes ſcripſere, & ipſe B. Hieronymus fontem Hebræum latinè reddidit.

Secundo loco, Hebræis, ut modò vidimus in eorum alphabeto, plures literæ ſunt, quæ quidem formâ ſua diſtinguuntur, non ſimiliter ſono; quem ergo in-

go interpretes non iiſdem literis exprimunt : verbi cauſa, literæ zain, ſamech, tſade, ſchin & ſin; quas Græci & Latini alii aliter pronuntiant. Litera ז *zain* Hebræis valet *S* leviſſimum, ut *S* Latinis inter duas vocales, veluti *caſus*, *occiſus*. Alii per Z, & per ζ Græcorum ejus poteſtatem notant: unde aliis ſcribitur *naſaræus*, aliis *nazaræus*. Litera שׂ *ſin* propriè litera Hebræa non eſt, ſed irreptitia pro ס *ſamech*, Sic Ephraimitæ corruptè pronuntiarunt *ſibboleth* pro *ſchibboleth*, quo ſymbolo proditi, occiſi ſunt ex ipſis quadraginta duo millia. Jud. cap. 12.

Litera ח *Hheth* vel *Keth* ſpiritus aſperior eſt in medio gutture coarctatus & ad cœlum palati illiſus; qui cùm Græcis interpretibus viſus fuiſſet cum כ *caph* aſpirato colludere, ſæpe eum expreſſerunt per ſuum χ, ut in χαραν, ῥαχαβ, & ſimilibus. Literæ gutturis ſive gutturales, quæ ſpiritu in gutture formato efferuntur, ſunt quatuor א *aleph*, ה *He*, ח *Hheth*, ע *ain*: ſine puncto vocali poſitæ, valorem omnem in pronuntiando amittunt, & otioſæ, quo ad pronuntiationem, in voce exiſtunt. His autem nunc ſubjiciuntur alia puncta, quàm olim. Ita Propheta qui in Vulgata dicitur *Abdias*, in verſionibus hodierni textus Hebræi appellatur *Obadias* aut *Hobadias*; quod nomen venit à עבד *abad ſervivit*, *jas Deo*; ſed litera *Ain*, pro punctis quæ ei ſubjiciuntur, effertur vel *Abdias*, vel *Obadias*. Multa ſunt nomina, in quibus quieſcit, ut loquuntur Grammatici Hebræi, litera ע ajin; ut in *Amalec*, *in Amram*, *in Aminadab*, & aliis ſimilibus, quæ עם *am* populum ſignificant cum aliqua diſtinctione, *populus regis*, *populus excelſus*, *populus princeps*. Unus ex duodecim Prophetis nominatur *Amos*, Hebraicè עמוס id eſt, *oneratus*, *onerans*, dum ſcribitur per ע in principio. *Amos* pater Iſaiæ habet א in principio, & nomen eſt idem ſonans Hebræis quod Latinis *fortis* vel *robuſtus*.

buſtus. Litera א *aleph* diverſos etiam ſonos admittit pro punctis ſubjectis. Multa ſunt perſonarum nomina, quæ compoſita ſunt voce אל *el* Deus: ut *Eleazarus*, *Elias*, *Eliezer*, *Elizabeth*. In his ſub א *aleph* eſt punctum vocale. ׃. In aliis nominibus *aleph* habet vocalem *O*; ut in *Onam*, *Ophel*, *Oſee*. Conſonans ח *Hheth*, ſpiritus ille aſperior, quandoque quieſcit, & non aliter ſonat quàm *A*, ut in nomine *Anna*; vel ׃, ut in *Emath*, ut in *Ezechias*; vel *H*, ut in *Haram* civitas Meſopotamiæ, in qua habitavit Thare pater Abraham, in *Manahim* caſtra, in *Nahum*, quod nomen Prophetæ ſignificat *conſolatorem*. Inde origo nominum non poteſt agnoſci, niſi cùm Hebraicè & Hebraicis caracteribus exprimuntur: verbi cauſa, *Abel* cum ſcribitur per א *luctus* eſt, per ה in principio *vanitas*.

Hæc & alia facilè intelligi non poſſent niſi alphabeto Hebræo cognito; ad quod mens advertenda eſt. Quin cum ſermo Hebræus multam energiam habeat, quæ vix exprimi poteſt aliis linguis, viſum eſt viris piis ſtudium linguæ ſanctæ non aſpernandum, nec negligendum à ſanctiſſimis mulieribus, virginibuſque. Hoc-ce ſtudium comprobat Hieronymus, ſcribens ad Paulam ſuper obitu Bleſillæ filiæ his verbis: *Jam verò, quod in Origene quoque illo Græcia tota miratur, in paucis non dicam menſibus, ſed diebus, ita Hebraicæ linguæ vicerat difficultates, ut in diſcendis canendiſque Pſalmis cum matre contenderet.* Linguam Hebræam excolendam viris Theologis præcipiunt Patrum decreta, cæteriſque, qui eloquia divina aliis explicare tenentur. Clemens V. in generali Concilio Viennenſi ſtatuit dandam eſſe operam, ut in generalibus ſtudiis, linguæ Hebraicæ, etiam Chaldaicæ, profeſſores conſtituantur. Abſurdum enim eſt ut legatus mandata regis ſui non intelligat, ſed habeat opus Interprete. De Themiſtocle narrant,

quòd

quòd cùm à Perſarum Rege quædam petere, & cum ipſo colloqui cuperet, annum integrum in addiſcenda Perſarum lingua inſumpſerit, ne Regem per interpretem adiret. Quid ergo ipſis agendum, qui non ſemel, ſed quotidiè cum ſummo omnium Rege colloqui tenentur, ejus mandata ad populum deferre, & ipſorum vota ad Deum offerre? Præterea ad fontes Hebræos in veteri Teſtamento recurrendum eſſe, cùm aliquod dubium occurrit, vel in ſenſu verborum, vel in varietate exemplarium, uno ore affirmant ſancti Doctores.

CAPUT IX.

De integritate & auctoritate Hebrai Codicis; de ſtudio quo Judai Maſſoretæ eum incorruptum ſervare ſategerunt. De Maſſora & cabala, qua id præſtiterunt.

QUamquam ſatis conſtet Bibliis ſacris ſua authoritas, juvat tamen comprobare codices illos Hebræos, qui antiqua Patriarcharum lingua fuere exarati, ad nos integros perveniſſe; quod & certum eſt de textu originario Græco, nimirum de libris ſacris, qui primùm Græcè ſcripti ſunt. Sed ante omnia advertendum huic integritati non penitus obſtare quaslibet variantes lectiones: horum enim qui ſacros Codices exſcribunt, potuit calamus aberrare; nec Sapientiæ divinæ viſum eſt, ut eos à talis erroris labe ſervaret. Providit tantùm ne veritas, cui prædicandæ hi Codices facti ſunt, ſcribarum oſcitantia interiret. Ergo, ſicut nemo negaverit variantes lectiones irrepſiſſe in textus originarios, ſic dici non poteſt ideò eſſe ſuſpectos. Ex iis omnibus variis lectionibus vix una produci poteſt, undè orthodoxæ fidei & pietati ullum detrimentum inferri poſſit. *Varietates iſtæ non tanti ſunt momenti*, inquit Bellarminus de Verbo Dei

(*Lib.* 2.

(*Lib. 2. cap. 2.*) *Ut in iis quæ ad fidem & mores pertinent Sacræ Scripturæ integritas deſideretur; plerumque enim differentia eſt in dictionibus quibuſdam poſita, quæ ſenſum aut parùm aut nihil mutant.*

Multi ſunt inter veteres Patres, qui, ut ſuprà diximus, Judæos accuſare videntur de corruptione textus Hebraici voluntaria, ſed horum Patrum teſtimonia ſic exponit Bellarminus, loco citato, ut non de textu Hebraico, nec contra Judæos videantur ſcripſiſſe, ſed contra Aquilam, Theodotionem, & Symmachum, Judæos apoſtatas, qui verſionibus ſuis Græcis Scripturam contaminaverant. Ita cùm ſanctus Hieronymus (*Inter Epiſt. S. Aug. Epiſt. 11. cap. 6.*) ſcribit, ſe Biblia vertiſſe ut ea *teſtimonia, quæ à Judæis prætermiſſa ſunt, vel corrupta, in medium proferret*, intelligit hos Interpretes. Juſtinus Martyr in Dialogo cum Triphone Judæo agens de vaticinio Iſaiæ, *Ecce Virgo concipiet*, accuſat quidem Judæos quòd aliter interpretentur verba Prophetæ, quàm olim eorum Patres, qui Græcè Scripturas reddiderant ſub Ptolemæo: ſed ibi intelligit hos Interpretes Græcos, qui aliter Hebræum fontem reddiderant, quàm legerant LXX. Interpretes, quos ſequebatur Juſtinus Martyr. Tripho in hoc-ce dialogo negat à ſuis corruptas Scripturas. Certè ante Chriſtum malitiosè id non factum liquet. Etenim, ut ſcribit B. Hieronymus (*in c. 6. Iſaiæ.*) Dominus & Apoſtoli, qui arguunt Scribas & Phariſæos, de hoc crimine, quod eſt maximum, non tacuiſſent. Tantùm verò abeſt ut Chriſtus reprehendat eos, quin contrarium innuit, dum ad Scripturas ſcrutandas auditores ſuos amandat (*Joan. c. 5. v. 39.*) quodnon fecisset, ſi falſatæ & corruptæ fuiſſent. Saltem de corruptione præmonuiſſet. Poſt Chriſtum verò Scripturas non corruptas eſſe à Judæis, vel ab aliis, indè conſtat, quòd quæ à Domino & Apoſtolis ex Scriptura citantur ex veteri Teſtamento, eadem planè ſint in Codicibus noſtris.

noſtris. Ac abſurdum & planè ridiculum eſt cogitare, eos loca iſta citaſſe, ut à Judæis vel aliis poſtea depravanda fore prævideraut, quod dicit B. Hieronymus in Iſaiæ caput VI. *Si dixerint aliqui poſt adventum Domini Salvatoris & prædicationem Apoſtolorum libros Hebræos fuiſſe falſatos, cachinnum tenere non potero, ut Salvator & Apoſtoli ita teſtimonia protulerint, ut Judæi poſtea falſaturi erant.* Si Judæi malitioſè corrupiſſent odio Chriſtianorum, hoc ſine dubio feciſſent in vaticiniis de Chriſto; & in locis, quæ præcipua myſteria religionis Chriſtianæ ſpectant: hoc verò non fecerunt. In quibus Codices Hebræi à Græcis & Latinis differunt, ea nullius aut parvi momenti ſunt; imò ut obſervat Bellarminus, codices Hebræi ſæpe Judæis magis obſunt quàm Græci & Latini. Quis verò credat Judæos depravaſſe loca, in quibus inter nos & illos nulla eſt controverſia; & in reliquis, quæ de graviſſimis myſteriis noſtræ religionis agunt, nihil immutaſſe? *Anne credibile eſt*, loquitur B. Auguſtinus (*Lib.* 13. *de Civit. cap.* 13.) *ipſos codicibus ſuis voluiſſe eripere veritatem, ut novis eriperent authoritatem, vel per totum orbem diſperſos potuiſſe in hoc conſpirare, nullo contradicente?* Ibidem dicit: *Abſit ut prudens quiſpiam vel Judæos, cujuslibet perverſitatis atque malitiæ, tantùm potuiſſe credat in codicibus tam multis & tam longè lateque diſperſis.*

Confirmatur Judæos hoc nunquam in mente habuiſſe, incredibili ipſorum zelo erga legem & libros ſacros; ut mortem potiùs omniaque tormenta ſubirent, quàm vel unum legis apicem mutare vel adulterare vellent, ut de iis teſtatur Joſephus (*Lib.* 1. *contra Apion.*) & Philo apud Euſebium (*Lib.* 8. *cap.* 6. & 8.) Tanta ſuperſtitione feruntur erga ſacros Codices, ut in libro Legis ſi vel unicum erratum deprehendant, pro illegitimo damnent & abjiciant. Nullos libros non correctos nolunt ſervandos ultra triginta dies; Si verò ul-

rò ultra quatuor errores habent, ſepeliendos volunt cum probis hominibus. *Providit ergo Deus*, utor verbis D. Auguſtini (*Lib.*18.*de Civit.cap.*46. *& in Pſal.* 56.) *ut Judæi, tanquam Capſarii noſtri, libros noſtros circumferrent, ut cum pagani non credunt quæ nos de Chriſto prædicta fuiſſe dicimus, quaſi à nobis eſſent conficta, mittamus eos ad inimicos fidei noſtræ Judæos, qui libros noſtros circumferunt, in quibus eadem habentur quæ nos prædicamus*. Verùm non aliter jam portant Judæi Scripturam quàm cæci ſpeculum, in quo alii multa vident, ipſi nihil.

De illis autem Judæorum codicibus, intelligo Hebraicos veteris fœderis codices, qui certè non ad ſolos Judæos pertinent, ſed ad Eccleſiam Chriſti. Quapropter haud illi potuere in univerſum, vel in re aliqua majoris momenti corrumpi à Judæis, poſt conditam Eccleſiam Chriſtianam: continuò enim quæ divino inſtinctu & afflatu regitur, occurriſſet; & viri docti, quorum numerus ſemper aliquis fuit, indicaſſent piaculum factum.

Etſi verò Judæi malitiosè textum non corruperunt; probabile tamen eſt, ubi erat duplex lectio, quarum una magis favebat Chriſtianis, alteram ſecutos eſſe ex odio Chriſtianorum. Hoc apparet in loco celebri Pſalmi vigeſimi ſecundi, ubi olim erat in textu *caaru*, id eſt, *foderunt*, & forſan in margine *carie*, id eſt, *ſicut leo*: poſteriores Judæi illud marginis *ſicut leo* poſuerunt in textu, & amandaverunt in marginem *caaru*, id eſt, *foderunt*; quod fecerunt, erepturi nobis, ſi potuiſſent, veritatem, ſcilicet celebre vaticinium, quòd aliquando foderentur pedes & manus Chriſti. Id à poſterioribus Judæis factum revincunt viri periti ex ipſis antiquioribus Judæorum libris. Sed, quid quid ſit, dictum vaticinium abraſum non poteſt cenſeri ex bibliis Hebraicis, quorum in margine reſtat, & notatur à criticis Judæis. Queritur, fateor, Juſti-

nus

nus Martyr ab illis abraſum ex Pſalmo xcv. illud *regnavit à ligno Deus*. Sed cùm ille locus in verſione Græca LXX. Interpretum non extet, veriſimile eſt neutiquam fuiſſe in Hebræo codice. Verè Deus regnavit à ligno; ſed iis verbis haud expreſſum eſt in Biblico textu illud regnum. Attamen cum ſubjiſſet mentem Juſtini, vel alterius, ſive memoria illis illuſiſſet, putavere abraſum quod putabant olim ſcriptum; & adduxerunt Tertullianum, Cyprianum, Auguſtinum, & alios, ut id factum pariter crederent. Forſan ad marginem Pſalmi, ubi occurrit illud, *Dominus regnavit*, quiſpiam addiderat *à ligno*; quod poſtea quis alius, non habens pro additamento, inſeruit textui; qui ſic depravatus eſt: error autem non recognitus eſt, niſi cum comparatione Hebræi codicis & codicum Græcorum: tandem codices liberati ſunt illo aſſumento.

Mutationes quidem à ſe ipſis factas eſſe agnoſcunt Judæi, quas vocant *correctiones Scribarum*, nempe in ſex locis, in quibus non agitur de ullo Chriſtianæ Religionis myſterio, nec Chriſtianis una lectio magis favet quàm altera. Harum ergo correctionum, ut adſtruit Maſſora, de qua modo differemus, authores fuere Eſdras & proceres Synedrii magni, qui Scribæ vocantur, id eſt, Legis-periti. Videlicet illi cùm poſt reditum è Babylone volumina ſacra recenſerent, & ex variis Codicum lectionibus illas approbarent, has rejicerent, quædam loca mutavere. Scribarum quidem incuria, vel temporum injuria, in textus originarios mendas leviores poſſe irrepere experimur. Id non negamus. Sed illa errata poſſunt tolli & emendari aliorum codicum & interpretum auxilio. In hiſce ſacra Volumina idem fatum ſubeunt cum aliis libris, qui ſæpius deſcribuntur. Ex Maſſoretis autem conſtat antiquos Hebræos codices variaſſe. *Viri Synagogæ magnæ*, inquit Kimchius (*Præf. Comment. in priores Prophetas.*) *qui legem nobis in priſtinum ſtatum*

reſtituerunt, invenerunt differentias in libris, & ſecuti ſunt multitudinem; in locis verò quorum claram cognitionem aſſecuti non ſunt; unum ſcripſerunt in textu, & non punctuaverunt, aut ad marginem, & textui non inſeruerunt.

Artem illam, quâ incorrupta Biblia ſervari poſſe Judæi autumant, exponam. Illam appellant *Maſſoram*, quam prædicant eſſe ſepem Legis; id eſt, ut interpretatur Maimonides, *quæ hominem longe à tranſgreſſione Legis avertit*; quia ſcilicet præcavet ne Legis verba corrumpantur. Igitur videamus de *Maſſora* primò quid ſignificet illud nomen; ſecundò quæ ſit materia ejus. *Maſſora* eſt vox Hebraica, quam derivant à radice *maſar*, quæ *tradere* ſignificat. *Maſſora* ergo accipitur pro doctrina, quam quis à Majoribus quaſi traditam poſteris de manu in manum tranſmittit. Critica eſt Hebræorum ſacra, quæ ſcriptionis & lectionis varietates per totam ſcripturam tradit, & docet quoties, quo loco, & qua forma quæque dictio in textu Hebræo inveniatur, ut genuina lectio ab omni corruptione & mutatione immunis ſervetur. Numerarunt Maſſoretæ ſingulos verſus uniuſcujuſque ſectionis majoris Legis; numerumque ad finem cujuſque ſectionis vel libri annotarunt, primò literis numeralibus, deindè nomine aliquo ſymbolico, ex cujus literis idem numerus exurgit. Dein verſum medium ſingulorum librorum annotarunt. In Geneſi, verbi cauſa, numerant verſus 1532. & admonent verſum medium eſſe illum *& gladio tuo vives* (*cap.27.v.40.*) Hos autem verſus numerarunt, ne quis fraude vel negligentia verſum aliquem detruncaret, vel audacter adderet. In verſibus præterea notant quot his vel illis literis incipiant & deſinant, quot & quibus conſtent.

Ut verſus, ſic voces recenſuerunt Maſſoretæ, circa quas annotarunt varias Codicum lectiones, diſtinguentes quæ legi, quæ ſcribi debeant; aliæ enim ſcri-

buntur

buntur in textu, ſed leguntur ſive pronuntiantur juxtà marginalia puncta: quod notis *Keri* & *Ketib* diſtingunut. *Keri* derivatur à verbo *Kara*, id eſt, *legere*; & *Ketib* à *Katab*, id eſt, *ſcribere*: Scilicet illis notis admonetur lector quæ lectio magis probanda ſit marginis vel textus, ut modo liquidiùs dicetur. Notant etiam dictiones alias eſſe plenas, cùm ſcilicet literæ, quas Hebræi appellant quieſcentes, ut *jod* & *vau*, omnes exprimuntur: alias defectivas, nimirùm in quibus deficiunt illæ literæ. Obſervant vocum ſitum, vel locum reſpectu initii, vel medii, vel finis alicujus verſus. De quibuſdam vocibus ſtatuunt quoties occurrant.

Quin & literas tam conſonantes, quàm vocales recenſuerunt Maſſoretæ. Circa literas conſonantes, notarunt quædam ſpectantia tam quantitatem quàm ſitum earum & numerum. Reſpectu quantitatis, quaſdam volunt in textu reliquis majores fieri, quaſdam minores: reſpectu ſitus, quaſdam quaſi ſuſpenſas eſſe ſupra reliquas in eadem linea, quaſdam inverſas, quaſdam medias in quolibet libro. Quoad numerum, quod literæ occurrant in ſingulis libris, ad calculum revocarunt. In quibuſdam Hebraïcis Bibliis (ex multis enim nugæ illæ eliminatæ ſunt) videre eſt has majuſculas literas, majores, minores & ſuſpenſas. In his varia myſteria Judæi quærunt, magis occupati circa ſimiles nugas, quàm circa Scripturæ verum ſenſum.

Circa vocales, earumque punctuationem & accentuum notas, utilem operam navarunt Maſſoretæ, Textui, non pro arbitrio, ſed ſecundùm veram & receptam lectionem à ſacris Scriptoribus ad ipſorum tempora conſervatam, apponentes puncta, quibus facilior redditur lectio; & textus ambiguitati & corruptioni minùs obnoxius eſt. Hic obſervandum cum Morino *exercit.* XV. Judæos Talmudiſtas per Maſſo-

Bb 2 ram

ram intelligere textum Biblicum, ut à Moſe ſine punctis traditus eſt, quia natura ſua plurium lectionum ſæpiſſimè capax eſt; & eundem textum matrem Maſſoræ appellant, cùm omnis lectionis ſit parens, nullaque, quæ ipſi repugnet, admitti debeat. Matrem verò lectionis nominant uſitatam lectionem, ſive pronuntiationem vulgarem, quam, ut vidimus, Maſſoretæ conſervarunt appoſitis punctis. Poſteriores verò Maſſoretæ multa annotarunt circa vocalium rectam, & irregularem multarum punctuationem, ne quis eas mendoſas eſſe ſuſpicans, mutare tentaret. Multas, inquam, voces hoc vel illo modo punctatas numeraverunt, quoties ſcilicet in Scriptura inveniuntur; & ſæpe loca indicant.

Sunt Judæi, qui Eſdram & viros Synagogæ magnæ, quos ultimis Prophetis adnumerant, auctores Maſſoræ faciunt: alii verò Grammaticis Tiberienſibus gloriam hujus tribuunt; his nempe qui Tiberiade urbe, juxta lacum Geneſareth, profitebantur literas Hebraicas, circa annum Chriſti D. certum eſt notas maſſoreticas nec ſimul nec ab uno authore fuiſſe adinventas, ſed per varia ſæcula à diverſis auctoribus compilatas. Non dubito etiam aliquas conſtitutas fuiſſe longè ante tempus Grammaticorum Tiberienſium, cùm Phariſæi & alii Judæi circa corticem Legis occupati, negligerent verum ejus ſenſum.

Uſum Maſſoræ, cujuſcumque authoris opus ſit, & quocumque tempore adinventum, alii admirantur, quaſi impoſſibile eſſet poſt Maſſoram ullum errorem, depravationem, vel mutationem in textum irrepere poſſe. Alii contra aſpernantur tanquam opus vanum, inutile, nulli uſui inſerviens, otioſorum hominum. Elias Levita Judæorum primus & ſolus, poſt labores multos in hoc ſtudio exantlatos, inquit Morinus, Maſſoreticum artificium explicavit libro particulari, quem ideo *maſoreth hamaſoreth* nuncupavit, hoc eſt, *Traditio-*

ditionis Traditio. Joannes Buxtorſius de maſſora commentarium amplum edidit, quod inſcripſit *Tiberias*, quia *maſſora* ſive inventa ſive aucta eſt à Doctoribus Judæis Tiberienſibus, qui puncta ſacro Codici appoſuerunt,&hæc omnia quæ Maſſora docet adinvenerunt. Quibus vacat, legant opus Buxtorfii; ex quo cùm viri eruditi fructus non parùm utiles poſſe percipi cenſeant, ipſe exſcribere pergam, quæ magis proderit non ignorare.

Inter præcipuas Maſſoræ partes habentur *Keri* & *Ketib*, de quibus ſuprà. *Keri* ſignificat lectum, & *Ketib* ſcriptum. In marginibus Bibliorum pro *Keri* prima litera ק *coph* brevitatis cauſa ſolùm notatur; quæ lectorem monet vocem ſub litera *coph* in margine aſcriptam legendam eſſe, at cum punctis quibus afficitur vox in textu. Vox verò in textu *Ketib*, id eſt, *ſcripta*, pro qua brevitatis cauſa notatur litera כ *caph*, habet circellum ſupra ſe, quo lector ad vocem marginalem ſub *caph* remittitur. Hæ notæ videntur natæ ex religione Judæorum, vel ex codicum mendoſa deſcriptione & Librariorum errore. Ad primam originem refertur nominis tetragrammati *Jehova* pronunciatio per *Adonai*, cujus puncta ſub *Jehova* ponuntur, vel per *Elohim* & ejus puncta ſcribitur. Scilicet quoties hæ quatuor literæ, *Jod*, *He*, *Vau*, *He* ſimul occurrunt conjunctæ, quibus magnum nomen Dei conſtat, non id nomen pronuntiant, ſed illud quaſi ſcriptum eſſet vel *Adonai* vel *Elohim*; quorum nominum puncta ſubſtituunt quatuor literis magni nominis Dei. Primus Galatinus qui floruit anno MDXX. ſic efferre cœpit nomen illud Dei Tetragrammaton, ut audiretur ſive ſonaret *Jehova*. Pronuntiatio illa incerta eſt; vera ignoratur. Certum eſt apud Judæos longè ante Chriſti tempora, ſive ob reverentiam, ſive ob aliam cauſam, nominis hujus divini pronuntiationem ſub magna pœna interdictam fuiſſe

 omni-

omnibus, niſi ſolis Sacerdotibus, cùm in Templo populum ſolemniter benedicerent. Poſt Templi ergo everſionem, nemini omnino licitum fuit illud effari; & ſic brevi tempore vera ejus pronuntiatio penitus periit, non ſine admirabili Dei providentia, ut Judæi ſimul cum Templo, in quo Deus verus colebatur, etiam nomen ejus eſſentiale & maximè proprium amitterent. Factum, inquam, ut cùm Deus ulteriùs Deus eorum eſſe nollet (everſo enim Templo publicum repudii libellum ipſis dedit) verum ejus nomen poſthac ignorarent. Non ſoli Judæi recentiores notant nomen proprium Dei totius vulgi ore non fuiſſe uſurpatum; ſed etiam teſtatur Joſephus nomen illud ἀνεκφώνητον fuiſſe. Græci Interpretes, quoties occurrebat, legiſſe non *Jehova* ſed *Adonai* indè colligitur, quòd nomen *Jehova* κύριον, reddunt, id eſt, *Dominum*; quæ propria ſignificatio eſt nominis *Adonai*.

Originem notarum *Keri* & *Ketib* ſaltem complurium duci debere ex variis Codicum lectionibus apertum eſt; quare has notas longè poſt jam exaratos Codices ſacros adinventas eſſe liquet: neque enim horum Codicum authores ignorare poterant, in libris quos ſcripſerant, veram lectionem. In Talmude admonetur omnes voces quæ in lege ſunt obſcænæ, eas legendas eſſe honeſtè; nimirum pro nominibus obſcænis alia ejuſdem ſignificationis, ſed honeſtiora pronuntiari debere. Lectiones variantes, quas *Keri* & *Ketib* notant, in multis Bibliis Hebraicis reperiuntur.

Duo alia variarum lectionum genera agnoſcunt Judæi: diſcordant enim inter ſe Orientales & Occidentales; & codex dictus *Ben-Aſcher* differt à codice *Ben-Nephtali*. Per Orientales, intelliguntur Babylonii: per Occidentales, Palæſtini. Hi ſic appellantur per reſpectum ad Babylonios, qui Orienti ſunt proximiores. In his autem locis, Babylone & Palæſti-

na, poſt

na, poſt excidium Templi & Urbis, celebriores fuere ſcholæ per varia ſæcula continuatæ, floruerunt ibi & Rabbini & Doctores, qui multos habuere diſcipulos. Ex his diverſis ſcholis, ut fieri ſolet, diſſentiones & æmulationes inter eos ortæ ſunt. Undè ex variante codicum deſcriptione, vel ex codicibus per celebriores Rabbinos emendatis, dum utrique lectionem ſuam ſequerentur, ortus eſt variarum lectionum catalogus. Rabbi Ben-Aſcher, ſive Rabbi Aaron, filius Rabbi Moſis, de Tribu Aſcher, & Ben-Nepthali, ſive R. Jacob, filius Nepthali fuere principes & rectores Academiarum. Hic Babylone, alius Tyberiade. Studium eorum erat emendata & correcta Bibliorum exemplaria edere. Undè quia æmulatio fortaſſe inter Doctores Babylonios & Palæſtinos gliſcebat, noluit alter alterius opem petere, ut collatis ſtudiis unum emendatiſſimum exemplar conficerent. Uterque critica ſua tumidus codicem proprium, quàm emendatiſſimè potuit, conſcripſit; quem publici juris fecit, ut ex eis quiſque eorum ſequacium libros ſuos corrigerent. Lectiones variantes inter codices horum Rabbinorum nullius ſunt momenti. Verſantur circa puncta & accentus; ita grammaticales inter eos rixæ ſunt. Hæc omnia cum ipſo textu ſacro reperiuntur cuſa Venetiis & Baſileæ. Jam dicam de *Cabala*.

Vix differt *Cabala* à *Maſora*. *Cabala* eſt receptio, à radice *cabal*, id eſt *accepit*; ut *Maſora* traditio, à *Maſar*, id eſt, *tradidit*. Unius & ejuſdem rei diverſo reſpectu eſt traditio & acceptio: ſic apud Judæos eadem ſcientia tam *Cabala* quam *Maſora* dicitur. At uſus obtinuit, ut *Cabala* non quævis traditio habeatur, ſed quæ myſteria in Scripturis latentia doceat, à tempore Moyſis, ut volunt, uſque ad hocce tempus de manu in manum accepta. Sic, inquam, *Maſoram* diſtinguunt à *Cabala*, ut *Maſora*

 nihil

nihil aliud ſit quàm traditio Grammatica de punctis vocalibus, accentibus, ſyllabis & iſtiuſmodi minutiis; *Cabala* verò ore tradita verſetur circa profunda Legis myſteria, quæ ex verbis, literis, punctiſve eliciantur. Hanc æquiparant Legi. Equidem præter ordinariam ſignificationem verborum Scripturæ, aliam fateor quærendam, qua tam verba ejus quàm res ipſæ, quas primariò ſignificant referre decet ad Chriſtum. Ita videre eſt in ipſo Evangelio, & in libris Judæorum, ut in paraphraſibus Chaldaicis, & etiam apud Rabbinos peritiores, multa loca Scripturarum interpretata de Chriſto, quæ conveniunt cuipiam alteri, quem propriùs ſpectare videntur. Hæ myſticæ interpretationes, ſive hæc Cabala authorem procul dubio habebat Moyſem & prophetas, qui ſcriptis & ore docuerunt Chriſtum eſſe plenitudinem Legis, & omnia in typos ejus fieri. Miſterium quod in verbis Geneſeos cap. 2. occultabatur *relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit uxori ſuæ* revelat Paulus in capite v. 32. ad Epheſios. *Sacramentum*, id eſt, Myſterium *hoc magnum eſt*; *ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia*. Epiſtola illa inquit Cunæus, plena eſt myſticis atque abditis ſenſibus, ſicut tota Scriptura: verum ex hodierna Cabala Judæorum nihil ſani hauriri poteſt. Vana myſteria in ſyllabis & apicibus Scripturarum quærit. Libri Cabaliſtici qui hodie venditantur, nunc agnoſcuntur ab ipſis Judæis pro figmentis nuperorum Rabbinorum, qui fucum fecerunt tam ſuis Judæis, quàm pleriſque Chriſtianis: obſcuris enim verbis myſteria ſua tradunt, ut à vulgo non intelligantur; ut Chimici Doctores ſua ſecreta obſcuris verborum involucris involvunt, quia pleraque falſa & inepta ſunt, quæ docent, quæque riſum moverent, ſi citra ambages proponerentur.

Species eſt quædam cabalæ, quam practicam vocant,

cant, quæ ab omnibus ut magica & illicita damnatur. Hujus arte, ſunt Judæi qui è literis vel verbis Scripturæ detortis, & arcanis quibuſdam inde elicitis, opinantur aſſequi Angelorum conſortium, & poſſe eos reddere ſibi familiares, miracula patrare, morbos ſanare. Rabbi Nachman narrat virtute nominis Dei Tetragrammati, quod in ſchedula habebat ſcriptum, navem à terra in mare deductam, quam Naupegi loco movere non potuerant. Per hoc-ce nomen non minùs ridiculè quàm impiè blaſphemant Chriſtum Dominum omnia ſua miracula perfeciſſe. Fingunt cùm hoc nomen in Templo inveniſſet in membrana ſcriptum, occultaſſe in vulnere quod ſibi in pede fecerat: quod figmentum ineptum eſt; ſi enim per veram hujus nominis pronuntiationem tot potuiſſent patrari miracula, cur Sacerdotes, qui ſtante Templo per nomen hoc, cujus veram pronuntiationem ideo noverant, populum benedicebant, iſtiuſmodi miracula non effeciſſent?

Sunt Cabaliſtici doctores, qui in literis, punctis ſic ludunt, ut ex variis permutationum combinationibus, abbreviaturis, vel ex literarum figura, vel valore arithmetico, ſenſus myſticos eliciant, ſed ineptos & ſuperſtitioſos. Prima ſpecies hujus cabalæ dicitur *gematria*. Dictio planè Græca eſt, ut ipſi Judæi agnoſcunt, qua utuntur ad denotandam Arithmeticam literarum ſupputationem: dictionum autem quarum literæ eundem numerum producunt, unam per alteram explicant. Sic *Tzemach*, id eſt, *Oriens* dicunt eſſe unum ex nominibus Meſſiæ, qui & dicitur *Manahem*, id eſt, conſolator; literæ autem utriuſque nominis producunt numerum 138. Altera ſpecies dicitur *Notaricon*, dictio latina; qua nempe per notas ſive per compendium literarum ſingulæ literæ alicujus dictionis totidem verba ſignificant,

quæ

quæ eaſdem literas initiales vel finales habent. Sic ex *Bereſchit*, prima voce Geneſeos, hunc ſenſum eliciunt. *In principio vidit Deus quòd Iſraelitæ acceperunt legem*. Tertia ſpecies eſt *Temura*, id eſt, permutatio, quà eodem literarum numero retento eas aliter componunt; vel per certam Alphabeti combinationem cum aliis permutant. Illam permutationem Judæi voce fictitia nominant *atbach*; & definiunt ſpeciem ſcribendi arcanam, una alphabeti litera pro altera poſita. Hæc anagrammatiſmo ſimilia ſunt, Non vacat his nugis diutius immorari. Hos Cabaliſticos Aben-Eſra, licèt vir Judæus, aſſimilat noctuis, qui in literalis ſenſus ſplendore cæci ſunt, at in myſteriorum tenebris perſpicaces. Attamen quandoque in illis non infeliciter luditur. Similes quidem luſus non dedignati ſunt olim Sancti Patres, qui myſteria quærunt in numeris. Diu eſt quòd ex diverſis literis initialibus ſingulorum nominum, unum aliquod nomen confectum eſt; ut vidimus de nomine Macchabæorum, Sanctus Auguſtinus nomen *Adam* reſolvit in quatuor nomina Græca, quæ ſignificant quatuor mundi plagas: *ἀνατολὴ oriens*, *δύσις occidens*, *ἄρκτος ſeptentrio*, *μεσημβρία meridies*.

CAPUT X.

De Hebræi Codicis antiquis verſionibus Græcis: de Verſione quæ dicitur LXX. Seniorum; & de cæteris.

OLim Deus in Judæa, & non extra illam, notus erat. Solis Abrahæ poſteris, Iſaac & Jacob nomen ſuum manifeſtum fecerat. His ergo, & non aliis, volens ſua eloquia credere, nota lingua eos compellavit, paterna ſcilicet, quæ Hebræa erat. Id

genus

genus ſermonis congruum, quo arcana ejus non vulgarentur, etiam ſi ſacer Codex in aliorum quàm Judæorum manus perveniſſet. Etenim ante appoſita puncta vocalia, ſic obſignabatur, ut nec rectè legi poſſet, nedum intelligi, niſi ab eis qui veram ejus lectionem, ſicut & intelligentiam, haberent ab avita traditione acceptam. Verùm ubi jam approperabat illud tempus, quo cœli terræque Dominus non Judæorum tantùm, ſed omnium populorum Deus audiretur; & illa omnia myſteria, quæ in Hebræo codice latebant, reſeranda erant, ſivit ille ut notiori & faciliori lingua in publicum manarent ex fonte ſuo derivata; ne Judæi qui odio proſequebantur omnes alias gentes, illis prorſus veritatem inviderent, ut declarat B. Auguſtinus lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 15. ubi loquitur de verſione Græca LXX. Interpretum, de qua modo acturus ſum, *Quamobrem etiamſi aliquid aliter in Hebrais exemplaribus invenitur, quàm ipſi poſuerint, cedendum eſſe arbitror divinæ diſpenſationi, quæ per eos* Interpretes, *facta eſt: ut libri quos gens Judæa cæteris populis vel religione vel invidia prodere nolebat, credituris per Dominum gentibus, miniſtra Regis Ptolomæi poteſtate, tantò ante proderentur.*

A quo tempore Alexander Magnus rex Macedonum imperium Orientis invaſerat; quod eo mortuo inter præcipuos duces ejus diviſum eſt, ſermo Græcus toto Oriente & in Ægypto, quam & ſibi ſubjecerat Alexander, cœperat uſitatus eſſe. Quò Græcorum imperium non pervenerat, doctrinæ eorum exiſtimatio adduxerat populos ad Græcarum literarum ſtudium. Itaque cùm Evangelium promulgatum eſt, jam Græca lingua totum orbem notum pervaſerat. Siverat autem Deus ut Hebræus Codex Græcè verteretur, ut innoteſcerent quæ ſignificabat adimplenda per Filium ſuum, quem miſſurus erat in terras.

Ver-

Verſio, inquam, Græca prædicationi Apoſtolorum viam ſtravit; cùm Gentes lingua ſibi nota, ea quæ ab Apoſtolis de Chriſto prædicabantur, à Prophetis priùs prædicta legerent. Nulla de Apoſtolorum fraude, vel de Judæorum malitia & obſtinata perfidia ſuſpicio ſuboriri eorum animo poterat; cùm ipſi Judæi literas ſacras in linguam Græcam traductas Gentibus tradidiſſent: ex quibus tum myſteria Chriſtiana probari, tum ipſorum incredulitas, qui Chriſtum non receperant, redargui poterat. Si verò nulla ante Chriſtum facta eſſet verſio, dicere potuiſſent Judæi haud fideliter factam; & ipſi vel ex invidia libros ſuos corrumpere tentaſſent, vel Chriſtianos de corruptione accuſaſſent. Quin ipſi Chriſtiani adornatam à ſe Verſionem Gentibus tradentes non tam facilè fidem inveniſſent.

Quoſcumque auctores habeat verſio Græca, quæ dicitur opus LXX. conſtat ante tempora Chriſti vulgatam fuiſſe. Ipſa eſt quæ hoc-ce nomine circumfertur; quam Joſephus & Philo celebraverunt: ex qua videre eſt in novo Teſtamento pleraque ex veteri allegata. Huic acquieverunt Apoſtoli & univerſa Eccleſia. Ex ea factæ verſiones, quæ primùm in Eccleſiis Chriſtianis publicè prælectæ ſunt. Denique ex hac Græca verſione traductæ ſunt Arabica, Æthiopica, Armena, Illyrica, Gothica, Latina vetus ante B. Hieronymum. Nec aliam Eccleſia Græca, & pleræque Orientales in hunc uſque diem agnoſcunt, hac ſola contenti. Hanc Patres & Theologi tam Græci quàm Latini commentariis illuſtrarunt: in Conciliis tam Provincialibus quàm Generalibus ex hac veritatem doctrinæ probarunt; errores & hæreſes profligarunt; vitæ & diſciplinæ regulas hauſerunt. Ergo manet indubitatum non levis eſſe auctoritatis; ideo autem multùm utilis, quòd elaborata ſit his-ce diebus, quibus notior erat lingua Hebræa; quæ diu eſt quòd verna-

vernacula eſſe deſiit, nec intelligi poteſt niſi ex interpretatione antiquarum Verſionum. Perſtringam breviter quod de hiſtoria dictæ verſionis certum vel incertum habetur.

In libello Græcè ſcripto, cujus auctor ſe Ariſtæam vel Ariſtæum dicit, hiſtoria illa, de qua ſit ſermo, enarratur. Ambigunt aliqui num ille libellus, qualis nunc editur, ſit liber ſuppoſititius. Video viros peritiores pro antiquo ſcriptore eum habere; nec valet argumentum quod aliqui deducunt ex prætermiſſis in eo libro quibuſdam circumſtantiis celebris hiſtoriæ; verbi causa, non memoratas ab Ariſtæa cellas, in quibus ſeparatim concluſi Græcæ verſionis Interpretes, & tamen inter ſe conſenſerint, non diverſa, ſed prorſus eadem ſcribentes; ut aſſerit Juſtinus martyr. Hoc-ce miraculum potuit vulgari & temerè credi licèt non ſit ſcriptum à primo hiſtoriæ Scriptore. Sed & plures Viri non contemnendi, qui etiam pro antiquitate dicti libelli pugnant, ſuſpicantur totam hanc-ce hiſtoriam, qualem eam Ariſtæas exponit, commentum eſſe alicujus Judæi Alexandrini, qui ut verſioni Græcæ, quam edendam populares ſui curaverant, auctoritatem conciliaret, ſub nomine Ariſtææ viri Græci & Gentilis, totam hanc-ce fabulam commentus eſſet; quod arguunt anachroniſmi, qui deprehenduntur in hoc ſcriptore, quem tamen exſcribam. Quiſquis ſit, quod enarrat fidem invenit apud Joſephum, Philonem, & omnes ferè antiquos ſcriptores; ut niſi graviſſimis argumentis ſubnixus nemo debeat impetere veterem viri exiſtimationem.

Summa hiſtoriæ totius huc redit. Cùm Rex Ægypti Ptolemæus Philadelphus libros omnis generis conquireret, ut Bibliothecam ſuam magnis ſumptibus Alexandriæ ſtructam ornaret, ſuaſu Demetrii Phalerii, quem bibliothecæ præfecerat, Judæorum leges & religionem, cum ipſorum libris ſacris, in bibliothecam

ſuam

ſuam inferri voluit, & ut in linguam Græcam, quæ omnium longè propagata, & ſibi optimè nota erat, verterentur. In hunc finem legationem honorificam miſit, cum literis & magnificis in uſum Templi donariis, ad Eleazarum Judæorum Pontificem, poſtulans ut libros ſuos ſacros ad ipſum mitteret unà cum viris, tam doctrina quàm ætate & moribus conſpicuis, qui ad tantum opus conficiendum idonei eſſent. Ariſtæas unus fuit ex his legatis, ipſe inter proceres Ptolemæi ſummus. Eleazarus autem ille, ad quem legatio, juxta Joſephum, Oniæ primi filius erat, Simeonis juſti frater, de quo Siracides (*Cap.* 10.) loquitur & Jaddi nepos; qui dicitur Alexandro Magno obviam iviſſe, & illi Judæos conciliaviſſe.

Eleazarus, convocato Concilio, viros elegit ex qualibet Tribu ſex, & miſit ad Regem, unà cum exemplari Librorum ſacrorum, quod ex multis membranis artificiosè connexis conſtabat, pro more Judæorum, & literis aureis erat deſcriptum. Rex ſummo gaudio eos excepit, & volumina ſacra venerabundus aſpexit: poſt multa verò convivia & colloquia, in inſulam Pharum, ſeptem ſtadiis ab Alexandria diſtantem, remiſit, aſſignans eis procul à ſtrepitu domum divinis contemplationibus idoneam. Eo in loco omnibus neceſſariis inſtructi, verſionem ex Hebraica in linguam Græcam inchoarunt; quam cùm abſolviſſent ſpatio LXXII. dierum, eam juſſu Demetrii, in præſentia Sacerdotum & Principum Judæorum, totiuſque populi Judaici, quorum multi erant in Ægypto, legerunt. Ab omnibus acclamatum benè & fideliter omnia tranſlata eſſe: utque rata in perpetuum maneret iſta verſio, neminique aliquid in ea mutare liceret, dira imprecati ſunt in omnes, qui quicquam in ea mutare tentarent. Rex verò, cùm omnia ei perlecta eſſent, Legiſlatoris ſapientiam admiratus, libros religioſè aſſervari juſſit; permittens Judæis Principibus ſynagogarum,

rum, ut exemplaria deſcriberent in uſum ſuum: ipſos verò LXXII. Interpretes cum donariis magnis permiſit redire in patriam; ſimul dimiſit liberos centum viginti mille Judæos captivos, quorum pretium redemptionis ipſe perſolvit. Tum exemplar Hebraicum, tum ipſam verſionem in Bibliothecam collocavit Demetrius.

His atteſtatur Philo (*Lib. 1. de Vita Moſis*) narrans rem contigiſſe ſub Ptolemæo Philadelpho, qui tertius ab Alexandro fuit Ægypti Rex. Simul confirmat quod Ariſtæas fusè ſcribit, nempe propoſitas à Rege quæſtiones dictos interpretes ſolviſſe; eiſque inſulam Pharum aſſignatam: *Ubi*, inquit, *tanquam numine correpti prophetabant, non alia alii, ſed omnes ad verbum eadem, quaſi quopiam dictante ſingulis inviſibiliter.* Paucis interjectis hæc ſubjungit Philo: *Quamobrem hodièque ſolemnis celebritas renovatur in Pharo inſula, ad quam non tantùm Judæi, ſed alii plurimi trajiciunt, locum veneraturi in quo primùm viſa eſt hæc interpretatio, & pro tanto beneficio quaſi recente acturi Deo gratias. Poſt vota autem & gratiarum actiones, alii tentoriis fixis in littore, alii diſcumbentes in ipſa arena ſub dio epulantur cum amicis & domeſticis; preferendo tunc litus palatiis regiis.* Joſephus (*Lib. 2. cap. 2. Antiq.*) exſcribit Ariſtæam, quem Ariſtæum nominat. Deſcribit multis verbis quæ ad Templum Ptolemæus miſerit donaria; & ex his quæ profert ex libro, conſtat non alium eſſe, qui nunc nomine Ariſtęæ editur. Sunt tamen, ut innuimus, qui ſuſpicentur Judæos Alexandrinos, ſub nomine Ariſtęæ alienigenæ, librum de quo ſermo eſt, edidiſſe, ut auctoritatem conciliarent verſioni Græcæ quam cuderant. Evicimus in diſſertatione de Paſchate Judaico, Alexandrinos ſchiſmate quodam ab Hebræis divulſos, quatenus contra divinas leges haberent proprium Templum, in quo Sacrificia Deo offerebant, quan-

quam

quam non negarent Templum Hieroſolymitanum eſſe ſanctiſſimum. Cùm linguam Hebræam in urbe Græca degentes didiciſſent, veriſimile eſt in linguam Græcam curaſſe vertendos Libros ſacros; & ut hæc verſio authentica haberetur, prædictam hiſtoriam commentos. Ætate ſancti Juſtini, ut ex eo diſcimus, monſtrabant cellulas, in quibus ſeparati Interpretes eadem, Deo inſpirante, ſcripſiſſent; quas tamen cellas ſilentio Ariſtæas prætermiſit. *Neſcio*, inquit B. Hieronymus, *quis primus auctor ſeptuaginta cellas Alexandriæ mendacio ſuo extruxerit, quibus diviſi eadem ſcriptitarint, cùm Ariſtæus ejuſdem Ptolemæi ὑπερασπιστὴς, & multo poſt tempore Joſephus, nihil tale retulerint; ſed in una Baſilica congregatos, contuliſſe ſcribunt, non prophetaſſe; aliud eſt enim vatem, aliud eſſe interpretem.* Authores Græcæ verſionis, quicumque fuerint, locuti perinde ac ſi Alexandrini eſſent: etenim, ut obſervavi in libris de Templo, differens de menſuris & ponderibus, valorem ponderum Hebraicorum exprimunt more Alexandrino; nimirùm id ponderis vocantes didrachmum, quod Joſepho & Evangeliſtis dicitur tetradrachmum, quia drachma Alexandrina duplo ponderoſior eſſet Græca. Inſuper Græca verſio in ſex Patriarchis antediluvianis annos centum addit ætati eorum, antequam prolem ſuſciperent, centum adimit poſt prolem ſuſceptam; quibus in locis & aliis, quoad annorum numeros immane diſcrepant Hebræo codici. Id ab Alexandrinis factum viri periti ſuſpicantur, ne Ægyptiorum annalibus fidem derogarent, qui gentem ſuam multò antiquiorem crediderunt, quàm Hebræi codices permittunt.

Morinus in Exercitationibus Biblicis multa profert teſtimonia ex Rabbinis, quibus illi videntur applauſiſſe verſioni LXX. ſed fatetur jejunium à Judæis inſtitutum octavo die menſis Thebet, quia in eo Lex ſcripta ſit Græcè in diebus Ptolemæi Regis, ſcilicet

tan-

tanquam pro malo quod Genti illatum ſit. Certum eſt Judæos hebraizantes odio habuiſſe illam verſionem; verùm cùm lingua Hebræa & pleriſque Judæis ignota eſſet, factum eſt ut non ſolùm extra Judæam, ſed & in ipſa Judæa, perlecta ſit in Synagogis, ab iis Judæis, qui ideo *Helleniſtæ*, id eſt, Græci dicti ſunt, quia hac Græca verſione uterentur; quam, cùm alia non ſuppeteret, allegabant Apoſtoli agentes cum Judæis Helleniſtis; quorum major numerus erat quàm Hebraizantium. Græca lingua toto ferè orbe terrarum nota erat & uſitata; unde videre eſt pleroſque Judæos, etiam Joſephum Hiſtoricum apprimis non percalluiſſe Hebræam. Poſtquàm verò rebus mutatis, maximè in Oriente lingua Græca deſiit eſſe familiaris, Judæi linguæ Hebrææ adhæſerunt; quin & Græcam linguam, quam videbant excoli à Chriſtianis, odio habuere, ut probro verterent ſtudium ejus, & haberent pro eodem peccato Græcam ſapientiam docere filium ſuum, & ei carnem porcinam comedendam præbere. Revertamur ad verſionem Græcam.

Quamquàm tota hiſtoria, enarrata ab Ariſtæa, commentum eſſet, non ideo minùs poſſet dici, Deo providente, Græcam verſionem elaboratam, quò via ſterneretur adſtruendo Evangelio ex libris veteris Teſtamenti. Primùm extra controverſiam eſt primitivæ Eccleſiæ Chriſtianæ Patres hanc Græcam verſionem probaſſe; & ex illa cognitionem veterum Scripturarum hauſiſſe: pauci enim inter eos linguam Hebræam didicerant. Ubique Sanctus Auguſtinus agnoſcit Spiritu Sancto adjutos Septuaginta interpretes. *Spiritus qui in Prophetis erat*, ait lib. 18. de Civit. cap. 43. *quando illa dixerunt, idem ipſe erat etiam in ſeptuaginta viris, quando illa interpretati ſunt.* D. Hieronymus novam à ſe verſionem Latinam cuſam cauſatur, non quòd reprobaret Græcam ſeptuaginta Interpretum; ſed quia iſta Græca verſio non occurreret pura, per-

ta, permutata, corrupta à Librariis, & permixta cum aliis verſionibus Græcis. Videamus quid ſentiant, qui huic verſioni non æqui ſunt.

Primò objiciunt Ariſtæam mentitum, cùm ſcripſit Demetrium Phalærium Bibliothecæ præfectum fuiſſe à Ptolemæo Philadelpho, & verſionem Græcam procuraſſe. Demetrius, inquiunt, initio regni Philadelphici jam extinctus erat, regi Philadelpho odio habitus, ut ſcribit Hermippus apud Diogenem Laertium. Ariſtææ verò defenſores allegant Ariſtobulum Judæum, Philoſophum Peripateticum, apud Euſebium (*Lib.* 13. *de præparat.*) ſic alloqui Ptolemæum Philometorem: *Tota verò legis interpretatio ſub rege Philadelpho cognominato ab avo tuo peracta, Demetrio Phalereo magnum ſtudium adhibente, & totum negotium promovente.*

Ad hoc autem quod objicitur ex ſingulis Tribubus ſenos deligi non potuiſſe, cùm ſolæ Tribus Juda & Benjamin ſuperſtites eſſent, reliquis longè anteà deportatis, reſpondetur ex omni Tribu quoſpiam ſemper in patria manſiſſe tempore captivitatis, aut ex ea in patriam rediiſſe. Lucas enim dicit Annam fuiſſe de Tribu Aſer.

Qui putant Ariſtæam ſuppoſititium eſſe ſcriptorem, objiciunt ex Ammiano Marcellino memoratum ab Ariſtæa Heptaſtadium quo inſula Pharus jungebatur Alexandriæ, fuiſſe opus Cleopatræ, longè poſt ætatem Ptolemæi Philadelphi, cujus regno profitetur Ariſtæas ſe vixiſſe: ſed opponitur Ammiano auctoritas Julii Cæſaris, qui in Commentariis ſuis, in fine tertii libri de bello civili, ſcribit heptaſtadium illud, non à Cleopatra, ſed à ſuperioribus Regibus congeſtum fuiſſe. Nunc quidem ibi legitur, non *à ſuperioribus Regibus*, ſed *à ſuperioribus Regionibus*; ſed mendum apertum eſt. Potuit quidem tantum opus à Cleopatra inſtaurari, & ita huic vindicari ab Ammiano.

Inter

Inter eos autem qui pro Ariſtæa pugnant, quæſtio agitatur an dicti Interpretes ſolam Legem, id eſt, quinque libros Moſis tantùm interpretati fuerint; an totum codicem Hebræum. Inquiunt enim: haud fieri poteſt, ut 72. dierum ſpatio opus confectum fuerit; ſed dicti Interpretes totum inter ſe partiri potuerunt. Urgent, & B. Hieronymi auctoritate, qui obſervat Ariſtæam & Joſephum, qui primi hanc hiſtoriam tradiderunt, Legis tantùm mentionem feciſſe, non reliquorum librorum Scripturæ. Legis quidem nomine tota Scriptura ſæpiſſimè intelligitur, ut colligere eſt ex ipſo Evangelio; ſed Joſephus ipſe, in proœmio Antiquitatum, legem non verò reliquam Scripturam dictos Interpretes Græcè reddidiſſe liquidò dicit: Ita illa verſio omnium Codicum ſacrorum ab aliis compleri potuit; quod arguit ſtili diverſitas manifeſta. Quidquid ſit, omnes libros Hebraice priùs ſcriptos conſtat, Græcè verſos ante Chriſti tempora fuere inter antiquos Patres, qui etiam verſionem, quæ tribuitur LXXII. poſteriorem facerent alteri verſioni Græcæ, quæ etiam ante mortem Alexandri magni cuſa fuerit; quod ſic adſtruit Clemens Alexandrinus, libro primo Stromatum. Gentilibus innotuerant libri Moyſis ante hæc tempora. Quomodò id fieri potuiſſet, ſi non verſi erant? Nam lingua Hebræa his ignota erat. Verùm illi Gentiles, qui attigerunt res Hebræorum, eas habuerant cognitas ex ipſis Hebræorum ſermonibus, non ex libris eorum ſacris. Ut finem dicendi faciam de iſta celebri verſione; quamquam ex ipſo Ariſtæa fuerint numero duo & ſeptuaginta Interpretes, quia ſæpius allegarentur, placuit uti numero rotundiori, & pro LXXII. dictum eſt LXX.

Plures, poſt Chriſtum natum, vetus Teſtamentum Hebraicè ſcriptum Græco ſermone reddidere. Primus Aquila, genere Ponticus, urbe Synopæus, ſub

Adriano Imperatore, novam verſionem Græcam exaravit. Ex Gentili Chriſtianus factus erat, cùm videret Apoſtolorum diſcipulos mirabilia patrantes; ſed ex Eccleſia ejectus eſt, cùm Genethliacis pertinaciùs adhæreret: ob repulſam indignatus in Chriſtianos, ad Judæos tranſiit. Circumciſus linguæ Hebraicæ addiſcendæ totum ſe dedit; cujus perfectam adeptus notitiam, interpretationem ex affectu ſuo concinnavit; ita ut quædam Scripturæ dicta præter LXX. Interpretum mentem ad alium ſenſum detorqueret, ac teſtimonia de Chriſto in divinis Scripturis expreſſa alio deflecteret, ignominiæque ſuæ abſurdam apologiam pararet, ut Epiphanius teſtatur. Bernardus *de Monfaucon* in nova ſua editione Hexaplorum Origenis, & Ludovicus Elias *du Pin* in Prælegomenis Bibliorum cenſent Aquilam duas verſiones Græcas Hebraici textus elaboraſſe, primam quæ dicebatur *κατ' ἀκρίβειαν*, nimirùm nimia accuratione concinnatam, aliam elegantiorem. Ego verò unicam ſuſpicatus eſſem, quę dicta ſit ſecunda, per reſpectum ad primam factam à LXX. Interpretibus; & quæ dicatur facta *κατ' ἀκρίβειαν* per reſpectum ad alios Interpretes, qui non ita ſervierant literæ. Ita ſentire videtur Hieronymus, de illo ſic loquens ad Pammachium de optimo genere interpretandi: *Aquila autem Proſelytus & contentioſus interpres, qui non ſolum verba, ſed etymologias quoque verborum transferre conatus eſt, jure projicitur à nobis*. Memorat ſanctus ille Doctor ſecundam editionem Aquilæ; ſed, ut dixi, intelligi poteſt ſecunda editio poſt primam Septuaginta ſenum. In ſuis commentariis in Ezechielem capite ſecundo ſic loquitur: *pro eo quod nos diximus* mœrens, *& in Hebræo ſcriptum eſt* maſmin, *Theodotio tranſtulit* admirans, *ut ſtuporem Prophetæ iniquitates eorum cernentis exprimeret. Aquilæ verò ſecunda, quam Hebræi κατ' ἀκρί-*

βειαν

βειαν nominant, tranſtulit ἠρεμάζων, *id eſt* quieſcens & ſeorſum poſitus, *ut fuiſſe quidem in medio captivorum, ſed ab eis ſeparatum mente monſtraret.* Hæc autem dixit Hieronymus, comparans Aquilam cum ſequentibus interpretibus. Sunt qui confundunt cum paraphraſte Chaldæo Onkelos; ſed utriuſque nominis nulla eſt affinitas.

Poſt Aquilam, Symmachus, natione Samaritanus, poſteà circumciſus, deinde Chriſtianus, poſtremò Ebionita hæreticus, ſub Severo Imperatore, alteram verſionem Græcam aggreſſus eſt, ſtudens *non verborum* κακοζηλίαν, *ſed intelligentiæ ordinem ſequi*, ait de illo Hieronymus in caput tertium Prophetæ Amos: idcircò non adeò fidus interpres ac Aquila, qui verbum verbo reddit; ſed clarior & minùs recedens à LXX. Interpretibus.

Tertia verſiò Græca auctorem habuit quemdam Theodotionem, qui ſub Commodo Imperatore ſcripſit. Hic natione Ponticus, vel ut alii dicunt, Epheſius, poſtquàm ad fidem converſus eſt, in Ebionis & Marcionis hæreſes prolapſus, tandem proſelytus & apoſtata Judæus factus eſt. In verſione ſua à LXX. Interpretibus minùs quam alii deflexit; imo ſæpe eos ſequutus eſt; quæ cauſa fuit ut ubi deficerent LXX. ponerentur ſupplementa ex Theodotione, qui ſtili & orationis genere ſimilior erat. *Illud quoque lectorem admoneo, non Danielem*, loquitur Hieronymus in præfatione in hunc-ce Prophetam, *juxta LXX. Interpretes; ſed juxta Theodotionem, Eccleſias legere, qui utique poſt adventum Chriſti incredulus fuit.* Scilicet in libro Danielis, *quia in LXX. Interpretibus*, ait Bernardus de Montfaucon, *tota ſeries præpoſterè poſita erat, licèt ei medicam admovere manum tentaverit Origenes, illa tamen editione remota Theodotionem ejus loco ſubſtituit Eccleſia: unde factum eſt ut Theodotionis editio in Danielem hodie ſola in Eccleſiis Græcis*

 lega-

legatur, & editio τῶν LXX. paulatim interierit. Hoc advertens Hieronymus in præfatione in librum Job, querebatur verſionem ſuam ab hominibus malevolis repudiari. *Judæus Aquila & Symmachus ac Theodotio, judaizantes hæretici, ſunt recepti, qui multa myſteria Salvatoris ſubdola interpretatione celarunt, & tamen in ἑξαπλοῖς habentur apud Eccleſias, & explanantur ab Eccleſiaſticis viris: quantò magis ego Chriſtianus non debeo reprobari?*

Præter has tres verſiones, Origenes alias duas invenit Hierichunte, in neſcio quibuſdam doliis, anno ſeptimo Caracallæ; quas cùm auctoris incerti eſſent, quintam & ſextam appellavit. Et ſeptimam agnoſcit B. Hieronymus. De his iterùm ſermo fiet, cùm agemus de diverſis Bibliorum editionibus.

CAPUT XI.

De verſionibus Latinis, ea præcipuè quæ nunc Vulgata dicitur.

MOs eſt ſubditorum aſſueſcere ſermoni qui ſuis Principibus uſitatior eſt. Ita ſicut lingua Græca cum Græcis victoribus omnes regiones Orientis pervaſerat, Romani linguam ſuam ſimul & Imperium propagarunt. Eo tempore quo Chriſtus natus & paſſus eſt, orbis notus ferè totus ſubactus erat Romanorum armis; ſic Latino ſermone interprete quiſquis poterat mentem communicare cum diverſis terrarum orbis nationibus. Quapropter Deus, ut titulus crucis filii ſui, qui ſervaturus erat omnes Gentes, innoteſceret omnibus, hunc ſcribi voluit Hebraicè, Græcè & Latinè. Temporibus Apoſtolicis Græca lingua ideò magis uſitata, quia antiqua magis, & jam exculta à multis ſæculis; contra verò ſermo Latinus recentior. Ideò omnes Evangeliſtæ, uno excepto Matthæo,

thæo, Græcè ſcripſerunt. Verùm fieri non poterat, quanquam & ſermo Græcus etiam Romæ omnibus Romanis uſitatus eſset, ut utrumque fœdus Latinè non redderetur ex Græca lingua: dico ex Græca lingua, vix enim Hebræis ſermo Hebræus ſatis notus; nec forſan alibi quàm in Judæa & in Orientalibus aliquibus plagis Biblia Hebraica legebantur.

Quis verò Scripturas primus Latinè interpretatus ſit, ignoratur. Id à multis tentatum diſcimus à Sancto Auguſtino (*Lib.* 2. *de Doct. Chriſt. cap.* 11.) *Qui Scripturas in linguam Græcam verterunt, numerari poſſunt; Latini autem Interpretes nullo modo. Ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit codex Græcus, & aliquantulum facultatis ſibi utriuſque linguæ habere videbatur, auſus eſt interpretari.* Inter illas autem verſiones Latinas una erat, quæ à Beato Auguſtino loco allegato (*Cap.* 15.) *Itala*, à Beato Hieronymo *communis* & *vulgata* appellatur; de qua ſic Auguſtinus: *in ipſis* verſionibus Latinis, *Itala cæteris præfertur; eſt enim verborum tenacior cum perſpicuitate ſermonis*. Hanc verſionem Latinam ex Græco codice, ſaltem ex parte, ut aliqui volunt, emendaverat Hieronymus adhuc juvenis. Id conjectant ex eo quod ſcribat ad Sanctum Auguſtinum, linguæ ſuæ hominibus emendata Biblia de Græco in Latinum tranſtuliſse. Quidquid ſit, cùm Hebræas literas didiciſset, variis Judæorum Rabbinis præceptoribus uſus, nullis laboribus vel ſumptibus parcens, novam Veteris Teſtamenti verſionem ex fonte Hebræo in Latinum ſermonem aggreſsus eſt; quod opus nullus ante illum tentaverat. His autem cauſis ſe impulſum dicit in præfatione Paralipomenorum, Chromatium compellans. *Si*, inquit, LXX. *Interpretum pura, & ut ab eis in Græcum verſa eſt, editio permaneret, ſuperfluè me, Chromati Epiſcoporum ſanctiſſime, impelleres, ut tibi Hebræorum volumina Latino ſermone*

tranſferrem. Quod enim ſemel aures hominum occupaverit, & naſcentis Eccleſiæ roboraverit fidem, juſtum erat etiam noſtro ſilentio comprobari. Enim verò cùm pro varietate regionum diverſa ferantur exemplaria, & germana illa & antiqua translatio corrupta ſit atque violata; noſtri arbitrii putas, aut è pluribus judicare quid verum ſit, aut novum opus in veteri cudere. Jam Damaſus Papa, cujus juſſu Novum Teſtamentum Hieronymus emendaverat, obierat mortem. Hunc Pontificem annos ſupra triginta ille ſupervixit; quo mortuo, Roma Hieroſolymam ſeceſſit, & Bethlehemum, ubi per quinquennium in monaſterio vixit, ut ex Epiſtola 99. ad Aſellam, & initio Epiſtolæ 116. ad Paulam & Euſtochium colligitur. Poſt hæc Barrabanum præceptorem habuit, ut ex Epiſtola 65. ad Pammachium conſtat. Igitur Hebraicè ſatis inſtructus ad verſionem ex Hebræo ſe accinxit. Ex præfationibus, quas ſingulis libris veteris Teſtamenti præfixit, diſcimus omnes qui ab Hebræis pro canonicis recipiuntur; ut & libros Judith & Tobiam, vertiſſe. Libros verò Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Macchabæorum, Baruch, Epiſtolam Jeremiæ, additiones ad Eſtherem, & ad Danielem, quæ Hebraicè non extabant, non vertit. Veterem Latinam verſionem novi Teſtamenti, ut diximus, tantùm emendavit. Verſio ejus nova Veteris fœderis apertior eſt verſione antiqua Latina, cujus authores non adierant fontem Hebræum. Quin & apertior verſione Græca LXX. *Illi enim*, loquitur Hieronymus in Præfatione in Pentateuchum, *interpretati ſunt ante adventum Chriſti, & quod neſciebant, dubiis protulere ſententiis: nos verò poſt paſſionem & reſurrectionem ejus, non tam prophetiam, quàm hiſtoriam ſcribimus: aliter enim audita, aliter viſa narrantur: quod meliùs intelligimus, meliùs & proferimus.*

Attamen non æqu isanimis excepta eſt Hieronymi

verſio;

verſio; ab aliquibus cum applauſu; ſed plerique Doctores, Eccleſiarum rectores, & Epiſcopi, etiam B. Auguſtinus hoc ejus inceptum improbarunt ut temerarium, & ad auctoritatem verſionis LXX. convellendam & minuendam factum. Multis ille calumniis impetitus apologias ſcribere coactus eſt, in quibus ſępè teſtatus eſt ſe nihil in LXX. verſionem molitum eſſe, ſed ex Hebræo fonte in Latinum tranſtuliſſe, ut eorum deſiderio ſatisfaceret, qui avebant ſcire quomodo in Hebræis codicibus legeretur. Judæi approbarunt verſionem ejus, ut conformem textui Hebræo; Græci verò illam in Græcam linguam verterunt, teſte ipſo Hieronymo. Attamen, ut dixi, plerique è Latinis illam improbarunt. Ipſe Auguſtinus, quanquam Hieronymo familiaris, non permiſit ut per ſuam diœceſim legeretur; his-ce verbis ad illum ſcribens (*Epiſt.* 19.) *Propterea ſe nolle ejus interpretationem in Eccleſiis legi, ne contra LXX. auctoritatem tanquam novum aliquod proferentes, magno ſcandalo turbemus plebem Chriſti, quorum mens & corda interpretationem illorum audire conſueverunt, quæ etiam ab Apoſtolis comprobata eſt.* Poſt obitum autem B. Hieronymi verſio ejus Latina ex Hebræo codice auctoritatem nacta eſt; & apud multos recepta, qui ejus ſinceritatem, & cum Hebræo convenientiam deprehenderunt: ita tamen ut tum vetus, tum hæc nova in uſu eſſent uſque ad Gregorii magni tempora. Ipſe enim in Epiſtola ad Leandrum ad finem ante libros Moralium, ſic ſcribit. *Novam translationem diſſero, ſed ut comprobationis cauſa exigit, nunc novam, nunc veterem per teſtimonium aſſumo, ut quia ſedes Apoſtolica, cui auctore Deo præſideo, utraque utitur, mei quoque labor ſtudii ex utraque fulciatur.* Poſtea per gradus nova verſio prævaluit, tacito potiùs Eccleſiæ conſenſu, quàm ullius Synodi vel Pontificis decreto; nam licèt Hugo de Sancto Victore

aſſerat

aſſerat Eccleſiam Latinam, hanc ſolam verſionem legendam & in auctoritate habendam conſtituiſſe, conſtitutionem tamen nullam profert, nec à quo, vel quando facta ſit, indicat. Quidquid ſit, nova verſio prævaluit, non paucis retentis ex veteri, quæ hactenus appellata fuerat communis & vulgata. Nova, inquam, verſio ex Hebræo codice tandem obtinuit ut diceretur vulgata, poſtquam cœpit in Templis, in concionibus, in ſacris lectionibus uſurpari.

Huic autem verſioni illa ſucceſſit, quam nunc dicimus vulgatam. Partim conſtat ex veteri Itala, quæ exprimebat Græcam verſionem Septuaginta. Etenim, ut dixi, Hieronymus non expoſuit nova verſione libros quos in Canone Hebræorum non repererat, *Sapientiam*, *Eccleſiaſticum*, *Macchabæos*, *Baruch cum Jeremiæ adjuncta Epiſtola*, *appendiculam libri Eſther*, *Danielis duo ultima capitula*, *& Canticum trium puerorum*. Horum librorum, quos Hieronymus non vertit, vetus verſio intacta relicta eſt in Bibliis Latinis; quæ ſic coaluere, mixta ex veteri verſione Latina, quæ Italica dicebatur, & ex nova Hieronymiana. A quibus hæc mixtio, & quando facta ſit, hactenus nemo demonſtravit. Quin extitere qui verſionem vulgatam Hieronymo non adſcriberent. Certum eſt Pſalmorum librum in vulgata non eſſe Hieronymi, licèt Pſalmos ex Hebræo ipſe verterit, & inter ejus opera horum verſio extet. Scilicet quia Pſalmi decantabantur quotidiè, & legebantur præ cæteris Scripturæ partibus, etiam vulgus memoria teneret, mutatio ſine gravi offenſa populi fieri non poterat. Ideò Pſalmi in vulgata ſecundùm antiquam editionem retenti. Quoad reliquos libros attinet, qui in Canone Hebræorum ſunt, certum eſt ſaltem majori ex parte Hieronymi verſionem ſpirare. Nam ſi quis contulerit Prophetarum verſionem Latinam ex Hebræo, quæ inter ejus opera extat, cum vulgata hodierna, deprehen-

prehendet in omnibus ferè ad verbum convenire, eundemque auctorem referre; vix enim per integrum aliquod caput unius verbuli differentiam inveniet.

Vulgatam ex Hebræo factam eſſe, non ex Græca LXX. ipſa ubique clamat; nam ferè ſemper Hebræo convenit, ipſumque ad verbum magis exprimit, quàm textus Græcus. Pleraque quæ in antiqua Verſione defuerunt, quæque ex Hebræo ſe ſuppleviſſe dicit Hieronymus, exprimuntur in Vulgata. Dixi pleraque, non omnia; etenim aliter vertiſſe Hieronymum, quàm nunc eſt in Vulgata, evidenter colligitur ex ejus Commentariis: Ideo ſtatuendum Vulgatam non eſſe puram Verſionem ſancti Hieronymi, ſed ex Heronymiana, aliiſque, maximè ex Vulgata veteri, quæ dicebatur Itala, mixtam. Etenim, licèt nova editio Hieronymiana à pluribus probata fuerit, tam altas tamen in aliorum animis radices egerat Græcæ LXX. auctoritas, ut per novam vetus aboleri non potuerit, ſed utraque tam publicè in Eccleſiis, quàm privatorum Doctorum manibus in uſu retenta ſit, donec tandem ad conciliandos omnium animos, & ut pax ac unitas ſervaretur, ex utraque tertia conflata eſt, quæ maxima quidem ex parte Hieronymum auctorem habere meritò cenſetur; quod declarat Clemens octavus Pontifex in ea præfatione quæ Bibliis vulgatis ſolet præfigi; ubi hæc legimus. *Latinam hanc editionem ex Hieronymi translatione, vel emendatione ſuſceptam, partim retentam ex antiqua verſione Latina, quam S. Hieronymus communem & vulgatam; S. Auguſtinus Italam, S. Gregorius veterem translationem appellat, &c.*

Vulgata Latina, quemcumque auctorem habeat, declarata eſt authentica à Concilio Tridentino, Seſſione quarta, Canone ſecundo. Statuit enim & declarat, *ut hæc ipſa vetus & vulgata editio*; veterem dicit

dicit per reſpectum ad novas editiones, quæ tunc temporis edebantur: nam, ut vidimus, tempore Gregorii magni, tunc Itala cenſebatur vulgata & vetus; ſed tempore Concilii Tridentini, qua nunc utimur Latina verſione, habebatur pro vulgata & veteri: ideo Patres Concilii ſic de illa loquuntur. Statuunt, inquam *ut hac ipſa vetus & vulgata editio, quæ longo tot ſæculorum uſu in ipſa Eccleſia probata eſt, in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, & expoſitionibus pro authentica habeatur, & ut nemo eam rejicere quovis prætextu audeat vel præſumat.* Scriptura authentica dicitur, quæ ex ſe fidem facit, & ſummam habet authoritatem, ita ut nemo refragari poſſit, vel ab ipſa provocare. Ipſa Prophetarum & Apoſtolorum autographa, propriè authentica ſunt, ut quæ à ſpiritu ſancto dictata. Apographa verò, ſive tranſcripta, eatenùs authentica ſunt, quatenus cum autographis conſentiunt. Verſiones propriè authenticæ non ſunt, ſed authoritatem ſuam habent ex convenientia cum libris originariis.

Quo ſenſu Vulgata Latina authentica declarata ſit, nos docet Bellarminus (*Lib.* 2. *de Verbo Dei ſcripto. cap.* 10.) cum melioris notæ Theologis. *Patres*, loquitur Bellarminus de Tridentinis, *Nullam fontium mentionem faciunt, ſed ſolùm ex verſionibus Latinis, quæ nunc circumferuntur, unam delegerunt, quam cæteris anteponerent.* Convenit, inquam, inter peritos Theologos Latinam verſionem non præpoſitam fontibus Hebraicis & Græcis, quatenus illi fontes non fuere turbati librariorum incuria. Ratum fixumque eſt, *cùm diverſum aliquod in utriſque codicibus*, verba ſunt S. Auguſtini (*Lib.* 15. *de Civit. cap.* 13.) *invenitur; quandoquidem ad fidem rerum geſtarum utrùmque eſſe non poteſt verum, ei linguæ potiùs credendum, undè eſt in aliam per Interpretes facta translatio.* Ita & B. Hieronymus ſic ſcribit ad Suniam & Fretellam. *Sicut in*

Novo

Novo Teſtamento, ſi quando apud Latinos quaſtio exorta eſt, & inter exemplaria varietas, recurrimus ad fontem Græci ſermonis, quo novum ſcriptum eſt Teſtamentum: ita in Veteri Teſtamento, quando inter Græcos Latinoſque varietas eſt, ad Hebraicam recurrimus veritatem, ne quidquid de fonte proficiſcitur, hoc quæramus in rivulis. Iterùm in Epiſtola ad Lucinium, quod etiam relatum eſt à Gratiano in jus Canonicum à Pontifice ſummo promulgatum, diſtinctione nona cap. *ut veterum*. Sic, inquam, loquitur Hieronymus. *Ut veterum librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda eſt; ita novorum veritas Græci ſermonis normam deſiderat.*

Ergo ſic Verſio vulgata probata eſt Tridentinis Patribus, ut Græcis & Hebræis fontibus maneat ſua auctoritas. *Liberum reliquit*, loquitur Salmero (*Proleg.* 2.) de Concilio Tridentino, cui interfuit, *omnibus qui Scripturas ſacras profundiùs meditantur, fontes Hebræos & Græcos, quatenus opus eſt, conſulere; quo noſtram Latinam, vitio Librariorum vel temporum injuria corruptam, emendare valeant.* Sic recurrendo ad fontes, ſanatus eſt locus in primo libro Eſdræ cap. IX. 8. in quo legebatur ſine ſenſu *pax illius* pro *paxillus*. In Proverbiis cap. XVI. 11. pro *lapides ſaculi* irrepſerunt *lapides ſæculi*; quod correctum eſt, cùm poſt ſolemnem Concilii Tridentini approbationem, Romani Pontifices operam dederunt ut Vulgata ederetur emendatior. Ita, inquiebat Julius Rugerius Secretarius Apoſtolicus, libro de *Scripturis Canonicis*, ferri non poteſt horum imperitia, qui audacter dicunt Hebraicam & Græcam editionem à Spiritu Sancto dictatam, per Tridentinos Patres damnatam, & verſionem præpoſitam vel æquatam ſuis fontibus. Ab eo tempore quo declarata eſt authentica Vulgata, juſſu Sixti Quinti, & Clementis Octavi Pontificum emendata eſt. In editione quæ Clementis Octavi juſſu fa-

ſu fa-

ſu facta eſt, diſertè affirmatur: *In illa pervulgatâ editione, multa quæ mutanda videbantur, immutata relicta eſſe.* Et poſtea: *Biblia non ſunt à nobis accuratiſſimè caſtigata: multa enim juſtis de cauſis pertranſivimus ad populi ſcandalum vitandum.* Igitur Vulgata Latina fontibus Hebræis & Græcis non æquatur, nedum præfertur, ut diximus, per decretum Concilii, ſed tantùm aliis verſionibus Latinis, relictis textibus originariis in eodem ſtatu quo priùs. Nihil de illis agebatur, ut ait Salmero. *Tantùm inter tot editiones Latinas, quas noſtra ſecula parturierant, quænam ex illis præſtaret, ſermo erat.* Viſum eſt Concilio Veterem probare præ cæteris, quam uſus probaverat ſecuriorem, nec aliud ſtatutum voluit. Sic Bellarminus (*Lib. 2. c. 11. de Verbo Dei*) cenſet. *Eccleſia certos nos reddere voluit, in iis præſertim quæ ad fidem & mores pertinent, nulla eſſe in hac verſione interpretum errata.* Et eodem in loco: *In iis præſertim quæ ad fidem & mores ſpectant, nulla eſſe in hac interpretis errata, ſed tutò poſſe fideles & ſine periculo huic Verſioni confidere.* Illud autem animadvertendum, quòd ex hodiernis exemplaribus Textus Hebraici & Græci, quamquam prævalere debeat fontium auctoritas, non ſemper corrigenda ſit Vulgata Latina; poteſt enim fieri ut non inferioris notæ Codicibus uſus ſit ejus auctor, quiſquis fuerit: in exemplaria enim Græca & Hebraica irrepere errores potuerunt. Verùm quando liquet non aliter codicem Hebræum vel Græcum lectum fuiſſe Latino Interpreti, decet ſententiam ejus in ipſis fontibus quærere, ſi ambiguè locutus ſit. Qui conſulit textus originales, facilè errorem deprehendit in ultimo capite Joannis verſu 22. *Sic eum volo manere, donec veniam.* Videre eſt in textu Latino pro particula *ſi* lectum, deindè ſcriptum *ſic*. Facilis eſt lapſus; ſed non ita eſt in Græco nam ἐὰν *ſi* & οὕτως *ſic* non facilè permutantur. Profert alia exempla Bonfrerius in

præ-

prælegomenis, oſtendens quàm neceſſarium ſit ipſos fontes adire, ut conſtet de veritate textus.

CAPUT XII.

De Pentateucho Samaritano; Paraphraſibus Chaldaicis; tum de cæteris Sacri Codicis verſionibus, quoque tempore & quaque lingua elaboratis.

PErtinet ad inſtitutum noſtrum diſſerere de Pentateucho Samaritano. Samaritani, aliquot annis ante Chriſtum natum, relictis idolis, cultui veri Dei, quem Moyſes docuerat, dediti erant, ut ſupra obſervatum eſt. Nullos autem Libros ſacros præter Pentateuchum pro ſacris agnoſcebant: nec mirum eſt; cæteri enim à viris inter Judæos claris ſcripti ſunt, cùm jam odia inter utramque gentem aſpera exarſiſſent. Pentateuchum vero quem ſolum habent ſacrum religiosè hactenus ſervant Samaritani. Hunc veritati adſtruendæ utilem eſſe liquet; neque enim in corrumpenda veritate eorum quæ geſſit & dixit Moyſes, cum Judæis Samaritanos conveniſſe quis jure dixerit. Re idem eſt Samaritanus Pentateuchus cum Hebræo; utrique enim totidem ſcriptitant literis, quæ figuris tantùm ac apicibus differunt, ait B. Hieronymus ſcribens in caput IX. Ezechielis; ubi & adſtruit Moyſem uſum Samaritanis caracteribus. Animadverſione autem dignum eſt quod de figura extremæ literæ alphabeti dicit: *Antiquis Hebræorum literis, quibus uſque hodiè utuntur Samaritani, extrema thau litera, crucis habet ſimilitudinem, quæ in Chriſtianorum frontibus pingitur, & frequenti manus inſcriptione ſignatur.* Verùm hujus literæ figura deflexit in formam, quæ non poteſt ampliùs ſimilis cruci haberi.

Ex utriuſque Pentateuchi comparatione lux affulgere po-

ære poteſt veritati. Etenim inter varias lectiones, quæ occurrunt, licet inde colligere quæ ſit antiquior lectio, & ideò verior. Tunc enim temporis habemus hoc-ce Pentateuchum. Joannes Morinus, Congregationis Oratorii presbiter, ex Bibliotheca Oratoriana Pariſienſi, quod ex Oriente Harlæus Sancius, *Harlay de Sanci*, ejuſdem Congregationis presbiter, attulerat exemplar, Samaritani Pentateuchi, primus edidit Pariſiis anno MDLXXXI. quod ab omnibus exceptum eſt tanquam pretioſum monumentum. Verſio antiquitus facta eſt de textu Hebræo Samaritano in dialectum Samaritanam, ſive in linguam Chaldæo-Samaritanam; quæ ſolet edi cum textu. Plura non adjungam circa hunc Pentateuchum Samaritanum; neque enim hujuſce loci eſt comparare illum cum Pentateucho Hebræo, & obſervare quæ inter utrumque ſit varietas. Tunc temporis diſcrepant inter ſe non ſolis literarum apicibus; ſed & rebus, in quibuſdam locis. Fieri enim non potuit, dùm deſcribuntur, quin varietates inductæ ſint.

Originalibus textibus, ſaltem vetuſtis eorum verſionibus, accenſeri debent Chaldaicæ Paraphraſes; quarum ea eſt origo. Cum propriæ linguæ obliti eſſent Judæi in captivitate Babylonis, & linguam dominorum, cui ſervierant, didiciſſent, nempe Chaldaicam, inde contigit ut Biblia neceſſariò eſſent Chaldaicè exponenda. *A diebus Eſdræ*, inquit Rabbi Maimonides (*Hilch. Tephi L.L. cap.* 12.) *conſueverunt Judæi habere interpretem, qui populo id interpretetur, quod lector ex Lege prælegit*. Ita factum eſt ut ſucceſſu temporis adornatæ ſint diverſæ Paraphraſes, vernacula lingua, nempe Chaldaica, quæ non multùm diſcrepabat à Syriaca, ſive Hieroſolymitana, dialecto. Paraphraſes illæ vulgò dicuntur *Targumin* in plurali, in ſingulari verò *Targum*. Vox Chaldaica, idem ſonans ac Latinè *interpretatio* vel *verſio*, quæ non tam verbum de verbo, li-

bo, licèt hoc in Targumin ſæpè fiat, quam ſenſum ex una lingua in aliam transfert.

Paraphraſes Chaldaicæ ſive Targumin ſic diſtribuuntur, ex triplici diſtributione quam faciunt Judæi, ut alia ſit paraphraſis Pentateuchi, alia Prophetarum, alia Hagiographorum. Illius in Pentateuchum auctor creditur Onkelos, vel Onkeloſos, qui dicitur vixiſſe quadraginta annos ante Chriſtum. Unde malè, ob aliquam nominis ſimilitudinem, quidam voluere hunc Onkelos eumdem eſſe ac Aquilam Ponticum, qui 130. annos poſt Chriſtum vetus Teſtamentum Græcè interpretatus eſt. Onkelos primas deferunt Judæi, utpote diſcipulo magni Hillelis. Jonathan Benuziel priores & poſteriores Prophetas, excepto Daniele, paraphraſi explicavit. Coætaneus creditur Onkelos; & ſtili puritate, & ex eo quòd allegatur ejus paraphraſis in antiquis Judæorum libris, habetur in pretio, tanquam certæ antiquitatis. Non ita eſt de Targum in quinque libros Moyſis, quod non à multo tempore ſub nomine ejuſdem Jonathanis prodiit. Clarum eſt ex iis quæ allegantur in hoc Targum, non compoſitum fuiſſe ante quintum ſæculum. In eo fit mentio Talmudis; & ideo Talmude poſterius eſt. Memoratur & Conſtantinopolis. Prodierunt paraphraſes & in Hagiographos, quæ tribuuntur cuidam Joſepho, qui cæcus vel luſcus erat. Prodiit anno MDCLXXX. Auguſtæ Vindelicorum Targum ſive paraphraſis Chaldaica in libros Chronicorum ſive Paralipomenon, cura atque opera Matthiæ Friderici Beckii. Poſſunt adhuc latere plures paraphraſes: nam ubi lingua Hebræa minùs nota fuit, notior Chaldęa, facti Codices à pluribus Chaldaicè expoſiti ſunt. De paraphraſibus Chaldaicis Morinus diſſerit, an habeant antiquitatem quam illis dant Judæi: an ſine punctis fuerint exaratæ; & quis puncta, quæ nunc habent, adjecerit: quis cujuſque certus fuerit auctor; & ple-

taque alia, quæ expendunt, qui dedita opera de his paraphraſibus loquuntur. De illis apud antiquos Patres altum eſt ſilentium, ſcilicet quia lingua Hebræa illis ignota, nec familiariter utebantur Judæis: apud Flavium Joſephum, ob eandem cauſam; quia Græcis magis quàm Hebraicis innutritus, & in Hebraiſmo & fortè etiam Chaldaiſmo hoſpes. Hebraica enim ſi vel mediocriter delibaſſet, nunquam הבל *habel* ſignificare *πένθος* ſcripſiſſet (*Antiq. lib.* 1. *c.* 3.) Verbnm אבל ſignificat *luxit*, quod aliter ſcribitur quàm הבל *vanitas*.

Inſuper, quominùs innoteſcerent Chriſtianis dictę paraphraſes, in cauſa erat earum raritas, etiam apud Judæos. *Antequam inveniretur ars typographica*, inquit Elias Levita in præfatione in has paraphraſes, *non extabat targum Prophetarum & Hagiographorum, niſi vel unum in tota quadam provincia, vel ad ſummum duo exemplaria in uno climate. Propterea nec quiſquam erat, qui illud curaret.* Mirum videri poſſet ex converſatione ſua cum Barrabano Tyberienſi, & Lyddæo, quam non diſſimulat Sanctus Hieronymus nihil reſciviſſe de paraphraſibus Chaldaicis, quarum nullam mentionem facit. Verùm videntur dedita opera Judæi ex mera invidia ſecum illas preſſiſſe, quòd viderent ex illis poſſe non pauca neque imbellia, contra ſe ipſos arma deſumi. Multa enim occurrunt in illis Paraphraſibus, quæ Chriſtianis faveant. Loca complura interpretantur de Meſſia, quę nobis extorquere ſtudent Judæi. Idcirco meritò à viris doctis pluris fiunt. Concludamus verſiones iſtas antiquiſſimas fuiſſe, & eorum auctorum tempore, quorum nomina præferunt, extitiſſe, ſaltem Onkeloſi & Jonathanis. Etenim non par eſt credere, cùm Chaldaica lingua Judæis vernacula & familiaris eſſet, verſiones Chaldaicas eos neglexiſſe, & poſteà; cùm nec Hebræam, nec Chaldaicam vulgus intellexerit,

eaſdem

eaſdem procuraſſe & compilaſſe. In multis locis, ut diximus, fidem noſtram de Meſſia confirmant, & contra eos fortiſſima argumenta ſuppeditant; quod demonſtrat elaboratas antequàm Chriſtus naſceretur, & quæ de illo dicunt, protuliſſe ex antiquis traditionum & expoſitionum reliquiis, quas ex Prophetis hauſerant. De Verbo Dei, per quod cuncta creata ſunt, multa habent, quibus mirificè comprobatur illud apud Joannem: *In principio erat verbum, &c.* Tantæ autem auctoritatis ſunt apud Judæos Paraphraſes Chaldaicæ, ut fermè illæ æqualem habeant cum textu Hebraico, præcipuè Onkeloſi & Jonathanis paraphraſes. Tradunt Jonathanem ſuam expoſitionem accepiſſe à Prophetis Zacharia, Aggeo, & Malachia; Onkeloſum à R. Eliezer & R. Jehoſua, qui eam à Prophetis.

Breviter de cæteris verſionibus Bibliorum dicam; quæ utiles poſſunt eſſe, iis præſertim qui fontes adire non poſſunt: comparando enim illas quæ ſunt ejuſdem loci, lector ſtudioſus, etiamſi nec Hebraicè nec Græcè doctus ſit, ut cumque poteſt aſſequi vim verborum originalium, quibus ille locus exprimitur. Verſiones præſertim quæ antiquitùs ab Orthodoxis elaboratæ ſunt, multa commoda afferunt. In illis videre eſt quo olim ſenſu accepta ſit ſacra Scriptura, & ex interpretatione facilè colligitur quæ olim interpres legerit in fonte Hebræo aut Græco, ſic quæ lectio magis probanda ſit. Verſio Syriaca antiquitate & auctoritate præſtat. Hac à primis temporibus Chriſtiani Orientales uſi ſunt; potiſſimùm Antiochiæ, undè lingua illa dicta fuit Antiochena. Hujus Syriæ urbis Eccleſiæ, in qua primùm nomen Chriſtianum uſurpatum eſt, ſubjiciebantur aliæ non paucæ, etiam ante Concilium Nicænum, per quas in Sacris uſu frequentiori erat dicta dialectus: quæ deinde appellata eſt *Maronitica*, à Maronitis qui habitant in pagis

montis Libani, & in oppidis Syriæ minoribus, quorum incolæ ſacra ſua in hac lingua celebrant, ſicut & cæteri Chriſtiani per Orientem. Illa, inquam, dialecto exprimunt lectiones ſuas Bibliorum, & officia divina ſive Liturgiam, tum commentarios ſive expoſitiones Scripturarum. Lingua autem Syriaca Chaldaica eſt, niſi quod phraſi & flexione interdum ab illa diſcedit; ſaltem hujus dialectus debet cenſeri.

Vvidmanſtadius Cancellarius Ferdinandi Imperatoris primus in Europa Novum Teſtamentum Syriacum edidit Viennæ anno 1555. ſine verſione, quam deinde addiderunt Guido Fabricius Boderianus in Bibliis regiis Antuerpienſibus; & poſtea Tremellius & Toſtius. Linguam Syriacam vernaculam fuiſſe Chriſto & Apoſtolis Vvidmanſtadius contendit. Alii negant, & cenſent eo ſermone Dominum & diſcipulos ejus locutos, quo exaratæ ſunt Chaldaicæ paraphraſes, aut mixta alia dialecto quæ tum in Judæa vigebat; quod videntur probare voces quas inſeruerunt ſcriptis ſuis Evangeliſtæ, quæ nec purè Hebraicæ, nec Chaldaicæ, nec Syriacæ ſunt. Hebraicas tamen eas Evangeliſtę appellant, quia has uſurpant Iſraelitæ orti ex Hebræis; tum etiam ut indicarent voces illas non fuiſſe Græcas, nec Latinas, ſed proprias Hebræorum genti. Syriaca dialectus hodierna ſcribitur proprio caractere, qui alius eſt tum ab Hebraicis, tum à Samariticis literis.

Translatio Syriaca Veteris Teſtamenti ex fonte Hebræo, & Novi ex fonte Græco, omnes poſt Chriſtum factas translationes antiquitate ſuperat. Verùm præter hanc verſionem Syriacam, quam ſimplicem & antiquam appellant Maronitæ, qua ſola in officiis divinis publicè utuntur, aliam habent recentiorem ex Græco expreſſam, tam Veteris quàm Novi Teſtamenti. Hanc ante millenos annos confectam fuiſſe probant viri docti; undè deducitur vetuſtiſſimam

illam

Digitized by Google

illam eſſe, quæ appellatur antiqua & ſimplex.

Etiam Syri Maronitæ liturgias ſuas & diurnalia duplici lingua legunt, Syriaca vetuſtiſſima, & Arabica, quia Syriacam ſoli qui periti ſunt intelligunt, Arabicam verò habent vernaculam. In Oriente omnibus ferè populis uſitata eſt Arabica; Ideò Chriſtiani ſicut & Judæi & Samaritani Arabicè quique Codices ſacros interpretati ſunt. Rabbi Saadias circa annum Chriſti CM. Pentateuchum Arabicè tranſtulit; quam translationem vir doctus putat non multùm differre ab illa quæ reperitur in polyglottis Pariſienſibus. In multis libris Veteris Teſtamenti verſio Arabica exprimit verſionem Græcam LXX. Interpretum. Apud Chriſtianos Orientales fuit in uſu duplex verſio Arabica. Quin imò quorumdam librorum plures circumferuntur. De omnium harum verſionum authoribus & antiquitate non ſatis conſtat. Apud Æthiopes tota Scriptura verſa eſt eorum lingua; ſed hactenus tantùm pars ejus typis edita eſt. Pentateuchum Perſicè tranſtulit Jacobus Tavvoſus, vel, ut alii, Tavuſius aut Tuſius Judæus, ab urbe Tus academia celebri denominatus, ex textu Hebræo, in uſum Judæorum in Perſia degentium, qui Conſtantinopoli prodiit, anno 1546. Novi Teſtamenti & Pſalmorum ſuſceptæ ſunt variæ verſiones, ſed recentes; & ideò non multæ auctoritatis: ſicut pleræque aliæ in linguis quæ in Europa uſitatæ ſunt.

Sanctes Pagninus è Dominicanorum familia, Vetus Teſtamentum primus ex Catholicis poſt Hieronymum ex Hebræo Latinè vertit. Edita eſt hæc verſio Lugduni anno 1527. quam poſtea correxit Arias Montanus, ſatagens ut textui Hebraico quàm maximè conſentanea eſſet. Sebaſtianus Munſterus verſionem Latinam Bibliorum edidit, ſed ſtilo horrido & Latinis auribus ingrato. Poſt Pagninum plurimi emerſerunt Interpretes, cùm lingua Hebræa notior cæpit eſ-

ſe, Leo Judæus, ſive Leo Juda, non quidem gente Hebræus, Hebraiſmi tamen notitia nec ipſis Hebræis concedens, auſpicatus fuerat verſionem illam Latinam, quæ poſtea Tiguri edita eſt. Mors opus perficere non permiſit. quod Theodorus Bibliander abſolvi. Ea eſt verſio quam Robertus Stephanus, ſuppreſſis Auctorum nominibus, unà cum Vulgata & Franciſci Vatabli annotationibus, typis ſuis mandavit. Emmanuel Tremellius, ex Judæo Chriſtianus, & Franciſcus Junius, conjunctis operis, verſionem etiam textus Hebræi evulgarunt; quod & tentarant alii, Caſtalio, Maluenda, & nuper Sebaſtianus Schmidius. Sunt qui numerant Iſidorum Clarium inter eos qui ex fontibus verterunt Latinè ſacros Codices; ſed ille non novam verſionem cudit, ſed veterem emendavit; in eam quandoque verbis uſus acerbioribus. Lucas Oſiander non tam novam verſionem fecit, quàm vulgatam correxit ad mentem Lutheri.

Verſiones illæ recentiores multùm diſcrepant ab antiquis verſionibus; quòd ſcilicet dicti Interpretes ſecuti ſunt Maſſoretas, & Grammaticos Judæorum, qui regulas antiquis ignotas adinvenerunt. Ideò non mirum eſt, ſi tantùm diſcriminis intercedat inter veteres & novas verſiones. Conſtat enim, etiam ex Talmude, varias olim fuiſſe lectiones in Bibliis. Aliter novi, aliter veteres interpretes legebant. Jacobus Angliæ rex Biblia Hebræo fonte vertenda Anglicè curavit, ſicut Batavi lingua ſibi propria, ex decreto ſynodi, quam Dodrectanam vocant. Lutherus Germanicè, ſicut Genevenſes Gallicè & Italicè, omnes ex fonte interpretati ſunt. Judæi Hiſpanicè quoque verterunt vetus fœdus. Catholici Doctores Vulgatam Latinam verſionem lingua ſua interpretati ſunt: Lovanienſes Gallicè. Ante aliquot annos, & Gallico quidem ſermone, ſed puriori & elegantiori, *Iſacius le Maitre* vulgò *de Saci*.

CA-

CAPUT XIII.

De editionibus Bibliorum præcipuis: de Hexaplis antiquis Origenis; & aliis noviſſimis Polyglottis.

TRadunt Judæi Moyſen duodecim exemplaria Legis dediſſe duodecim Principibus tribuum, ex quibus ſinguli Iſraelitæ legem deſcripſerint. Præcepto enim affirmativo, inquit Maimonides, ſinguli Iſraelitæ jubentur ſibi ſcribere librum Legis; & quamvis quis à parentibus ſuis librum Legis acceperit, ſibi tamen ipſe proprium ſcribere jubetur: quem ſi manu ſua ſcripſerit, perinde eſt ac ſi accepiſſet è monte Sinai. Si ſcribendi peritus non ſit, ſcriptum pretio comparet. Rex quoque jubetur ſibi, quatenus rex eſt, ſcribere librum Legis, præter eum quem privatus habebat, juxta illud Deuteronomii (*Cap.* 17. *v.* 18.) *& erit quando ſederit ſuper ſolium regni ſui, ſcribet ſibi exemplar hujus Legis, &c.* In deſcribenda autem Lege maximam curam, ne dicam ſuperſtitionem, impendunt Judæi. Viginti conditiones recenſet Maimonides neceſſarias ut liber Legis ſacer habeatur, id eſt, ut publicè in Synagogis legi poſſit, quas enumerare ſuperſedeo. Incerta quidem ſunt, & nullo argumento poſſunt probari, quæ Judæi referunt de exemplaribus illis unicuique Tribui datis; ſed conſtat Deum ſemper providiſſe ne ſic negligerentur Libri ſacri, ut in eos irreperent errores noxii fidei & moribus. Poſt ſolutam captivitatem, cùm in exilio, non ea qua par erat religione, ſervatæ eſſent Scripturæ, codices varios collegerunt, ordinarunt, & in unum corpus redegerunt Eſdras, & viri Synagogæ magnæ, hoc eſt, viri Synedrii; & quæ in Bibliis vitioſa erant, repurgarunt, & integritati ſuæ reſtituerunt, Canonem con-

ſtituentes Scripturarum. Erat verò hæc ipſa conſtitutio divinæ prorſus auctoritatis, cùm in iſto Synedrio eſſent non tantùm Eſdras, ſed & Prophetarum ultimi, Aggæus, Zacharias, Malachias, & ut quibuſdam videtur Daniel. Auctor libri quarti Eſdræ (*Cap.* 14. *v.* 21.) dicit omnia exemplaria Legis cum Templo incenſa eſſe, & ab Eſdra, ſuggerente Spiritu Sancto, de novo reparata eſſe: ſed liber ille meritò numeratur inter apocryphos; & iſta fabula quam narrat, refelli poteſt ex libro ſecundo Eſdræ, in cujus capite octavo iſta legimus. *Congregatus eſt omnis populus, & dixerunt Eſdræ ſcribæ, ut adferret librum legis Moyſi, quam præceperat Dominus Iſraeli. Attulit ergo Eſdras Sacerdos legem coram multitudine virorum & mulierum.* Ibi non dicitur Eſdras conſcripſiſſe, ſed attuliſſe librum Deuteronomii, quem apud ſe, utpote Sacerdos, aſſervabat.

Veriſimile eſt Judæos non ſtatim fuiſſe ſtudioſos artis Grammaticæ, quam noviſſimis temporibus excoluerunt; nec antiquitùs ſatagebant hujus ſcientiæ, quæ critica appellatur, occupata in corrigendis & reſtituendis libris huic integritati, qua primum ſcripti ſunt à ſuis auctoribus. Undè, ut patet ex antiquis verſionibus Græcis, complures erant diſcrepantiæ inter codices, quibus quiſque Interpres uſus eſt. Verùm quinto vel ſexto ſæculo, Judæi illi Doctores Academiæ quæ erat in urbe Tiberiade, ad lacum Geneſareth, impenderunt operam corrigendo Codici ſacro, cui appoſuerunt puncta vocalia, ut diximus, ne poſtea aliter legeretur textus, quàm eſſe legendum traditio monebat. Quin & varias variorum codicum lectiones ſategerunt obſervare notis *Keri* & *Ketib*, quas voces ſuprà expoſuimus, tum & uſum earum. Illud autem ſtudium quod adhibuerunt effecit ut textus, qualem nunc habemus ab illis editum, differat ab eo Textu quem habuerant Interpretes Græci; quos illis Tibe-

Tiberienſibus Judæis non ubique decet poſtponere. Eſto enim in optimis conquirendis codicibus ſeduli fuerint Maſſoretæ; ſed etiam ſibi nimiùm forſan ſumpſerunt, ut correctio eorum non ſemper prævalere debeat. Ante natam Typographiam, celebrabant Judæi quoſdam codices, ad quos, ut ad lydium lapidem, exemplaria ſua examinabant. Codices celebriores illi ſunt, codex Hillelis, Palæſtinus ſive Hieroſolymitanus, & Babylonicus. Ex quo à Typographis tum Chriſtianis, tum Judæis multoties & ubique textus Hebræus editus eſt, nulla jam in eo diſcrepantia eſt, niſi quam incuria Typographorum inducit.

Quod ad textum Græcum verſionis ſenum, olim multæ & diſcrepantes editiones erant, ut dicit Hieronymus in præfatione in librum Paralip. *Alexandria & Ægyptus in LXX. ſuis Heſichium laudat auctorem: Conſtantinopolis uſque Antiochiam Luciani Martyris exemplaria approbat: media inter has provincia Palæſtinos codices legunt, quos ab Origene elaboratos Euſebius & Pamphilus evulgarunt, totuſque orbis hac inter ſe trifaria varietate compugnat.* Editio LXX. procurata à Luciano Martyre, qui paſſus eſt ſub Diocletiano & Maximiano Tyrannis, verſio nova cenſeri poteſt: Cùm ille in Codices Hebræos & in Græcas verſiones indidiſſet, & diligenter quæ vel veritati deerant, vel ſuperflua erant, inſpexiſset, ſuis quibuſque Scripturarum locis correxit: ita non fuit ampliùs merè ſeptuaginta Interpretum, ſiquidem mutata ſive emendata; de quo B. Hieronymus admonet Suniam & Fretellam in Epiſtola ſua, utriuſque nomine inſcripta. *Ut ſciatis aliam eſſe editionem, quam Origenes & Cæſarienſis Euſebius, omneſque Græciæ tractatores κοινὴν, id eſt, communem appellant atque vulgatam, & à pleriſque nunc λουκιανὸς dicitur: aliam ſeptuaginta Interpretum, quæ & in ἑξαπλοῖς codicibus reperitur, & à nobis in Latinum ſermonem fideliter verſa*

verſa eſt, & Hieroſolymæ atque in Orientis Eccleſiis decantatur. Modò videbimus Hexapla illa eſse Biblia polyglotta edita ab Origene. Poſteà addit Hieronymus de differentia quæ erat inter utramque editionem LXX. Interpretum: *ſed hoc intereſt inter utramque, quòd κοινὴ pro locis & temporibus & pro voluntate ſcriptorum veterum corrupta editio eſt. Ea autem quæ habetur in ἑξαπλοῖς, & quam nos vertimus, ipſa eſt quæ in eruditorum libris incorrupta & immaculata ſeptuaginta Interpretum translatio reſervatur.*

Vidimus ſupra ſæpiùs Græcè verſos codices Hebræos, ab Aquila, à Symacho, à Theodotione, & à quinto, ſexto & ſeptimo auctoribus, qui ignoti ſunt. Origenes ſuſcepit edere Biblia, in quibus textu originalis cum his verſionibus exhiberetur. Hæc Biblia dicta ſunt Tetrapla, nempe in quibus continebantur quatuor verſiones, ſcilicet 1. Septuaginta Senum, 2. Aquilæ, 3. Symmachi, 4. Theodotionis; quibus poſteà cùm addidiſſet textum Hebræum, Hebraicis & Græcis caracteribus, edidit ſua Biblia hexapla, nempe ſex habentia paginas; quæ tandem evenerunt octapla; poſtquàm quintam & ſextam verſionem Græcam, quas repererat in dolio, ut diximus, adjunxit: quod Rufinus libro VI. ſuæ hiſtoriæ Eccleſiaſticæ explicat. *Origens*, inquit, *illos famoſiſſimos Codices primus compoſuit, in quibus per ſingulas columnulas è regione ſeparatim opus interpretis uniuſcujuſque deſcripſit; ita ut primò omnium ipſa Hebræa verba Hebraicis literis poneret; ſecundo in loco per ordinem Græcis literis è regione Hebræa verba deſcriberet; tertiam Aquilæ editionem ſubjungeret; quartam Symmachi, quintam ſeptuaginta Interpretum, quæ noſtra eſt; ſextam Thodotionis collocaret: & propter hujuſmodi compoſitionem, exemplaria ipſa nominavit Hexapla.* Addam quod dicit B. Hieronymus in caput tertium Epiſtole ad Titum,

tum, de iſta Origeniana Bibliorum editione. *Nobis curæ fuit omnes veteris Legis libros, quos vir doctus Adamentius in Hexapla digeſſerat, de Cæſarienſi Bibliotheca deſcriptos, & ipſis authenticis emendare; in quibus & ipſa Hebræa propriis ſunt caracteribus verba deſcripta, & Græcis literis tramite è vicino; Aquila, item & Symmachus, Septuaginta, & Theodotion ſuum ordinem tenent. Nonnulli verò libri, & maxime ii qui apud Hebræos verſu compoſiti ſunt, tres alias additas habent, quas quintam & ſextam & ſeptimam tranſlationem vocant, auctoritatem ſine nominibus interpretum conſecutas. Hoc immortale illud ingenium ſuo nobis labore donavit.*

Cùm omnium non eſſet magna illa volumina comparare, aliam editionem elaboravit idem Origenes, in qua ſcilicet ſola verſio ſeptuaginta Interpretum eſſet, cui appoſuit aſteriſcos, obelos & ſimiles notas, ex quibus agnoſcerentur quæ ex fonte in iſta verſione deerant, quæ redundarent; ut dicit Hieronymus in dicta Epiſtola ad Suniam & Fretellam. *Ubi quid minus habetur in Græco ab Hebraica veritate, Origenes de tranſlationem Theodotionis addidit, & ſignum poſuit aſteriſcum, id eſt, ſtellam quæ quod priùs abſconditum videbatur, illuminet & in medium proferat. Ubi autem in Hebræo non eſt, in Græcis codicibus invenitur, ὀβελὸν, id eſt, jacentem præpoſuit virgulam, quam nos Latinè veru poſſimus dicere; quo oſtenditur jugulandum eſſe & confodiendum, quod in authenticis libris non invenitur: quæ ſigna & in Græcorum Latinorumque poematibus inveniuntur.* Ideo Origenes ſupplevit ex Theodotione, quæ Græci ſenes omiſerant, quia textum Hebræum preſſiùs ſequitur; quod additamentum ne confunderetur cum textu, appoſuit aſteriſcos: quæ verò erant in Græca verſione, & non in Hebræo textu, non expunxit nec delevit, ſed obelo notavit. Aſteriſcis utebantur veteres critici, librorum-

que cenſores, cùm vellent admonere lectorem ſententiam aliquam eſſe memorabilem, & ſic illam quaſi hoc aſteriſco irradiabant. Adulterina verò & depravata, ne illis lector deciperetur, notula altera, quàm à figura veru repræſentante dixerunt obelum, transfigebant.

Præter omnes illas editiones, quas paravit Origenes, ad revincendos Judęos, qui in congreſſibus, ſive privatis, ſive publicis, Chriſtianis de translatione Græca teſtimonia mutuantibus exprobabant, illa modò non haberi in Hebræo fonte modò aliter explicanda eſſe; ſæpe etiam ex Hebræo quædam objiciebant, quæ in Græco non deprehenderentur; ſeparato opere, ut fuſiùs docuit Morinus in exercitationibus Biblicis, translationem Septuaginta edidit cum Hebræo textu comparatam; ita ut textui LXX. ſub aſteriſco inſeruerit quæ textus Hebræus addebat, at obelo notaverit quæ LXX. Interpretes textui Hebræo addebant; non quòd illa deeſſe, hæc verò ſupereſſe exiſtimaret, ſed ut oſtenderet quæ Judæi in Chriſtianorum textu deficere aut abundare dicerent, quæ reſecarent, quo ad concertationem cum Judæis inſtructiores Chriſtiani prodirent, propriiſque ipſorum armis illos confoderent, nec non etiam argumenta explicandæ & illuſtrandæ LXX. Interpretum translationi depromerent. Hæc Morinus.

Sunt & aliæ notulæ, quibus uſum volunt Origenem, nempe Lemniſcos ac Hypolemniſcos. Apud Heſychium *λιμνίσκος* ſeu *λημνίσκος* Syracuſana vox eſt, qua ſic apellant anguſtas tænias. Hinc ad alia ſignificanda uſurpata vox fuit, nempe pro faſciis, quibus coronæ circumplicabantur; pro lineamento convoluto vulneribus inferendo; demumque pro nota librorum, de qua Iſidorus: *Limniſcus, id eſt, virgula inter geminos punctos jacens, apponitur in iis locis, quæ ſacræ Scripturæ interpretes eodem ſenſu, ſed diverſis ſermoni-*

bus

bus tranſtulerunt. Inde vocatus lemniſcus, ſive linea vittæ more depicta, ait Bernardus de *Montfaucon*. cum duobus punctis, altero ſupernè, altero infernè poſitis ſic -:- Ideo autem lemniſcos ab Origene uſurpatos fuiſſe ſcribit Epiphanius, ut cùm in editione LXX. reperitur aliqua vox non cohærens neque aliis connexa, hoc ſigno notata, noveris ab uno vel duobus interpretum paribus ita verſum fuiſſe, ab uno ſcilicet, cum uno ſolùm puncto linea ſignatur -.- tuncque Hypolemniſcus dicitur; à duobus verò, quando punctum utrinque ponitur ſic -.- & tunc lemniſcus dicitur. Cæterarum notarum hæc eſt forma. Aſteriſcus ſic pingebatur * obelus hac forma -.- Cùm autem exſcriberetur opus Origenis cum iſtis notis, contigit Librariorum oſcitantia, ut ſic permixta ſit verſio ſenum LXX. cum Theodotionis verſione & aliorum, ut poſtea vix conſtiterit, quæ eſſet horum Senum, quæ Theodotionis; quod appoſita ſigna indicabant, *quæ dum per ſcriptorum negligentiam*, queritus Hieronymus in Epiſtola ad Suniam & Fretellam, *à pleriſque quaſi ſuperflua relinquuntur, magnus in legendo error oboritur*. Hinc, inquam, diverſæ editiones LXX. celebrabantur, quas viri docti tentaverant expurgare erroribus Librariorum, & horum virorum nominibus, ut vidimus, Heſichii, Luciani. Ipſe Hieronymus Græcam verſionem LXX. edidit, admonens quòd pro varietate regionum diverſa circumferrentur exemplaria hujus verſionis. Inde, inquam, poſt inventam Typographiam, noviſſimis ſæculis tot diverſæ prodierunt ejus editiones, quæ omnes differunt inter ſe. Editio Complutenſis facta anno 1515. impenſis Cardinalis Ximenes, differt ab editione Vaticana anni 1587. Nempè cùm viri docti, qui editiones Græcas LXX. procurarunt, alii in animo haberent verſionem illam concordem facere cum hodierno textu Hebræo, qui fuit ſcopus Complutenſium, alii cum teſtimoniis ex dicta verſione quæ leguntur

guntur apud antiquos Patres, quod intenderunt Romani, præponebant diverſorum codicum lectiones ſuo conſilio magis idoneas. Græca verſio primùm edita Compluti in Hiſpadia anno 1515. ſecunda vice prodiit Venetiis anno 1518. typis Aldi Manutii; quam editionem plerique Typographi Germani ſecuti ſunt. Editionem Romanam ſive Vaticana Cardinalis Carafa ex manuſcripto Bibliothecæ Vaticanæ procuravit cum notis & ſcholiis. Anno ſubſequenti 1588. nobiliùs verſionem Latinam hujus Græcæ verſionis collectam ex ſcriptis antiquorum Patrum edidit, Græcam Vaticanam & hanc Latinam verſionem curavit conjunctim edendas Joannes Morinus Pariſiis anno 1628. Ad manuſcripti Alexandrini fidem correcta eſt editio Græca, quæ in polyglottis Anglicanis reperitur.

Jam dicam editione Vulgatæ Latinæ. Quamquàm à nata Typographia ſæpius prælo ſubdita ſit, tamen prima ejus notanda editio illa eſt, quam edendam curavit Sixtus quintus, poſt Concilium Tridentinum, à quo declarata fuit authentica. Declaratio autem illa non obſtat quominùs quos novæ editioni præfecerat dictus Pontifex in illa immutaverint non pauca loca, dum ſtudent meliorem facere. Quin cùm hæc nova editio non placuiſſet, Clemens octavus novam denuo procuravit emendatiorem; quæ ſæpiùs recuſa eſt, & in omnium manibus habetur.

De editionibus tum textuum originalium, tum verſionum ſeorſim editis, diximus; nunc paucis perſtringam celebres editiones polyglottas. Editiones Bibliorum illæ dicuntur prolyglottæ, in quibus textus originalis cum una verſione aut pluribus verſionibus in variis linguis exhibetur, ut indicat nomen illud quod Græcum eſt. Poſt inveniam Typographiam multæ prodierunt hujuſmodi editiones. Franciſcus Ximenes Cardinalis & Epiſcopus Toletanus ſuis impenſis & ſtudio quorumdam Academiæ Complutenſis Theologorum

gorum edenda curavit Biblia Complutenſia anno 1515. ſex tomis comprehenſa, continentia Veteris teſtamenti textum Hebræum, & vulgatam Latinam, verſionem LXX. & Onkeloſi Targum, id eſt, Paraphraſim Chaldaicam cum verſionibus latinis: Teſtamentum novum Græco-latinum, & apparatum, in quo quædam Grammaticæ, Lexica, & Indices.

Multis acceſſionibus & chartæ atque caracterum ſplendore illuſtriora ſunt polyglotta Hiſpanica Antuerpienſia regia, ſumptibus Philippi II. regis Hiſpanorum, curante Benedicto Aria Montano octo tomis edita anno Chriſti 1571. ubi præterea inveniuntur Targum ſive Paraphraſis Chaldaica in reliquum Vetus Teſtamentum cum verſione Latina, verſio interlinearis Veteris Teſtamenti ſpeciali tomo, & novi Teſtamenti verſio Syriaca expreſſa nativis, id eſt, Syriacis & Hebraicis ſimul literis. Verſionem illam Syriacis characteribus primùm ediderat Viennæ Albertus Vvidmanſtadius Ferdinandi Imperatoris Cancellarius. Eandem Hebraico charactere expreſſit, & in Latinum convertit Guido Fabricius Boderianus, quæ omnia habentur in dictis Bibliis regiis, iis exceptis, quæ initio Syriaco charactere expreſſa non ſunt reperta, ut notat Bonfrerius (*Cap.* 19. *Sect.*2.) Non prodiere nuda Biblia regia; ſed cum magno apparatu. Nimirum ſimul edita ſunt lexica, grammaticæ cum tractatibus philologicis, variis lectionibus indicibus.

Succeſſerunt heptapla Gallica Pariſienſia, quæ decem magnis voluminibus anno 1645. impenſis viri clariſſimi Michaelis de Jay, ſtudio autem & opera Gabrielis Sionitæ, & Abrahæ Ecchelienſis Maronitarum, & Joannis Morini Congregationis Oratorii presbyteri, charta imperiali, elegantiſſimis characteribus, Pariſiis excuſa. In hac editione præterea habentur Pentateuchus Samaritanus cum verſione Chaldęo-Samaritana, totum Vetus Teſtamentum Syriacum, &

utrum-

utrumque Arabicum. Sed deſiderantur in hoc opere prolegomena & apparatus; quæ inchoata, non perfecta ſunt: certè typis mandata non fuêre.

Poſtmodùm edita ſunt prioribus omnibus ampliora Biblia polyglotta Anglica, quæ ferè decapla ſunt, anno 1657. cura præcipuè Briani Vvaltoni; Perſicas enim & Æthiopicas verſiones habent, unà cum uberrimis prolegomenis & apparatu in ſex tomis. Quantùm hæc editio à Pariſienſi vincitur typorum elegantia & ſplendore chartæ, tantùm majorem præſtat utilitatem; quia cùm aperitur, ſimul exhibet oculis textus originales, verſiones, & paraphraſes; quæ in diſtinctis tomis continentur in Pariſienſi.

Celebres editiones Bibliorum Venetiis prodierunt, quæ polyglottæ poſſunt dici, quia cum textu Hebręo reperiuntur paraphraſes Chaldaicæ & Commentaria Rabbinorum. Veneta illa editio facta eſt à Daniele Bombergo, anno 1517. & iterùm accuratiùs & auctiùs anno 1528. Nec non à Joanne Buxtorfio Baſileæ anno 1618. Ex officina Santadreana anno 1599. prodierunt Biblia cum textu originali & verſione Latina Leonis Juda, ſimul & Græca verſione Senum, & ejuſdem verſionis interpretatione Latina cum notis Franciſci Vatabli; quæ & inter polyglotta numerari poſſunt. Prætermitto ſilentio innumeras alias Bibliorum editiones multiplicibus notis & verſionibus auctas; neque enim viſum eſt de inſtituto noſtro eſſe de omnibus per orbem terrarum variis Bibliorum editionibus diſſerere; quod opus perfecit Pater *le Long*, Congregationis noſtræ presbyter.

Digitized by Google

CAPUT XIV.

De variis Scripturæ ſacræ exponendæ modis; ſive de diverſis ſenſibus ejus.

PArùm eſt comparaſſe ſacros Codices, ſcire qua lingua, quo tempore exarati, & cætera quæ congeſſimus & congeremus in hunc-ce Apparatum, niſi in horum ſenſum penetremus. Senſus autem ille multiplex eſt. Diſtinguendum enim primò, perinde ac in omni alio codice, an propriè an metaphoricè Sacri Scriptores loquantur. Metaphora eſt translatio vocis à propria ſua ſignificatione in aliam minùs propriam, ob aliquam ſimilitudinem. Vix fieri poteſt ut metaphoris prorſus abſtineamus; pronum eſt enim his uti vocibus, quarum in ſimilibus rebus deſignandis jam tritus eſt uſus. Cùm ergo Deus voluerit homines noto & uſitato ſermone compellare, neceſſariò factum eſt, ut quàm plures metaphoræ occurrant in Sacris Scripturis. *Nullo locutionis genere loquitur Scriptura*, ait Auguſt. (*Lib.* 1. *de Trinit. cap.* 12.) *quod in conſuetudine hominum non inveniatur; quia utique hominibus loquitur*. Ex his autem quæ ſenſibus ſubjiciuntur, & frequentiùs occurrunt, ſolent homines accerſere metaphoras: Amos, inquit B. Hieronymus, utitur artis ſuæ nominibus; *ut quia paſtor gregum nihil terribilius leone cognoverat, iram Domini leonibus compararet*. Leonem Deum hic Propheta per metaphoram appellat. Satis ex ipſa re, aut ex iis quæ præcedunt aut ſubſequuntur intelligitur an ſermo proprius ſit, vel metaphoricus ſive translatus; ut cum aliquis vorax *lupi* nomine, & aſtutus *vulpis* vocabulo deſignatur. Apertum eſt in Scripturis, lupos, ſerpentes, dracones eſſe nationes barbaras. Chriſtus dicitur *agnus*, *leo*, *petra*, *vitis*, *vermis*, & id genus

plura, quæ de eo metaphoricè efferri liquet. Nempe hæc nomina illi adſcribuntur, propter aliquam ſimilitudinem.

Inter metaphoras cenſentur hæ locutiones: *os gladii*, pro acie: *adeps frumenti* ſive medulla, pro eo quod eſt in frumento præſtantiſſimum: *baculus panis* pro alimento. Præterea cum omnis ferè hominum ſermo ſit de iis quæ humana ſunt, ſive nobis conjuncta, & quibus afficimur, fit ut etiam Sacri Scriptores de Deo loquantur, *anthropopathos*, id eſt, humano more, ſive quaſi Deus nobis eſſet ſimilis homo. Tribuunt ei humanam formam, oculos, manus, pedes; quin etiam affectus noſtros communicant. Scilicet vix aliter fieri poteſt, ut quamquam Deus incorporeus ſit, non occurrat cum aliquibus imaginibus in mentem noſtram, & ideo ſermone talis exhibeatur, non qualis ipſe eſt, ſed ab humana mente cogitatur, & ſignificari poteſt.

Præterquam figuratæ locutiones ſuaviùs & jucundiùs nos afficiant, quàm ſi eadem ſententia planis verbis diceretur, ut dicit B. Auguſtinus, pleruṁque verba propria non ſufficiunt, quibus clarè exponantur quæ ſacri ſcriptores elucidanda ſuſcipiunt. Quin quandoque etiam ſermo obſcurandus: puta, cùm res obſcenæ exprimendæ ſunt. Tunc non decet uti verbis apertis. Honeſta verba quærunt ſacri Scriptores: *pedes* vocant id omne quod eſt infra alvum. Indè *aqua pedum* eſt urina. Sic illud Exodi (*cap.* 4. *v.* 25.) *Tulitque illico Sephora acutiſſimam petram, & circumcidit præputium filii ſui, tetigitque pedes ejus*, id eſt, partem quæ non nominatur.

Sermo autem ille figuratus Scripturæ occaſio errori eſſe non poteſt, niſi iis qui porsùs agreſtes ſunt & illiterati. Ut plura dicere ſuperſedeam; quæ enim circa uſum metaphorarum hic obſervanda eſſent, petenda ex Grammaticorum & Rhetorum Scholis. Ea

in re

in re ſacer Codex non diſcrepat à profanis codicibus. Utrobique iiſdem legibus metaphoræ pariter uſurpantur. Verùm id ſibi proprium vindicat ſacra Pagina, illa præſertim quæ vetus Teſtamentum continet, ut præter ſenſum quem litera exhibere videtur, expoſita ſecundùm grammaticæ leges, alium recondat, etſi minùs obvium; attamen proximiorem, ut ita dicam, menti loquentis. In veteri Teſtamento ut fusè dictum eſt, ſingula pœnè omnia typi erant Chriſti. Itaque quæ de illis narrantur, cum typis conveniant, tum & Chriſto propria ſunt. Duplicem ergo ſenſum habent Scripturæ veteres: primus ille eſt, quem proximè oſtendunt verba, quæ accommodantur rei præſenti, quam Deus fecerat typum Meſſiæ. Dicitur *literalis*, quia hunc ſubjicit litera; vel *hiſtoricus*, quia continet hiſtoriam rerum, quæ typi fuerunt; quam cùm plerique expoſitores ignorent, ideo excurrunt in allegorias, partus eorum ingenii. In prologo Abdiæ fatetur Hieronymus in hunc-ce ſcopulum ſe impegiſſe. *In adoleſcentia*, inquit, *mea provocatus ardore & ſtudio Scripturarum, allegoricè interpretatus ſum Abdiam Prophetam, cujus neſciebam hiſtoriam.* Non ideò minùs agnoſcendus alter ſenſus, quem verba occultant ſub cortice, qui ideo ſolet dici *myſticus*, hoc eſt, occultus; his verò recluſus, qui traditione avita edocti, noverant ea omnia quæ hactenus contigerant Iſraelitis, eſſe umbras ſive delineationes rerum, quæ aliquando fierent regnante Meſſia.

Typorum tria numerantur genera: Legales; Hiſtorici; Naturales. Legales typi ſunt ritus & cæremoniæ omnes Moſaicæ, Tabernaculum & omnia quæ eò pertinebant, altare, ſacrificia, victimæ, oblationes, ſacerdotes, levitæ, purificationes, &c. quæ omnia typica fuiſſe ſatis docet author Epiſtolæ ad Hebræos.

Hiſtoricos typos voco omnes res geſtas, quarum hiſtoriam enarrat præcipuè codex Moſaicus. Has enim eſſe typicas Paulus apertè dicit, ut Abrahæ conjugium cum Agare ancilla & Sara libera, ſuſceptoſque indè liberos Iſaacum & Iſmaelem: item Jacobi & Eſau nativitatem ex uno Iſaaci cum Rebecca concubitu. Chriſtus ipſe in Evangelio ſerpentem æneum ſui typum fuiſſe ait: Petrus baptiſmum Chriſtianorum dicit fuiſſe diluvii antitypum.

Pro naturalibus typis poteſt haberi quæ à Moyſe deſcribitur mundi hujus aſpectabilis creatio: hæc typus fuit novæ, quæ in Chriſto eſt, fidelium creationis, atque Eccleſiæ conſtitutionis. Undè D. Paulus toties primum & ſecundum Adamum nobis proponit, atque inter ſe componit, & quandoque opponit.

Præterea ſenſus typicus ſive myſticus, vel *allegoricus* vel *anagogicus* vel *tropologicus* eſt. Senſus myſticus ideo nominatur allegoricus, quia res omnes veteris fœderis erant allegoriæ. Scilicet in illo ferè ubique aliud dicitur, aliud intelligendum eſt. Sub nominibus, exempli cauſa, Davidis, Salomonis, Chriſtus deſcribitur. Davidi quidem & Salomoni competunt, quæ de illis dicuntur; ſed hæc magis Chriſto conveniunt. De Davide canitur (*Pſal.* 109.) *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis*, quod poſſit quiſpiam interpretari de Davide compellante Salomonem filium ſuum: ſed, ut JESUS CHRISTUS aiebat: quomodo David potuit Salomonem filium appellare Dominum? Ita ipſa plerumque verba ſacri Codicis magis apta ſunt Chriſto, quàm rei quæ typus eſt; ut verior de Chriſto ſit ſenſus illorum, & magis conſonus rebus omnibus quæ dicuntur. Sic liquet, quæ de monte Sinai & de monte in quo condita Jeruſalem dicuntur, eſſe ſumenda, ut illi montes conjungantur, licet inter ſe locorum diſtantia mul-

multum diſſiti. *Sinai enim mons eſt in Arabia*, loquitur Paulus ſcribens ad Coloſſenſes (*Cap.* 4.) *qui conjunctus eſt ei; quæ nunc eſt Jeruſalem*. In Græco fonte *συστοιχεῖ*, id eſt, duo illi montes ſunt ejuſdem ordinis, in eadem ſerie, ſive verſu *στοῖχος* idem quod *στίχος ordo, verſus*. Unus ad alium relationem habet. Rem futuram indicabant, ſicut Agar ancilla & Sara libera.

Senſus myſticus appellatur *Anagogicus*, quando per illum omnia quæ olim facta ſunt, referuntur ad Chriſti tempora, & ad cæleſtem patriam. Verbi gratia, quæ dicuntur de terra promiſſa, referuntur ad æternam quietem, ad cæleſtem Jeruſalem, cujus typus erat Jeruſalem terreſtris. Paulus (1. *Cor.* 15. 45.) duplicem eſſe hominis ſtatum advertit, alterum naturalem & animalem in hac vita, alterum ſupernaturalem in vita futura, ex eo quod primus Adam dicitur factus ex pulvere in animam viventem; ſecundus verò Adam in ſpiritum vivificantem. *Primus homo de terra terrenus, ſecundus homo de cælo cæleſtis.*

Non ſolùm autem Chriſtus, ſed & res omnes Chriſti, nempe leges ejus, & tota Chriſtiana religio indicabatur certis quibuſdam rebus tanquam quodam ſermonis genere. Sic lex de circumciſione duplicem ſenſum habet, alterum juxta literam, quæ circumciſionem ſolius carnis ſignificat, alterum juxta ſpiritum, quo notatur cordis circumciſio.

Senſus quo ſic explicantur Scripturæ, ut ex illis ſumantur leges morum, dicitur *tropologus*. *τρόπος* Græcis ſonat quod Latinis *mores*. Sic Apoſtolus ex hoc præcepto Moſaico: *non alligabis os bovi trituranti*, probat non eſſe neganda miniſtris Evangelii ſufficientia ſtipendia, undè vivere, ſeque & familiam alere poſſint. *Neque enim*, inquit, *de bobus cura eſt Deo*. De his-ce diverſis ſenſibus audiendus B. Hiero-

nymus in Epiſtola ad Hedibiam. *Triplex*, inquit, *in corde noſtro deſcriptio, & regula Scripturarum eſt. Prima ut intelligamus eas, juxta hiſtoriam: ſecunda, juxta tropologiam: tertia, juxta intelligentiam ſpiritualem. In hiſtoria, eorum quæ ſcripta ſunt, ordo ſervatur. In tropologia, de litera ad majora conſurgimus; & quicquid in priori populo carnaliter factum eſt, juxta moralem interpretamur locum, & ad animæ noſtræ emolumenta convertimus. In ſpirituali theoria, ad ſublimiora tranſimus, terrena dimittimus; de futurorum beatitudine & cæleſtibus diſputamus, ut præſentis vitæ meditatio umbra futuræ beatitudinis ſit.*

Propter conſolationem noſtram exarati ſunt libri Sacri; ideò Sancti Patres, quorum præcipuum ſtudium erat efformare mores populorum, non ſemper ſectantur quæ ſuos auditores feciſſent doctiores, ſed non utique ſanctiores. Quem, inquam, litera oſtendit ſenſum, ſcrutari non ſemper ſatagunt; huc verò flectunt Scripturas, ut indè omni modo arripiant occaſionem imbuendi ſanctioribus moribus Chriſtianos; quod animadvertere operæ pretium eſt, ne ſua laus detrahatur Patribus: ſcilicet ne quis imprudens velit arguere malos interpretes; dum non attendit; quem intuebantur ſcopum. Præivit illis ſummus Magiſter, cùm hiſtoriam pœnitentiæ Ninivitarum, & longum ſuſceptum iter à Regina Auſtri, ut videret Salomonem ad exprobrandam Judæis ſuam negligentiam, deflexit, inquiens (*Matt.* 12.) *Viri Ninivitæ ſurgent in judicio cum generatione hac, & condemnabunt eam*, &c. *Regina Auſtri ſurget in judicio*, &c. Similiter Apoſtolus hiſtoriam Hebræorum, qui in deſerto perierunt, ad mores eorum quibus ſcribit, accommodat. *Patres noſtri*, inquit (1.*Cor.* c. 10.) *omnes mare tranſierunt; ſed non in omnibus beneplacitum eſt Deo*. Toti erant Sancti Patres, præſertim cùm ad populum ſermonem haberent, in accommodanda

Scriptu-

Scriptura tum captui illius, tum uſui. Tropologicæ eorum expoſitiones diſtinguendæ ab illis, in quibus adversùs veritatis hoſtes differebant de Scripturarum vero ſenſu, quem aptis & propriis verbis ſignificatum voluit Deus ad veram-eruditionem.

Pariter ne Evangeliſtas, & alios Domini Jeſu Apoſtolos, quis putet liberiùs exponere veteres Scripturas, animadvertat eos loqui juxta interpretationes ore traditas, ita ut quæ dicunt, ſint deducta ex conceſſis. Etenim Doctores Hebræi ſic illa loca interpretabantur, ex quibus argumenta Apoſtoli arripiebant. Videre eſt in paraphraſibus Chaldaicis, alio ſenſu quàm quem oſtendebat litera, pleraque loca accepta. Philo, verbi cauſa, totus eſt in explicandis Legis allegoriis. Quin recentiores Judæi diſtinguunt alium ſenſum ſimplicem, alium literalem, alium myſticum. Priorem vocant *peſchuth*, id eſt, *nudum*, veluti detracta veſte expoliatum: expoſitionem autem literalem, vocant *piruſch* & *piruſchim*, nempe libros & commentaria, quibus proponitur literalis illa expoſitio: *midraſchim* verò myſticum, ſive allegoricas expoſitiones & commentaria de illis ſcripta; à verbo *daraſch*, quod eſt *quærere*, *ſcrutari*, quia ſenſus myſticus non ita obvius eſt, ut non quærendus ſit. Diverſos illos ſenſus explicat hoc-ce diſthicum, cujus Lyranus auctor dicitur.

Littera geſta docet: quid credas, Allegoria.
Moralis quid agas: quò tendas anagogia.

C A P U T XV.

De præcipuis regulis in exponenda ſacra Scriptura ſervandis.

QUi de ſtudio Scripturarum agunt, in eo conveniunt, ante omnia mentem adjungendam ſenſui literali; qualem modo definivimus, quem ſcilicet auctor intendit: neque enim intelligimus ſolos litera-

Digitized by Google

rum apices, quibus ſacer Codex eſt exaratus. Solertiùs pugnat qui utitur notis armis; ita cui nota Scriptura faciliùs eam vertere poterit in uſus neceſſarios populis, hoc eſt, eorum moribus illam accommodare. Ut liberè dicam quod ſentio, qui ſedulam operam dederit ſtudio ſacri Codicis, ea diligentia, qua in cujuſque auctoris ſcripta inquiritur: qui rimatus fuerit ſenſus, quos verè Spiritus Dei indere colligitur ex ſermone quo eos exponi voluerit, procul dubio penu paratum habebit, unde copioſas opes effundet populis. Qui eam diligentiam non adhibent, inania concionando effutiunt, ita aliena à vera mente Auctorum Sacrorum, ut nemo dicere poſſit hos loqui Spiritu Sancto movente; quos B. Hieronymus in Epiſtola ad Paulinum carpit: *Quidquid dixerint, hoc legem Dei putant. Nec ſcire dignantur, quid Prophetæ, quid Apoſtoli ſenſerint, ſed ad ſenſum ſuum incongrua aptant teſtimonia: quaſi grande ſit, & non vitioſiſſimum dicendi genus, depravare ſententias, & ad voluntatem ſuam ſcripturam trahere repugnantem.* Exponendo ſcripturas hæc regula B. Hilarii tenenda eſt. *Optimus ille Scripturarum lector eſt, qui dictorum intelligentiam expectat potiùs ex dictis, quàm importat, & refert magis quàm affert, neque hoc cogit videri dictis contineri quod ante lectionem præſumpſerat intelligendum.* Igitur verborum proprietas ſemper retinenda eſt, niſi bona quædam ratio tropum ſuadeat; juxta id quod dicitur in jure civili: *Non aliter à ſignificatione verborum recedi oportet, quàm cum manifeſtum eſt alìud ſenſiſſe teſtatorem.*

Sed antequàm expendamus regulas quas inquirimus, diſtinguendæ ſunt quæſtiones, quæ proponi poſſunt. *Sunt nonnullæ* monet B. Auguſtinus (*Lib. 2. contra Pelag. & Celeſt.*) *Quæſtiones, in quibus ſalva fide, qua Chriſtiani ſumus, aut ignoratur quid verum ſit, & ſententia definitiva ſuſpenditur, aut aliter*

quàm

Digitized by Google

quàm eſt humana & infirma ſuſpicione conjicitur: veluti cum quæritur, qualis vel ubi ſit Paradiſus, ubi conſtituit Deus hominem, quem formavit ex pulvere, cùm tamen eſſe illum Paradiſum fides Chriſtiana non dubitet; vel cum quæritur, ubi ſit nunc Elias, vel Enoch, an ibi vel alibi, quos tamen non dubitamus in quibus nati ſunt corporibus vivere. Ubi autem agitur de præcipuis doctrinæ Catholicæ articulis, ſit iſta prima & omium regularum præcipua.

PRIMA REGULA.

Ex traditione, vel interpretatione ſanctæ Eccleſiæ, nempe ex decretis Conciliorum, ex conſenſu Sanctorum Patrum intelligenda ſunt illa Scripturarum loca, in quibus dogmata fidei Chriſtianæ continentur.

Ea eſt conditio Linguæ ſanctæ, ut non ſolùm vera intelligentia ſacri Codicis accipienda ſit ex traditione, ſed & ipſa lectio; quippe qui ſine punctis vocalibus exaratus, rectè legi non poſſit, niſi ab eo qui jam lectum audiverit, ſive ab Eccleſia didicerit quomodo legi debeat. Cavendum autem ne in alios ſenſus accipiamus verba ſacra, quàm quos conſtat auctores ſuos habuiſſe in mente. *Nec periclitor dicere*, aiebat Tertullianus (*Cap.* 39. *Præſcript.*) *ipſas quoque Scripturas ſic eſſe ex Dei voluntate diſpoſitas, ut hæreticis materias ſubminiſtrarent, cùm legam: oportere hæreſes eſſe, quæ ſine Scripturis eſſe non poſſent.* Patet experientia in diverſos ſenſus diſtorqueri poſſe; neque enim, ut ait idem Tertullianus, eſſent diverſæ hæreſes, niſi poſſent perperam intelligi Scripturæ.

Ne hoc contingat, qui Scripturas legit, debet conſulere antiquos & fidos teſtes, qui veram intelligentiam Scripturarum ab earum auctoribus didicerant, ut monet Vincentius Lirinenſis. *Forſitan*, inquit

quit (*Cap.* 2.) *requirat aliquis: cùm ſit perfectus Scripturarum canon, ſibique ad omnia ſatis ſuperque ſufficiat, quid opus eſt, ut ei Eccleſiaſticæ intelligentiæ jungatur auctoritas; Quia videlicet Scripturam ſacram, pro ipſa ſua altitudine, non uno, eodemque ſenſu univerſi accipiunt: ſed ejuſdem eloquia aliter atque aliter, alius atque alius interpretatur; ut penè quot homines ſunt, tot illinc ſententiæ erui poſſe videantur: aliter namque illam Novatianus, aliter Photinus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arius, Eunomius, Macedonius, aliter Apollinaris, Priſcillianus, aliter Jovinianus, Pelagius, Cæleſtius, aliter poſtremò Neſtorius. Atque idcirco multùm neceſſe eſt, propter tantos tam varii erroris anfractus, ut propheticæ & Apoſtolicæ interpretationis linea ſecundum Eccleſiaſtici & catholici ſenſus normam dirigatur.* Satagebant Apoſtoli non ſolùm verba tradere, ſed & verborum ſuorum veram mentem explicare iis quos eligebant in ſucceſſores, ut & ipſi alios doctrinæ ſuæ facerent hæredes: undè his verbis ad Timotheum ſcribit Paulus (2. *Epiſt. cap.* 2. *v.* 2.) *Et quæ audiſti à me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.*

Ubi verus Scripturarum ſenſus, ſive vera & certa illarum interpretatio quæritur, ille potiſſimùm cætus audiendus, in quo ſecundùm ipſas vivitur, juxta illud Tertulliani in præſcriptionibus c. 19. *Ubi apparuerit eſſe veritatem diſciplinæ & fidei Chriſtianæ, illic erit veritas Scripturarum & expoſitionum & omnium traditionum Chriſtianarum.*

SECUNDA REGULA.

Liquet Scriptores ſacros vera ſcripſiſſe, & vero ſanoque ſermone eos uſos eſſe; quapropter ſervetur hæc regula: *Quoties Scripturæ verba, ſine aliquo incommo-*

commodo, poſſunt propriè, ut ſonant & jacent, accipi, ita accipienda ſunt; neque ad metaphoras aut alios tropos, aut ſenſus improprios inflectenda, niſi ex iiſdem propriè acceptis abſurdus aliquis ſenſus eliceretur. Neque enim, ut jam innui, Spiritus veritatis movit ſacros Scriptores ut abſurda dicerent; nec illi perperam locuti ſunt utentes verbis haudquaquam aptis.

TERTIA REGULA.

Si locus aliquis ſubindè obſcurior occurrat, ſed aliis locis per verba clariora proponatur; ad hæc recurrendum, ut prior elucidetur.

QUARTA REGULA.

Ex ſcopo & intentione ſcribentis ſæpe colligitur mens & ſenſus verborum illius: verbi gratia, quorſum, quibus, contra quos, ex cujus perſona ſcribat.

Scopus autem totius veteris Fœderis eſt annuntiare Chriſtum, & eum variis exprimere typis, donec ipſe adveniret; quippe tota lex Moyſis umbra erat. Hinc Auguſtinus (*Lib. 12. cap. 7. contra Fauſt.*) *Omnia*, inquit, *quæ in illis veteris Teſtamenti continentur libris, vel de ipſo Chriſto dicta ſunt, vel propter ipſum.* Novi verò Fœderis ſcopus eſt docere quomodo omnia in Chriſto completa ſunt. Ita non ſolùm in libris Apoſtolorum, ſed & in Moyſis & Prophetarum ubique quærendus Chriſtus. Mutua luce ſeſe colluſtrant duo fœdera. Novum explicat Vetus, & ex Vetere intelligitur Novum. *In Veteri Teſtamento eſt occultatio Novi*, ut alibi dicit idem Auguſtinus, *& in Novo manifeſtatio Veteris.*

QUIN-

QUINTA REGULA.

Conferre antecedentia & conſequentia in quocumque loco, cujus ſenſus dubius ſit, plurimùm juvat ad eum elucidandum.

SEXTA REGULA.

Ineunda concordia inter Scriptores ſacros.

Ne quis temerè credat non ſemper ſibi conſtare Scripturas, animadvertat quòd cùm verba ſervire debeant ſignificandæ voluntati, ubi hæc eadem apparet in duobus auctoribus; non ſecum pugnare cenſendi ſunt, etiamſi diverſa dicere videantur. Ita cùm ex Evangeliſtis alius dictum à Præcurſore aſſerit, *quòd non eſſet dignus portare calceamenta Domini*, alter dictum referat, quod *non eſſet dignus corrigias calceamentorum ſolvere*, non inter ſe pugnant; ambo enim pariter volunt modeſtiam Joannis prædicare. Idem homo, eadem res quandoque habent duo diverſa nomina. Sæpe ex duobus auctoribus qui rem eandem deſcribunt, ille curſim & ex parte eam declarat, cui declarandæ alter immoratur, ut eam integram exhibeat; nec ideo inter ſe diſſentiunt. Quiſpiam ſcriptor ordinem rei geſtæ ſervat, alius recordationis ſuæ. Hic prætermittit id de quo alius mentionem fecerat. Oratio iiſdem verbis expreſſa non ideo ſibi diſſidet, cùm hic affirmat quod alibi negat, modo eodem in ſenſu non eſſe accipiendam, locus cui inſeritur, admoneat. Ita Paulus qui dixit; *nolite effici pueri*, non contradixit conſilio Domini, ut *efficeremur parvuli*. Intelligebat enim ne ſenſibus pueri eſſemus; Dominus verò, ut *parvuli malitia eſſemus*.

SEPTI-

SEPTIMA REGULA.

Lingua, ſi fieri poteſt, auctoris, cujus ſententia exquiritur, percallenda.

Interpretibus fidere non omnino ſecurum eſt. Quanquam enim vicem optimi interpretis impleverint, fieri poteſt, ut eorum oratio poſſit rapi in varios ſenſus: qui autem ipſum fontem conſulere poteſt, non laborat in tollenda æquivocatione; cùm enim apparet interpretes non alia legiſſe in fontibus quàm quæ nunc legimus, liquet ex illis accipiendam eſſe eorum mentem. Vetus Teſtamentum Hebraicè ſcriptum eſt, novum Græcè. Ideò ſi fieri poteſt, addiſcenda Hebræa & Græca lingua. Nam, ut ait Hieronymus Epiſtola ad Lucinium: *Ut veterum librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda eſt; ita novorum Græci ſermonis normam deſiderat.*

CAPUT XVI.

De variis ad expoſitionem Scripturarum ſuſceptis operibus; & de claris ejus expoſitoribus.

HIs regulis inſtructus & omnibus illis quæ in præſenti Apparatu congeſſimus, quiſquis poterit lectionem Sacri Codicis auſpicari. Verùm quantumcunque ingenio ſuo & paratæ doctrinæ confidat, non debet abnuere duces qui ſacrum Codicem jam ante perluſtraverunt, & planiorem fecere. Id tentavere ſcriptores Chriſtiani diverſo operum genere. Alii ſimpliciter ea exſcripſerunt loca, quæ mores ſpectant, & certis articulis diſtinxerunt, proponentes tanquàm *ſpecula*, quod nomen excerptis ſuis inſcripſerunt. Alii appellavere *ſynopſes*; nempe ſub brevi con-

conſpectu quaſi oppoſuerunt oculis doctrinam Scripturarum. Alii familiari ſermone, ut fieri ſolet in colloquiis, illas expoſuerunt populo, ex pulpito tamen. Has expoſitiones Græci appellant *Exegeſes*, *Homilias*, Latini verò, *ſermones*, *Tractatus*, *Enarrationes*. Sunt *collationes*, in quibus mutuis colloquiis ac dialogis ſacra Scriptura exponitur. *Meditatio*, *contemplatio* eſt affectiva expoſitio Scripturarum; ſive ex intimis & ferventibus æſtuantis animi affectibus in viva & ardentia verba prorumpens enarratio. Hoc faciunt pii quidam Expoſitores, qui omnes conatus ſuos in hunc finem intendunt, ut ſe ipſos exerceant & provocent in amorem eorum quæ legunt & explanant.

In his-ce enumeratis expoſitionum generibus, Auctores earum maximè occupantur circa ea quæ ſpectant mores. Diligentiùs autem tractatur Scriptura in *Commentariis*. Ea hujus nominis prima fuit notio, ut in illis diverſæ auctorum ſententiæ ponerentur, prout mentem ſubirent. *Commentarii* ſive *Commentaria* dicebantur, quidquid ita quis conficiebat, ut memoriæ tantùm gratia, non plenæ narrationis facere videretur. Nunc hujus vocis, cùm ſermo fit de opere quo Scriptura explanatur, alia ſignificatio eſt. Etenim ab iis qui edunt in Scripturam Commentaria exigitur, ut quæ ipſi primùm congeſſerunt acervatim, ordine diſponant, & de his interponant ſuum judicium. Licuit tamen hactenus conſarcinare diverſas ſententias. Fuere qui colligerent, & ſimul connecterent, quæ diverſi Auctores protulerant in eundem Scripturæ librum. Hæc opera vulgò dicuntur *catenæ*, quales multæ editæ ſunt maximè ex Patribus Græcis in diverſos libros Scripturæ. Sæculis ſuperioribus, quæ poſt textum Sacrum adjungebantur, hujus elucidandi cauſa, dicebantur *Poſtillæ*. Sic autem appellantur notæ marginales & perpetuæ in ſacra Biblia, quæ ſecundùm verba currunt, quaſi *poſt illa verba*; quòd hæc ſubindè

indè efferrent Magiſtri qui poſtillas illas dictabant. Niſi nomen illud derivetur à *poſta*, quæ vox aliquando idem ſonuit quod *pagina*, ut videre eſt in Gloſſario. *Gloſſæ* nominabantur breves notæ, quæ vicem loquentis interpretis præſtarent. *Gloſſa* nomen Græcum eſt, quod linguam ſignificat. In mediæ & infimæ latinitatis Scriptoribus *gloſſare* idem eſt ac *denudare* & *aperire*.

Non prætermittendæ *paraphraſes* ſive *metaphraſes*, in quibus fuſiùs & clariùs exponitur quod brevi nec ſatis claro ſermone in textu continetur. *Propriè paraphraſis* ſive *ecphraſis* ſive *metaphraſis*, illa eſt quæ ipſam Sacræ Scripturæ narrationem in aliam vertit narrationem. Nomen *paraphraſis* Græcum eſt, denotans interpretationem, qua aliquis ſermone eodem utens, aliquid latiùs eloquitur; ut illam definit Fabius (*Lib.* 10. 5.) *Metaphraſis* propriè mutatio eſt in aliud orationis genus, ſive in aliam formam. *Ecphraſis* eſt ennaratio, deſcriptio, quaſi ob oculos ponens id quod narratur. Denique eſt quoddam expoſitionis genus, quod *analyſes* vocant, in quibus elucidatur mens auctoris, ſeries qua res componit, ordinat: indicatur ſcopus quem intuetur, & ratiocinia quibus utitur. Res eſt immenſi laboris ſtudium Scripturarum: nec mirum; infinitas enim opes continet, & theſauros ſapientiæ innumerabiles; quos quò magis ſcrutatus fueris, tibi majores divitias eruendas reſtare protinus intelliges. Attamen Codex ille ſacer, veluti menſa, proponit cibos omni ætati & conditioni idoneos. *Paſcit Deus manifeſtis*, ait Auguſtinus, *exercet obſcuris*. Etenim, ut idem alibi loquitur, *magnificè & ſalubriter Spiritus Sanctus Scripturas ſanctas ita modificavit; ut de locis apertioribus fami occurreret, obſcurioribus autem faſtidia detergeret*.

Cortice egent, qui nare incipiunt: pariter opus habent adjutore, qui ad ſacras Scripturas primùm acce-

accedunt. Pius lector à me exigat, ut ſaltem nomine recenſeam quos præeuntes habere poſſit in ſtudio Scripturæ. Verùm iſta recenſio non parvę operæ, nec minoris molis, quàm totus ille Apparatus, cui inſudavimus: Plures texuerunt Catalogos ſacrorum Scriptorum, qui in totam Scripturam, vel in aliquos ejus libros ediderunt lucubrationes ſuas. Guillelmus Crovæus Londini publicavit anno 1672. Elenchum Scriptorum in ſacram Scripturam, tam Græcorum, quàm Latinorum; in quo exhibetur gens eorum, patria, profeſſio, religio, librorum tituli, volumina, editiones variæ, quo tempore claruerint vel obierint. Subinde è prælis nova ſcripta prodeunt; ut jam dictus elenchus multis deficiat; cui ergo plures auctores adderem: ſed actum agerem; præmonui enim uberiorem Catalogum, quàm hactenus editus ſit, expectandum eſſe à Patre *le Long*: quo opere frui licebit, cùm de novo prodibit hic Apparatus; nam ad umbilicum perduxit opus ſuum, & jam partem operis edidit. Paucis indicabo Commentariorum collectiones, quæ inſtar eſſe poſſunt plurium voluminum, quæ nec Regii Plutei omnes complectuntur.

Biblia Sacra cum Gloſſa ordinaria primùm collegit Strabo, Fuldenſis monachus Benedictinus, quæ poſtea locupletata ſunt Patrum tum Græcorum tum Latinorum explicationibus, cum poſtillis Nicolai de Lira Franciſcani, nec non additionibus Pauli Burgenſis Epiſcopi, & Matthiæ Thoringi replicis, opera & ſtudio Theologorum Duacenſium. Iteratis typis editum eſt opus illud: Editio Antuerpiana, anni 1634. quam habeo præ manibus, nitida eſt.

Biblia magna Commentariorum literalium, nempè quorum auctores orthodoxi literam breviùs & clariùs exponunt, Joannes de la Haye Minorita edenda curavit Pariſiis, anno 1643. quinque voluminibus; quod opus in immenſum auxit idem Collector, ali-

quot

quot poſt annos recudens novemdecim tomis.

Typographi Londinenſes, anno 1660. novem tomis complexi fuerant Criticos ſacros, nimirum Auctores omnes quotquot verba & phraſes ac idiotiſmos Scripturarum ſagaciùs indagant. Hoc opus contraxit Matthæus Polus in eadem urbe Londinenſi, dictorum Criticorum edens ſynopſim, non ex his ſolis auctoribus conſarcinatam, ſed ex omnibus clariſſimis Scripturæ Interpretibus. Collectionem criticorum Londinenſem auctam & meliùs digeſtam Typographi Batavi recuderunt.

Jam egimus de celebrioribus Bibliorum editionibus polyglottis; in quibus exhibetur textus originalis, cum diverſarum linguarum verſionibus. Quas Latini interpretes verſiones elaboraverunt latinas, collectæ ſunt & editæ Antuerpiæ tribus tomis 1616. his potiſſimùm neceſſariæ, qui fontes adire non poſſunt.

Collatione diverſorum locorum, in quibus vox quæpiam vel dictio occurrit in ſacro Codice, colluſtratur. Qui ergo de litteraria ſuppellectili paranda ſeriò cogitat, poſt Biblia ipſa comparet pretio Concordantias, quarum arte citra ullum negotium deprehendere poteſt quot & quibus locis hæc & illa vox occurrit in ſacro Codice. *Ad obſcuriores locutiones illuſtrandas*, inquit B Auguſtinus (*Lib. 2. de Doct. Chriſt. cap. 9.*) *de manifeſtioribus ſumantur exempla, & quædam certarum ſententiarum teſtimonia dubitationem de incertis auferant: in qua re memoria valet plurimùm*. Ætate B. Auguſtini nondum erant collectæ & concinnatæ concordantiæ; quarum pretium infinitum eſt. *Faciliùs* enim, ut dicit Origenes Homilia XXIV. in libros Numerorum, *in Scripturis quod quæritur, agnoſcitur, ſi ex pluribus locis, quæ de eadem re ſcripta ſunt, proferantur*. Ubique proſtant Concordantiæ Latinæ ſacrorum Bibliorum Latinæ editionis

vulgatæ. Non opus eſt ut eas indicem. Marius de Calaſio Minorita quatuor voluminibus concordantias Bibliorum Hebraicorum Romæ edidit anno 1621. Buxtorfius uno ſolo volumine concordantias horum Bibliorum complexus eſt; non enim Latinas verſiones appoſuit, quas habet opus Marii de Calaſio. Concordantias Veteris Teſtamenti Græcas, Hebræis vocibus reſpondentes curavit Konradus Kirchærus Auguſtanus, Francofurti anno 1607. Opus immenſæ utilitatis. Novi Teſtamenti Græci concordantias concinnavit Henricus Stephanus; illas perfecit Schmidius.

Ne quis deterreatur à Lectione Scripturæ, audiens tot Commentatores, qui multa volumina in ſacram Scripturam ediderunt, Toſtatus Abulenſis decem & quatuor, Cornelius à Lapide undecim, & plures alii: ium & varios Tractatus maximè neceſſarios, quales reperire eſt in apparatu Biblico Regiorum Bibliorum polyglottorum Londinenſium, & in duobus poſtremis tomis criticorum Londinenſium & Batavorum. Ne quis, inquam, tot voluminibus deterreatur, dicam, ſtatim ubi ſtudium Scripturæ auſpicatus fueris, ſufficere tibi unum aut alterum Commentatorem, qui brevitate ſua laudari poſſit, puta Tyrinum aut Menochium. Quin id conſilii darem, pervolvere ſine ullis commentariis ſacros Codices. Judicium eſt B. Auguſtini (*Lib. 2. Doct. Chriſt. cap. 8.*) *Erit igitur divinarum Scripturarum ſolertiſſimus indagator, qui primo totas legerit notaſque habuerit, etſi nondum intellectu, jam tamen lectione dumtaxat, eas quæ appellantur canonicæ.* Poſtea in manus ſumendus Franciſcus Vatablus hujus editionis, in qua præter notas quæ breves ſunt, adjuncta eſt è regione Vulgatæ latinæ altera verſio, quæ exprimi textum originalem. Is liber inſtar erit plurium commentariorum. Robertus Ste-

phanus

phanus ſuis typis Vatablum vulgavit Pariſiis. Recuſus eſt Salmanticæ & in Germania.

C A P U T XVII.

Declaratur quantùm ſit operæ pretium res Scripturæ juxta ſua tempora digerere; & inter illas, cùm à ſacris Scriptoribus enarrantur cum aliqua diverſitate, concordiam inire ſive Harmonias conficere.

Rerum ſeriem quandoque neglexere Scriptores ſacri; ſive potiùs neglecta eſt ab iis, qui eorum ſcripta conſarcinaverunt. Indè tot tantæque difficultates, potiſſimùm in Prophetarum libris; quæ ſolvi non poſſunt, niſi rebus ad ſua tempora revocatis. Tum & lux affertur quibuſque rebus, cum ex diverſis locis omnia quæ illas ſpectant conferuntur. Etenim ex occaſione ſive per alluſionem quandoque nonnulla dicunt Scriptores ſacri, quibus alibi à ſe vel ab aliis dicta poſſunt illuſtrari. Præclarum & utile opus duo Canonici Regulares ſuſceperant, ſcilicet omnem textum Scripturæ digerere in naturali ſerie, nempè ratione temporum res ordinare & congerere ſimul, ut quæ paſſim & quaſi disjectæ erant per totam Scripturam, ſimul ſubjicerent oculis. Opus quod conjunctis operis erat abſolvendum, protinus diſſolutum eſt, auctoribus ad regimen animarum emandatis in diverſas provincias; & præmatura morte unius ex illis prorſus abruptum. Si quid in contextu Scripturæ diſſidere viſum fuiſſet, dicti operis auctores fategiſſent conciliare, & totius Scripturæ harmoniam conflare.

Hocce opus Joannes Lightfootus Anglus, ſi non confecerat, ſaltem deſignaverat in libro, qui ab illo inſcriptus eſt *Chronica temporum & ordo textuum veteris Teſtamenti*. Ibi præcipuè agit Lightfootus ut

cujuſque libri capita in illum redacta ordinem & locum compareant, quem naturalis methodus & genuina chronologiæ ſeries requirit. Addit ſimul rationem tranſpoſitionum, ubicumque illæ occurrunt; multaſque notas & obſervationes non contemnendas, ad textus commodiorem intellectionem, explicationem etiam difficultatum, tum & conciliationem illorum, quæ in relatione hiſtoriarum videntur diſſentire. Sed non ideo & nuſquam à recto tramite diſcedere cenſendus eſt, quia ſuſceperit textum Scripturæ ordinare; neque enim omnes ſcopum aſſequuntur ad quem collimant. Si quis velit experiri vires ingenii ſui, & tentare hanc-ce textuum Biblicorum veram ſeriem, ſumat in manus Biblia typis Antonii *Vitrè*, edita Pariſiis cum notis chronologicis Lancelotii viri pii & docti. Chronologia, quæ loco appendicis his Bibliis attexitur, ſeriem rerum oſtendit: loca verò Scripturæ parallela indicant notæ marginales; ex quibus locis accerſi poſſunt omnia quæ quamque rem ſpectant; videlicet quæ hujus rei deſcriptionem conficere poſſunt, cui nulla deſit linea. Loca parallela quæ prætermiſſa ſunt, ſupplere quiſque poterit ope Concordantiarum nempe horum librorum, in quibus indicatur ubi ſingulæ voces Scripturarum, & quoties occurrunt. Pluris refert illa adnotare Bibliorum paginis.

Plurimi verò auctores conflavere Harmonias. Paralipomenorum & Regum edidit Joannes Baptiſta *le Brun* Rothomagenſis, anno 1691. Pariſiis typis Guillelmi *Deſprez*. Rem gratam fecerit omnibus qui Scripturam amant, qui ſaltem notionem propheticæ Harmoniæ dederit, revocans vaticinia ad proprium tempus, quo quiſquis propheta ea ediderit, & ſignificacaverit implenda. Confuſa ſunt omnia in hac parte ſcripturæ, ubi pluris intererat omnia ex ordine contexere, juxta naturalem ſeriem. Putant viri docti,

moris

tioris fuiſſe Prophetis ſummam concionum à ſe habitarum ſcripto conſignare, & valvis Templi legendam attexere; quæ cùm per aliquot dies innotuiſſet, reponebatur à miniſtris Templi in cartophylacium. Hinc confectos libros Prophetarum dicunt; neque tamen quo par erat ordine, ſed ut opportunum fuit his qui colligebant illa vaticinia.

Hic autem iterùm animadvertam quod jam innui, populum Iſrael electum ſive factum ut annuntiaret venturum Meſſiam, prædiceret omnem vitam ejus, & vitæ circunſtantias, & ſic magna ſpe potentis Salvatoris impleret mundum. Lex ritibus ſuis oſtendebat quis futurus eſſet ille Chriſtus. Verùm præterea Deus elegit viros pietate & doctrina egregios; quibus ea cura ſive religio demandata erat, ut ejus fide imbuerent Iſraelitas, & donec adveniret, revocarent à crimine, & optimis moribus informarent. Hi fuerunt viri Prophetæ, qui zelo ſuo non ſinebant oblivionem Chriſti invadere mentes: ita ut quidquid agendum, quidquid ore dicendum ſuſciperent ad illum plebem converterent; quæ & id expectabat ab illis intelligens tale eſſe eorum munus. Non ergo obſcura illis Prophetarum vaticinia, quanquam nunc aliena videantur ab eorum propoſito. Sic cùm Iſaias prophetabat contra Moab, & prædicebat agros eorum prædam leonum futuros; ſubitò ſic Deum rogat cap. XVI. *Emitte agnum dominatorem terræ*, nempe Chriſtum, qui agnus eſt dominaturus orbi. Similiter cap. XLV. *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant juſtum; aperiatur terra & germinet Salvatorem*. Non ſolùm Prophetæ Dei, ſed & Gentiles Prophetæ, qualis fuit Balaan, Chriſtum oriturum ex Jacob indicebant, huc convertentes vaticinia ſua, quod advertere ad illa illuſtranda intereſt. Satagam ergo Prophetias reddere ſuis temporibus, & ſic inire inter Prophetas Harmoniam,

non ut perficiam opus, ſed ut excitem perficiendum.

Sub Joſaphat rege Juda, & ſub Achab rege Iſrael, circa annum mundi conditi 3100. vaticinabatur Elias notus zelo ſuo; qui igneo curru in cœlum raptus eſt, & reliquit ſucceſſorem Eliſæum diſcipulum ſuum: ſed nec ille, neque alii Prophetæ, qui plures ante eum fuere, prophetias ſuas ſcriptas reliquerant. Deinceps Prophetarum cohors advenit, qui id fecere: intererat enim gloriæ Dei, ut pateret tot mala, quæ obtigerunt populo ſuo per tria aut quatuor ſæcula, fuiſſe à Deo præſcita & intentata, ſi fortè reſipiſcerent à pravis facinoribus; horum minas renovatas, ut ſaltem poſteriores Judæi deterrerentur à ſequendis Patrum malis exemplis. Decem Tribus primùm abductæ fuerant in captivitatem, & regnum Iſraelis finitum; unde intelligere poterant Judæi, quid iſta portenderent, ſi pergerent iram Dei adversùs ſe concitare. In dies novi exurgebant Prophetæ, quorum vaticinia coram ſuis oculis completa videbant; ex quibus, inquam, intelligere poterant vanis minis non perterreri.

Primus vaticinia ſua ſcripto mandavit Ozee, ſub Jeroboam ſecundo rege Iſrael, qui cæpit regnare anno 3179. Prædixit Ozee ruinam regni Iſrael, quod tunc ſub hoc rege maximè florebat. Hanc ruinam à ſe prædictam vidit Ozee; vixit enim uſque ad annum mundi 3283. qui ſextus fuit regni Ezechiæ, quo regnum Iſrael finem ſortitum eſt, ut prædixerat Ozee. Ille propheta agit perſonam Dei, ſynagogam in adulterio deprehenſam objurgantis, punientis, repudiantis, & aliam ſubinducentis. Ideò in figura Domini noſtri Salvatoris Eccleſiam de peccatoribus congregantis, juſſus eſt uxorem meretricem accipere; & accepit, non ob cauſam luxuriæ. Quod in Propheta carnaliter contigit, in Deo factum eſt ſpiritualiter, dum carnem aſſumpſit noſtram. Ozee autem

Syna-

Synagogæ excidium repræſentat, & Eccleſiæ vocationem ex gentiliſmo, dum uxorem ducit Gentilem. Idololatriam, aliaque Iſraelitarum ſcelera acriter inſectatur: pœnitentibus clementiam promittens & gloriam.

Cenſent Hebræi Joelem fuiſſe Ozee æqualem; cui iſtum ſubjiciunt. Nullum habet prænotatum tempus quo vixerit; niſi quòd in fine capitis primi prædicit ſterilitatem, qua Amos capite quarto conqueritur caſtigatos copulos, nec ad pœnitentiam adductos. Ita Joel vaticinatus eſt ante Amos. Vaticinium Joelis ſpectat potiſſimùm Judæos, quibus excidium Jeroſolymæ, totiuſque Judææ per Chaldæos pronuntiat: & ſub hoc typo excidium univerſi, & judicium extremum præfigurat; concludens vaticinia ſua promiſſis pluviæ, poſt ſiccitatem & depaſtas arbores à locuſtis. Occaſione autem temporalium benedictionum aſſurgit ad promiſſionem benedictionum ſpiritualium diebus Chriſti. Prædicit dona linguarum, & miracula quæ Chriſti mortem eſſent ſubſequutura, & præceſſura deſtructionem Hieroſolymæ: minatur etiam extrema mala hoſtibus hujusce urbis. Proximè autem annuntiat deſtructionem exercitus Sennacherib, adversùs quem Dominus robuſtos ſuos juſſit deſcendere, nempè Angelos ſuos, eumque perdidit in valle Joſaphat ante Hieroſolymam; quod etiam Ozee attigerat in capite primo.

Amos, inter pecuarios Thecuanos in Judæa, ad propheticum munus in regno Iſrael obeundum ſe miſſum teſtatur ante terræ motum; quem circa annum XXIII. Oſiæ regis factum arbitrantur Judæi: in eo tamen lapſi, quòd eundem referunt ad annum quo lepra percuſſus eſt Oſias jam ſenex, cùm officium ſacerdotale uſurpare voluiſſet; quo tempore

judicabat populum terræ filius ejus Joathan. Nativitatem verò Joathani quinquennio integro præceſſit mors Jeroboami, ſub quo tamen motum eveniſſe affirmat Amos. Annus autem XXIII. Oſiæ regis concurrit cum anno mundi 3216. Hic Propheta Domini ultionem denuntiat in Philiſthæos, Tyrum, Idumæam & filios Amon, nempè in vicinas Gentes, in Moabitas, in Samariam. Minatur Iſraelitis captivitatem & finem regni; ſimul ſolatur, quia Deus poſtea excitaturus ſit Tabernaculum David. Amos, ut ipſe loquitur, non magiſter fuerat in ſcholis Prophetarum, ſed bubulcus: & tamen prophetavit adversùs ſex nationes præter Iſraelem, quas & univerſas conclnſit ſub immutabili decreto deſtructionis.

Solus ordo codicis Hebræi ſuadet Abdiam, ut alii appellant, Obadiam fuiſſe coævum tribus dictis prophetis, nempe Ozee, Joeli & Amos. Vaticinatur exitum adversùs Idumæos, qui affligebant & ſubſannabant filios Iſrael.

Abdiam ſequitur Jonas in codice; undè colligitur huic coævum. Nulla verò ſupereſt hujus prophetia adversùs Iſraelem & adversùs Judam. Juſſus à Domino denunciare Ninivitis, quòd niſi reſipiſcerent, & pœnitentiam agerent, omnes perituri eſſent, primo voluit declinare illud mandatum. Ideò navem conſcendit, ut mari fugeret à facie Domini. Cùm navim everſura eſſet tempeſtas propter eum, eò quòd mandato Dei non pareret, projectus eſt in mare à nautis. Patuit eum cauſam eſſe tempeſtatis; illico enim ſedata eſt. Exceptus autem ventre ceti, poſt tres dies ejectus eſt in littus. Typus manifeſtus Chriſti, qui tribus diebus jacuit in ſepulchro, cùm tempeſtatem, qua mundus concutiebatur, morte ſua compeſcuiſſet. Miſſus Niniven videtur Jonas circa annum mundi 3297.

Hi

Hi prophetæ & ſequentes miſſi ſunt à Deo ad Judæos, ut diximus, cùm ſtatuiſſet evertere Iſraelis regna & Judææ, prὸpter ſcelera eorum. Judææ facinus, quo Deus maximè concitatus eſt adversùs populum ſuum, fuit cædes Zachariæ filii Barachiæ, ſive Joiadæ, inter templum & altare, anno mundi 3164. Narratur illa cædes in Paralipomenis (*Lib.* 2. *cap.* 24.) *Mittebatque eis Prophetas, ut reverterentur ad Dominum, quos proteſtantes illi audire nolebant*, inquit horum librorum Scriptor. Ab illo tempore res inclinari cæpere, tuncque, ut dixi, à pluribus Prophetis admoniti ſunt de ira Dei; cujus primum indicium fuit terribilis motus terræ, de quo Amos primo capite, & poſtea Zacharias capite XIV. loquuntur.

Poſt hanc plagam alia inceſſit, quæ plus miſeriæ traxit, licèt minùs terroris; fuitque terribilium locuſtarum, bruchorum, & erucarum multitudo; quales qui ætate eſſent provecti nunquam viderant. Provenerunt iſta animalcula ſub menſis tempus, in principio fæni-cordi poſt fœniſecium. Amos cap. VII. Tum agri frumento pleni erant, & fructibus onerabantur arbores & vites. Illa animalcula vineas vaſtaverunt, ficuum corticem eraſerunt, & omnem virorem agri depaſta ſunt; ut videre eſt in Joele cap. I. & in 14. capite Oſee.

Gravis iſta locuſtarum plaga tandem precibus amota eſt; ſed peccata populi aliam advocavere, nempe maximam ſiccitatem, ut narrant Amos cap. VII. Joel & Oſee cap. IV. quacum commixtæ erant terribiles quædam flammæ igneæ, quæ de cœlo decidebant, uti in Ægypto Exod. IX. *Ignis conſumpſit omnia paſcua deſerti*. Etiam quædam civitates ſubverſæ ſunt igne cœleſti, ſicuti olim Sodoma: Rivi aquarum exſiccati; & ipſi piſces interierunt. Poſt omnia

omnia illa judicia, quando illa fruſtra fuerunt, Deus libellam diſpoſuit in populo ſuo, & decrevit ut excelſa Jſaaci deſolarentur, & Iſraelis ſanctuaria deſtruerentur. Subinde tamen progeniem Prophetarum ſuſcitabat Deus, qui hanc prædicerent extremam deſolationem.

Iſaias, ſeptuaginta quinque annis ante deportationem filiorum Iſrael, cœpit prophetare in diebus Oziæ ſive Azariæ. Hujus regis anno vigeſimo quinto, nempe anno M. 3219. auſpicatum eſt munus ſuum, quod exercuit & ſub ſequentibus regibus Juda, Joathan, Achaz & Ezechia, per integrum ſæculum uſque ad Manaſſem, à quo creditur ſerra diſſectus. *Non tam propheta dicendus*, inquit B. Hieronymus, *quàm Evangeliſta; ita enim univerſa Chriſti, Eccleſiæque myſteria ad liquidum perſecutus eſt, ut non putes eum de futuro vaticinari, ſed de præteritis hiſtoriam contexere.* Protinùs prædicit initium Evangelii in ultimis diebus Hieroſolymæ, & confluxum populorum ad illam legem quæ ex Sione prodiret.

Quamquam Iſaias triginta fere annos prophetaverit ſub Ozia rege, tamen ſola quinque prima capita pertinent ad hoc-ce regnum. Capite ſexto, quo dicit Oziam mortuum, viſionem Dei deſcribit in Throno ſedentis, quæ illi obtigit. Quibus temporibus ſequentia capita aſſignanda ſint, ſtatui non poteſt niſi ex conjectura; adeò neglectus eſt ordo ab his qui ejus collegerunt ſcripta. Ozias ultimo anno regni ſui fuerat lepra à Deo percuſſus, ut dictum eſt. Interea Joathan filius ejus judicabat populum terræ; leproſi enim excludebantur hominum conſortio.

Principio regni Joathan anno M. 3246. Michæas cœpit prophetare. Ille miſerè queritur de captivitate de-

te decem tribuum, cujus tempus appropinquabat; & de calamitate Hieroſolymæ, quæ haud longè aberat. Vixit temporibus Iſaiæ & Oſee prophetarum, ſub regibus Ozia, Joathan, Achas, & Ezechia, qui mortuus eſt anno mundi 3306. Nominatim Michæas deſignat urbem, ubi Chriſtus naſciturus erat; ac ipſiſſimis utitur verbis Iſaiæ ad deſcribendum confluxum accedentium regno Chriſti ſub Evangelio.

Circa hæc tempora vaticinabatur Nahum, cujus nomen idem quod *Noe*, ſcilicet *conſolator*. Conſolatur hic Propheta populum Dei, quem poſt decem tribus à Salmanaſſare in Aſſyriam, cujus metropolis erat Ninive, deportatas, graviter etiam filius ejus Sennacherib (4. *Reg. cap.* 18. *verſ.* 13.) afflicturus erat.

Achas patri ſuo Joathan ſucceſſerat. Phaſee autem filius Romeliæ rex Iſrael, & Raſin rex Syriæ aſcenderunt in Jeruſalem, ad præliandum contra eam anno M. 3262. Dum urgerent obſidionem, Iſaias Regi Achas, ob cujus impietatem illi duo reges à Deo adducti fuerant, obtulit ſignum de virgine paritura, quo certior fieri poterat utrumque regem non prævaliturum. Scilicet Iſaias ſignificavit matrimonium, quod initurus erat, fore in ſignum ut quę ex eo proles ſtatim erat naſcitura, oſtenderet proximam liberationem à jugo Syrorum regis, tum & regis Iſrael. Hæc Iſaias complectitur capitibus VII. VIII. Quæ autem dicit de matrimonio ſuo meliùs conveniunt virgineo partui Chriſti; à quo confractum eſt jugum diabolicum. Nativitatem Chriſti prę. nuntiat capite IX. qui Prophetarum animo cùm ſemper obverſaretur, & omnia quæ contingebant Iſraelitis, typi eſſent adventus ejus, non mirum eſt verba Prophetarum duplici ſenſu interpretanda; tum quatenus rem futuram prædicebant: tum quatenus præ-

præſentem deſignabant. Matrimonium, verbi cauſa, Iſaiæ, ex quo, ut prædixerat, ſtatim nata eſt proles, oſtentum fuit; quo confirmabatur veritas vaticinii ſui.

Ezechias à patre ſuo Achas conſors regni admiſſus eſt anno Mundi 3277. anno nono Oziæ regis Iſrael, ſexto Ezechiæ, Salmanaſar Samariam ſub finem tertii anni obſidionis cepit, & decem tribus in captivitatem abduxit. Atque hic finis fuit regni Iſrael. Tunc poſt abductas decem tribus, Nahum prophetavit, ut conſolatio eſſet tam his qui jam captivi erant, quàm his qui obſidebantur. Pleriquе exiſtimant illum prophetaſſe in diebus Manaſſis unà cum Habakuc; ita ut cœperit regnante Ezechia, & perſeveraverit uſque ad tempora Manaſſis. Mentionem facit mali conſilii Sennacherib contra Dominum, & prædicit mortem quam ſubiturus erat in Templo ſuo idololatrico. Denuntiat etiam deſtructionem Ninives, urbis in Aſſyria primariæ.

Anno M. 3291. regni Ezechiæ 14. Sennacherib regnum Judææ invadit, & obſidet Jeroſolymam; quam non expugnaturum Iſaias ſignificavit. Exercitus enim Sennacherib ab Angelo deſtructus eſt: quę narrat capitibus XXXVI. XXXVII. ſicut capite XXXVIII. quomodo Ezechiæ ex lethali vulnere decumbenti prorogationem regni in quindecim annos promittit ſigno mirabili umbræ ſolaris retroactæ. Iſaias plura vaticinia edidit, quæ Gentes ſpectarent, quæ ſuis temporibus completa ſunt, ſed tempus quo illa edidit non indicatur: quod nec poteſt deduci ex ordine quo collocantur in ſacro Codice; ſi quidem rationem temporis non ubique habent collectores horum vaticiniorum, qui quæ eſſent adversùs vicinas Gentes, pariter & propinquo loco collocaverunt. Obſervare eſt magnam partem, quæ hiſtoriam Sennache-

nacherib præcedit, minis atque terrore conſtare; reliquam verò, quæ hiſtoriam illam conſequitur, plenam eſſe ſolatii & promiſſionum.

Manaſſes morienti Ezechiæ, bono patri impius filius ſuccedit, anno Mundi 3306. & regnavit LV. annis, & tandem incidit in manus Aſſyriorum, qui vinctum compedibus adduxerunt eum Babylonem anno M. 3327.

Amon impius patri Manaſſi ſuccedit, & regnat biennio. Joſias octennis Amoni patri per domeſticorum proditionem occiſo ſuccedit, & annis XXXI. regnat. Anno M. 3375. Joſiæ regni XIII. Jeremias adhuc puer ad propheticum munus à Deo vocatur; & huic adjunguntur Sophonias, ſive Zephanias, Baruch & alii. Prophetia Jeremiæ verſatur in acerbiſſimis reprehenſionibus ſuorum temporum, increpationibus & lamentis. Deinde verò in conſolationibus Eccleſiæ graviter afflictæ; quam promiſſionibus ampliſſimis de regno Chriſti, de multiplici gratia Novi Teſtamenti, reficit & erigit. Spem etiam facit de Gentibus in Eccleſiam inducendis. Catenis & miſeriis obrutus, eò quòd inſtantium calamitatum admoneret Judæos, expreſſa Chriſti patientis effigies extitit. Poſt expugnatam & incenſam urbem benè habitus eſt à Chaldæis, qui eum carcere eduxerant & Babylonem deduxerant; maluit autem cum pauperioribus ad patriam everſam redire.

Per hoc-ce tempus Nechao rex Ægypti Joſiam cùm occidiſſet, populus Joachaſum juniorem ejus filium in Regem unxit, anno M. 3394. ſed poſt tres menſes Nechao conſtituit in ſolio Eliakim fratrem ejus ſeniorem, quem Joakim appellavit.

Hoc & tempore, Mundi anno 3397. prophetavit Habacuc, cùm jam immiſſurus eſſet Deus Chaldæos in Judæam. Statim Nabuchodonoſor Judæam invaſit,

& Joa-

& Joakim catenis vinxit. Indè initium captivitatis Babylonicæ ab anno mundi 3398. quam per LXX. annos duraturam prædixit Jeremias cap. xxv. Primis autem ſex capitibus hiſtoriam texit ab initio regni Nabuchodonoſoris ad everſum per Medos & Perſas Babylonicum imperium. Daniel his-ce diebus adhuc adoleſcens & pœnè puer cum cæteris captivis abductus eſt Babylonem. Vixit verò uſque ad Cyri tempora, hoc eſt, ad annum vitæ ſuæ circiter LXXX.

Joakim poſtquam tribus annis in fide Nabuchodonoſoris permanſiſſet, rebellavit, & à Chaldæis captus abjectus eſt inſepultus. Jeremias captivis Judæis miſeram ſortem, tum & populis qui in Judæa remanſerant, niſi ſubditi eſſent Babyloniis, denuntiat. Cum verò multi Pſeudo-prophetæ omnia fauſta pollicerentur Judæis, ſi rebellarent, multa mala pertulit. Epiſtolæ, quam anno M. 3405. ſcripſit ad Judeos captivos, exemplar exhibet Baruch.

Joakim ſucceſſit filius ejus Joakin ſive Jechonias, qui cùm menſes tres & dies decem regnaſſet, captivus abductus eſt cum matre & proceribus.

Anno ab hac deportatione quinto, Ezechiel prophetare cœpit uſque ad annum XXVII. Coætaneus fuit Jeremiæ, & quæ hic Jeroſolymis, ille in Chaldæa prædicavit pariter contra Pſeudoprophetas, quò captivus ductus fuerat unà cum Jechonia ſeu Joachin & Daniele. Hoc anno, qui mundi eſt 3409. vidit juxta fluvium Chobar celebrem viſionem quatuor animalium, à quibus trahebatur currus Dei. Tum & juſſus eſt figurare ſive prænuntiare obſidionem Jeruſalem. Deus enim per eum & Jeremiam præmonebat Judæos de inſtantibus malis.

Hoc eodem anno 3409. in locum Jechoniæ ſubſtitutus eſt Mathatias ipſius Joſiæ filius, nomine ejus in Sedeciam mutato, qui XI. plenis annis regnavit.

Anno

Anno M. 3414. nono anno Sedeciæ, qui ſabbaticus fuit, Hieroſolymitani, adveniente adversùs eos cum copiis Nabuchodonoſore, ſervorum libertatem promulgant (*Jerem.cap.*34.*Jerem.c.*39.*v.* 17.) Cœpta eſt obſidio menſe X. die X. Quo ipſo die revelata eſt Ezechieli in Chaldæa (*cap.*24.) Chaldæi, cùm audiſſent quòd Rex Ægypti veniret, ut Sedeciæ ferret ſuppetias, diſcedunt Hieroſolymis; Jeremias verò reverſuros & civitatem combuſturos prænuntiat capit. XXXVII. Ezechiel cap. XXIX. anno decimo deportati Jechoniæ, decimo menſe, M. 3415. vaticinatus eſt contra Pharaonem & Ægyptum, quòd eſſet baculus arundineus domui Iſrael: quod contigit; fugato enim Pharaonis exercitu, Hieroſolymitanam obſidionem redintegravit Nabuchodonoſor, circa diem XV. tertii menſis, videlicet diebus 390. ante captam urbem, ut ex typo quem enarrat Ezechiel capitibus IV. v. VIII. colligere eſt. Tum & Jeremias conſultus à Sedecia, reſponſum dedit urbem in manu Nabuchodonoſoris tradendam cap. XXXVIII. & cap. XXI. Propterea in foveam conjicitur.

Anno M. 3416. undecimo deportati Jechoniæ, prima die menſis, Deus per Ezechielem Tyro exultanti de miſerando Hieroſolymæ ſtatu, quam Nabuchodonoſor jam-jam capturus erat, prænuntiat ab eodem excidium. Eadem occaſione & eandem ob cauſam, & alii Prophetæ minabantur Gentibus vicinis ſimilem vaſtationem, qua Deus Judæos caſtigabat; ne de Deo quem Judæi colebant, falſa ſentirent. Eodem anno & menſe, die verò ſeptima, Deus Ezechieli revelat ſe regem Babyloniæ contra Pharaonem armaturum. Vaticinia Ezechielis, quæ ſpectant nationes, non ſuo tempore relata ab eo vel ab iis qui hæc collegerunt; res ipſa loquitur.

Anno M. 3416. undecimo Sedeciæ deſinente, menſe quar-

ſe quarto, die nona, perrupta eſt civitas à Chaldæis. Sedecias aufugiens à Chaldæis captus eſt (*Jerem.* 39. & 52.) & apud Nabuchodonoſorem Riblam adductus; ubi occiſis ejus liberis in conſpectu ipſius, occæcatus ac catenis vinctus Babylonem deportatus eſt (*Jerem. ibid.*) In menſe quinto ejuſdem anni, Nabuzardan, præfectus militiæ regis Babylonis Hieroſolymam ingreſſus eſt, & ſequenti biduo, rebus comparatis, decimo die, ipſo ſabbato, in quem videtur mandati executionem diſtuliſſe, Templum Dei ac palatium regis cum reliquis ædificiis concremavit (*Jer.* 52. & 39.) omnibuſque muris Hieroſolymorum circumquàque disjectis, populum & opes cum inſtrumentis domus Dei deportavit Babylonem (*Jer. cap.* 29. 52. *v.* 14.) Nabuzardan poſtquam Templum incendit, Ramam locum conſtituit, ubi de quibuſdam captivis ſtatueret, ſpeciatim de Jeremia, quem vinculis ſolvit; indèque Riblam venit ad Dominum ſuum.

Anno M. 3417. reliquiæ Judæorum, qui remanſerant in Judæa, eunt in Ægyptum cum Jeremia & Baruch, qui eorum arguunt idololatriam, & denuntiant regem Babylonis devaſtaturum terram Ægypti. Sanctus Hieronymus de exitu Jeremiæ ſcribit, quòd apud Thamnus (Taphnes) in *Ægypto à populo lapidibus obrutus occubuit, anno M.* 3420. Baruch, & ipſe propheta, ſcriba Jeremiæ, collegit Prophetias quas ediderat per quadraginta quinque annos, à decimo tertio anno Joſiæ regis, ad quintum annum exciſæ Jeruſalem & Templi everſi.

Anno M. 3430. oſtenditur Ezechieli futura reædificatio Templi & civitatis; quam viſionem incipit enarrare in capite xl. & uſque ad finem vaticiniorum ejus explicat; ſimul quibus legibus res adminiſtrandæ eſſent, poſtquam recuperaſſent Judæi libertatem ſuam.

Anno M. 3434. Nabuchodonoſor, finitis expedi-

tioni-

tionibus, dum quietus eſſet & florens in palatio, ſomnium de arbore excidenda habuit, cujus Daniel interpretationem ei aperuit. *Dan.* cap. IV. Exactis à viſo ſomnio menſibus duodecim, ſtructurarum ſuarum magnificentiam jactans, mente eſt alienatus, & à ſuis depulſus per ſeptem annos cum beſtiis vitam egit & pœnitentiam: poſtea regno reſtitutus eſt, paulò poſt obiit. Anno mundi 3442. ei ſucceſſit filius Evilmerodac.

Anno M. 3449. Baltaſar fit rex Babylonis. Primò hujus regis anno, vidit Daniel viſionem de quatuor beſtiis, quatuor regna deſignantibus. Ejuſdem regni tertio, Mundi 3451. viſionem de ariete duorum cornuum; & hirco unius cornu, ac poſtmodum quatuor cornuum, qui devicit arietem: quorum ille regem Medorum ac Perſarum deſignat nempè Cyrum, hic autem regem Perſarum nempe Alexandrum magnum.

Anno Mundi 3466. cùm Baltaſar auſus eſſet in convivio quod celebrabat, pro poculis uti vaſis ſacris, quæ Nabuchodonoſor tulerat de Templo, vidit ignota manu deſcriptas in pariete literas; quas Daniel ſolus legere potuit (*Dan. cap.* 5.) Eadem autem nocte à militibus Cyri Baltaſar occiſus eſt.

Anno ſequenti 3467. primo Darii filii Aſsueri, de ſemine Medorum, quo Daniel advertebat ſeptuaginta hebdomadas captivitatis prædictas à Jeremia jam-jam finiendas, habuit revelationem de aliis ſeptuaginta hebdomadibus, quibus, completis Chriſtus occidendus eſset. Hoc eſt, vidit complementum omnium Prophetiarum. Simul & vaticinatus eſt de regibus Perſarum & Græcorum, nempe de Alexandro magno qui invaſit regnum Perſicum.

Anno M. 3468. Judæi per Cyrum donati libertate in patriam redeunt, cum poteſtate Templi ædificandi. Cyro autem bellis occupato, vicini Satrapæ, Ju-

deorum æmuli, ædificationem Templi diu ſatis impedierunt.

Anno M. 3481. Aggæus propheta, Darii anno ſecundo, Judæorum negligentiam in exſtruendo Templo cœpit carpere, cap. 1. Ejuſdem anni menſe octavo, populum ad reſipiſcentiam hortatus eſt Zacharias propheta, & ad ædificium Templi excitavit variis viſionibus & emblematibus, quibus portendebatur ejus gloria.

Ultimus Prophetarum Malachias, quod nomen Hebraicè ſonat *Angelus Dei*. Nehemiæ ſupparem fuiſſe colligitur ex eo quòd non hortetur populum ad ædificationem Templi, quod Aggæus & Zacharias fecerant, ſed eas reprehendat corruptelas, quas Nehemias deprehenderat, nimirùm conjugia cum alienigenis inita, decimarum detentionem, & divini cultus depravationem. Cùm deinde nulla futura eſset Prophetarum ſucceſſio, Malachias populum hortatus eſt, ut legi Moſis conſtanter adhærerent, uſque dum adveniret ſummus Propheta Chriſtus; cujus præcurſor Joannes Baptiſta venturus eſset in ſpiritu & virtute Eliæ. Poſt, inquam, Malachiam Judæi nullos habuere Prophetas: *Voluit nempe Deus iſta fame verbi, ut Prophetæ loquuntur, appetentiores Meſſiæ facere Judæos, qui Prophetas omnes miraculis eſſet ſuperaturus.*

Inter libros Macchabæorum concordiam inire intereſſet. Eam confecerat Canonicus Regularis, de quo dixi; & ad prælum paratum erat opus, quod vir doctus Toinattius tentaverat, expertus plenum difficultatis. Quippe hiſce Macchabæorum temporibus deficit hiſtoria. Joſephus & alii qui hiſtoriam Judaicam ſcripſerunt, aut ipſi veritatem non aſſecuti ſunt, aut non ſatis expreſſerunt. Cum dicta Harmonia multùm utilis ſit, horum auctorum amici non ſinent ſchedas eorum perire.

A pri-

A primis temporibus uſque ad ætatem noſtram tot Scriptores in quatuor Evangeliſtarum concinnanda harmonia ſeſe exercuerunt, ut vix eorum numerus iniri poſſit. Noti Euſebiani Canones, quibus ob oculos ponitur, in quo quiſque Evangeliſta ſive conſentiat ſive diſſentiat cum cæteris; quæ dicat indicta ab aliis: quis abundet, quis deficiat; ex quo ſupplenda ſit hiſtoria Evangelica. Sanctus Auguſtinus ſcripſit de conſenſu Evangeliſtarum; quo via aperitur concordiæ inter illos. Diverſa ratione contexi poteſt iſta concordia, ex ſingulis verbis Evangeliſtarum, ita ut fiat perpetuus contextus, & ex notulis intelligatur cujus Evangeliſtæ ſint verba. Alii digerunt ſingulos Evangeliſtas in columnis, ita diſpoſitis, ut ſolo conſpectu lector advertat, quæ quis ſolus, vel cum duobus, vel cum tribus dicat vel prætermittat: ſi duo, vel tres, vel plures conſentiant; in quo diſſentiant præcippuum, ipſa eſt vera ſeries rerum & verborum JESU CHRISTI, juxta tempora quibus ſermones ſuos habuit & opera ſua perfecit.

Inter eos qui ſcripſere concordias Evangelicas magna diſcordia: quod ideo mirum, quia paucorum annorum hiſtoria eſt JESU CHRISTI; & à Nativitate ad baptiſmum ſuum vitam ejus pertexentes, diſſentire non poſſunt. Sed non ita eſt de annis ſequentibus, uſque ad mortem ejus. Aperiam cauſam lapſus, ſimul cur poſt tam diverſa opera ipſe novum opus cuderim. Huic, ut mihi videtur, ſtandum eſt regulæ, Evangeliſtas qui viſa ſcripſere, quippe comites JESU CHRISTI, potiùs maluiſſe res ex ordine referre, quàm perturbare. Cenſendum itaque veram ſeriem ſecutos Matthæum & Joannem, qui interfuere rebus quas enarrant. Hanc Hieronymus rationem reddit, cur Lucas in Actis Apoſtolorum digerendis temporis rationem habuerit, quia ſcilicet viſa

ſcribat; Evangelium verò prout ab aliis acceperat, non ſecundùm veram ſuam chronologiam proponat.

Attamen eam omnes hactenus præconceperant opinionem de Matthæo, quòd ordinem temporis neglexiſſet. Hoc patet, dicunt, ſtatim ac in manus ſumitur; nam capite quarto memorat Joannem Baptiſtam conjectum in vincula; conſtat verò vincula Herodiana, quibus non aliis vinctus eſt, magis eſſe ſerotina. Quapropter cùm ſuis temporibus reddere quis ſuſcipit, quæ Matthæus enarrat, neceſſe eſt à capite quarto, omiſſis intermediis, ut tranſeat ad decimum-quartum.

Temerè, ut puto, iſta opinio præconcepta eſt, quòd Matthæus in ſuo capite quarto carcerem Herodianum memoraverit. Joannes Baptiſta malè exceperat Phariſæos, ſacerdotes, & Sadducæos, hoc eſt, Judæorum proceres. Appellaverat progenies viperarum. Cùm ergo incurriſſet in odium eorum, penes quos erat ſumma poteſtas, non mirum eſt ab his fuiſſe in vincula traditum, Matthæus, inquam, traditum ſcribit; ſed neutiquam nominat Herodem: ita ut alius quærendus ſit horum vinculorum auctor. Ille ſtatim ſe prodit; nempe viri præpotentes, quorum odium in ſe conciraverat, qui rebus religionis præerant. Non mirum ergo eſt ab his traditum in vincula; quaſi ſe falsò venditaret prophetam & præcurſorem Meſſiæ, nempe Angelum de quo Meſſias dixerat: *Ecce ego mitto Angelum meum*. Joannes JESU CHRISTO teſtimonium perhibuerat; quem ergo ut conjunctum cum eo, ſive ſocium, ſive amicum, Phariſæi, Sacerdotes perſecuti fuiſſent. Ergo Jeſus à deſerto reverſus ad locum ubi Joannes baptizabat, cùm audiiſſet hunc traditum, ſeceſſit in Galilæam, quæ alterius principatus erat, nempè Herodi Tetrarchæ ſubdita.

Non multo poſt tempore Judæi liberum Joannem, ſive-

ſeverunt abire, qui & in Galilæam pariter ſeceſſit; ubi auſus redarguere illicitas Herodis nuptias cum uxore fratris ſui, pariter iram ejus accendit, & ab eo in vincula traditus eſt, & tandem occiſus. Semel ac duo illa vincula Joannis Baptiſtæ admiſſa ſunt; ordo capitum Matthæi demonſtrat veram ſeriem hiſtoriæ Evangelicæ, ut amice lector experiri poteris, evolvendo noſtram Harmoniam Evangelicam; & quas de his-ce duobus vinculis diſſertationes edidi.

Neſcio an Morinus, medicus Pariſienſis, Cænomani natus, Actuum Apoſtolorum cœptam cum Pauli Epiſtolis harmoniam abſolverit. Lucas Actuum Apoſtolorum ſcriptor, perpetuus fuit comes Pauli Apoſtoli; cujus hiſtoriam particularem conſcribit in Actis, dum videtur omnium Apoſtolorum ſcribere. Itaque cum ſcire referat qua occaſione, quo tempore ſcripſerit Paulus ſuas Epiſtolas, utilem navabit operam, qui dictam harmoniam Actuum Apoſtolorum cum Epiſtolis B. Pauli contexuerit.

His omnibus adjutus quæ in noſtro Apparatu præſtruimus, quiſquis poterit prælegere Scripturas cum voluptate, utinam non temporanea, ſed quæ initium ſit illius, qua Beati fruuntur in cœlo; ubi non ſcriptam veritatem, ſed rem ipſam intuentur & poſſident. Quo autem ordine diverſæ ſacri Codicis partes ſint evolvendæ, diſci poteſt ex B. Hieronymo, qui his-ce verbis Lætam admonet ut filiam benè inſtituat. *Diſcat*, inquit, *primò Pſalterium: in his ſe canticis avocet, & in Proverbiis Salomonis erudiatur ad vitam. In Eccleſiaſte conſueſcat quæ mundi ſunt calcare. In Job virtutis & patientiæ exempla ſectetur. Ad Evangelia tranſeat, nunquam ea poſitura de manibus. Apoſtolorum Acta & Epiſtolas tota cordis imbibat voluntate. Cùmque pectoris ſui cellarium his opibus locupletaverit, mandet memoriæ Prophetas, Pentateuchum, & Regum*

& Pa-

& Paralipomenorum libros: Eſdræ quoque & Eſther volumina. Ad ultimum ſine periculo diſcat Canticum Canticorum, ne ſi in exordio legerit, ſub carnalibus verbis ſpiritualium nuptiarum epithalamium non intelligens vulneretur.

Huic ſecundæ parti manuductionis noſtræ pro coronide apponam verba illa pia & elegantia B. Bernardi ex Epiſtola ad fratres de monte Dei. *Fortuita & varia lectio & quaſi caſu reperta, non ædificat; ſed reddit animum inſtabilem; & leviter admiſſa, levius recedit à memoria. Sed certis ingeniis immorandum eſt, & aſſuefaciendus eſt animus. Quo enim ſpiritu Scripturæ factæ ſunt, eo ſpiritu legi deſiderant; ipſo etiam intelligendæ ſunt. Nunquam ingrèdieris in ſenſum Pauli, donec uſu bonæ intentionis in lectione ejus, & ſtudio aſſiduæ meditationis, ſpiritum ejus imbiberis. Nunquam intelliges David, donec ipſâ experientiâ ipſius Pſalmorum indueris affectus.*

Finis Partis Secundæ.

APPA-

APPARATUS
BIBLICUS,

SIVE MANUDUCTIO
AD SACRAM SCRIPTURAM
Tum clarius, tum facilius
intelligendam.

AUCTORE

R. P. BERNARDO LAMY
Congregationis Oratorii Presbytero.

LIBER TERTIUS.

Digitized by Google

APPARATUS BIBLICUS, SIVE MANUDUCTIO AD SACRAM SCRIPTURAM.

LIBER TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

De exoticis, id eſt, de extraneis rebus, quarum cognitio Sacris Scripturis intelligendis ſubſervit. Primum de falſis Numinibus, quorum illæ mentionem faciunt. De veri Dei & falſorum deorum nominibus.

PROPOSITUM eſt nobis in hoc-ce Apparatu omnia congerere quæ ſacris Scripturis lucem afferre poſſunt. Plura eruimus ex moribus, ex ritibus, ex doctrina Judæorum, quibus illuſtrari poſſunt; & quæ Scripturis ſunt veluti propria: Judæorum enim cauſa exaratæ ſunt. Nunc experiri liceat utrum ex exoticis, hoc eſt, ex iis quæ extranea ſunt, quidpiam adduci poſſit, quo utiliter noſter Apparatus augeatur, & perficiatur incœpta Manuductio. Multa ſunt exotica, quæ in ſacro Codice occurrunt, & non explicantur, quia tunc temporis ſatis nota. Mentio, verbi cauſa, in illo fit falſorum numinum, & religionis qua colebantur, quam dedocendi erant quos alloquebantur Prophetæ. Itaque ſermo Prophetarum non intelligitur, ignota

prorſus quam impetebant idololatria. E re igitur viſum eſt non prætermittere ſilentio falſa Gentium numina, & alia ſimilia exponere, quibus explicandis non immorati ſunt Sacri Scriptores, quia aliena erant ab inſtituto. Neque enim ſuſceperant totam naturam patefacere, texere hiſtoriam naturalem animalium, de arboribus, de metallis differere, res omnes ſive naturæ, ſive artis deſcribere, & quod medicorum eſt, morbos explicare. Quæ tamen ubi quis nota & perſpecta habet, viam, in qua alii hærent, planiorem decurrit. Hæc ſaltem breviter peſtringenda ſunt.

Protinùs animadvertam homines qui Deo colendo facti ſunt, quorum ideò motus omnes & affectus ingeniti à natura, ad Deum propendent, Deo carere non poſſe. Idcirco cum verum ignorarent, ne cultui ejus deeſſent, quæcumque numina colebant. Statuerant aras ignoto Deo, quas invenit B. Paulus Athenis (*Act.* 17. 23.) Undè & illa gentilium formula precatoria: *Dii Deaque omnes*. Nautæ in navi Jonæ *invocabant quiſque Deum ſuum, cùm in periculo verſarentur* (*Jon.* 1. 5.) Forſan cùm verum Deum præterire omnes timerent, excitabant Jonam, ut ſuo Deo vota quoque redderet. Ubi per peccatum à Deo homines receſſerunt, lapſi in corpora, quæ jam ſola poterant cogitare, pariter & diligere, inter res corporeas, ſive oculis corporis conſpicuas, quærere cœperunt (omnem enim Dei notionem peccatum nondum deleverat) quibus naturam divinam affingerent, & pro Deo colerent. Pro utilitate autem, quam ex corporibus percipiebant, & pro potentia quam illis ineſſe opinabantur, hæc vel illa pro diis habuere & coluere. Conſtans erat opinio Gentilium, Deos eſſe habendos, à quibus magna utilitas ad vitæ cultum eſſet inventa, ipſaſque res utiles & ſalutares Deorum vocabulis nuncupandas; ut non ſolùm cenſerent inventas à diis, ſed & ipſas divinas. Quis

neſcit

heſcit qualia demens Ægyptus portenta colat? Attamen, dicit Cicero, ipſi qui irridentur Ægyptii, nullam belluam niſi ob aliquam utilitatem, quam ex ea caperent, conſecraverunt. Solem & lunam, quibus inter corpora nihil excelſius, nihil ſplendidius, elementa quæ utilia ſunt, ignem, terram, aquam, aerem, ſicut ea omnia à quibus aliquod grande malum infligi poterat, Deos putavere. *Etenim vani homines*, ut queritur auctor libri Sapientiæ (*Cap.* 13.) *De his quæ videntur bona non potuerunt intelligere eum qui eſt; neque operibus attendentes agnoverunt quis eſſet artifex, ſed aut ignem aut ſpiritum, aut citatum aerem, aut gyrum ſtellarum, aut nimiam aquam, aut ſolem & lunam rectores orbis terrarum Deos putaverunt. Quorum ſi ſpecie delectati deos putaverunt, ſciant quantò his dominator eorum ſpecioſior eſt; ſpeciei enim generator hæc omnia conſtituit.* Ea innata eſt animis de Deo opinio, eum eſſe abſolutum, potentem, perfectum, à quo omnia bona & mala proficiſcuntur. Dico mala, pœnas quibus malos meritò exercet. Hinc quæ inter cauſas bonorum & malorum reputata ſunt, & inter Deos fuerunt numerata.

Etiam quorumdam hominum fraus adjuvit errorem, & invexit falſorum numinum religionem, quam exempla propagaverunt. Certum eſt, & argumentis, ſi vacaret, probarem, primos homines qui imperium in cæteros uſurpaverunt, ſimul ſibi divinos honores arrogaſſe, aut his mortuis delatos, dum aulici proli eorum adulabantur. Hoc eſt quod idem Scriptor Sapientiæ (*Cap.* 14. *verſ.* 15.) docet nos. *Acerbo enim luctu dolens pater, citò ſibi rapti filii fecit imaginem; & illum qui tunc quaſi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit; & conſtituit inter ſervos ſuos ſacra & ſacrificia. Deinde interveniente tempore, convaleſcente iniqua conſuetudine, hic error tanquam lex cuſtoditus eſt, & Tyrannorum imperio colebantur*

ſebantur figmenta. In Ægypto cura & arte, ut nemini ignotum, mortuorum corpora condiebantur, nec obruebantur terra. Viri Principes includebantur arca, quæ imaginem exhiberet alicujus animalis, quo forſan vivus delectatus eſſet, aut quod pro virtutum ejus ſymbolo haberetur. Illæ imagines in ædificiis in hunc uſum paratis religioſè ſervabantur: loca cùm colerentur, contigit ut ſepulchra mortuorum hominum fierent templa vivorum. Labentibus autem annis, cùm vera Principum imago non appareret, animalia ipſa quæ oculis ſubjacebant, habita ſunt pro Deo: his oblata ſacrificia, & tota impenſa eſt religio, quam vero Deo deberi natura ipſa docet. Hoc atteſtatur Juſtinus de quodam Damaſco Rege *in cujus honorem Syri ſepulchrum Arathis uxoris ejus pro templo coluere, Deamque exinde ſanctiſſima religionis habent.* Idem Juſtinus ſcribit Hephæſtionem, juſſu Alexandri Magni, poſt mortem pro Deo habitum.

Cippis, columnis, ſtelis, ſive pilis ornabantur olim ſepulchra; quod & viri pii faciebant. Jacob enim erexit titulum ſuper ſepulchrum Rachelis (*Gen.* 35. *v.* 20.) Tituli autem illi in Hebræo codice dicuntur *Matzeva*, Græcis interpretibus στήλη, id eſt, pila, cippus, columna, pyramis, quandoque ſaxum quadratum, non aliam ſpeciem, quàm ſaxi, præ ſe ferens. Attamen hi tituli, ſeu cippi, columnæ, pyramides, ſaxa, eodem modo velut dæmoniorum ſeu deorum idola haberi cœpta ſunt. Sol pyramidis ſpecie colebatur Syris: Venus ſpecie pilæ ſeu quadrati ſaxi Arabibus. Cùm ſimiles tituli pro ſimulachris eſſent, ideò illos prohibet Deus in Levitico (*Cap.* 1. *verſ.* 1.) *Nec titulos erigetis, nec inſignem lapidem ponetis in terra veſtra, ut adoretis eum.* Quandoque Latinus interpres vocem Hebræam reddit *ſtatuas*, ut quarto Regum (*Cap.* 3. *verſ.* 2.) *Tulit enim ſtatuas Baal, quas fecerat pater ejus:* ibi

στήλη

rum ſtatua nihil aliud eſt quàm *titulus*, *pila*, *ſaxum*.

Quin & Idololatriæ promovendæ non parùm contulit malorum Angelorum invidia. Horum princeps ambierat ſimilem Deo fieri, dicens: *ſimilis ero Altiſſimo*; quod conſequi non potuit, detruſus cœlo in inferiores partes terræ. Ab hominibus autem inferioris naturæ, ſedem qua deturbatus erat, occupandam eſſe ægrè ferens, ut haberet ſocios ſuppliciorum, primos hominum parentes ad peccandum illexerat, occultus ſub ſpecie ſerpentis. Nactus ergo occaſionem tum ex ambitione principum, tum ex errore vulgi, promovit falſas religiones, uſus poteſtate ſua, cui homo ſubditus eſt peccando. Divinos honores ſuffuratus eſt ſibi, & idolis, quæ colenda ſuppoſuit: videlicet quæ intelligebat tribuenda eſſe Deo, aut advertebat tribui à viris piis, quales fuere Abel, Seth & poſteri ejus, hæc omnia curans tribuenda falſis numinibus; Sive ſub his & illis ſimulacris & nominibus ſe colendum exhibens. *Immolaverunt filios ſuos & filias ſuas dæmoniis*, ut Pſaltes queritur de Judæis; qui quidem ſcientes & volentes non colebant dæmonia; ſed ſub nomine *Moloch*, dæmonia ſibi ab illis exigebant divinos honores; & id ubique, ut Deum imitaretur, qui ubique eſt.

Potiſſimùm autem loca conſpicua, excelſa, monteſque elegerant, qui colebant Dæmonia. Moris eſt Perſarum, ut ſcribit Herodotus; *altiſſimas montium ſummitates aſcendere, & Jovi hoſtias ibi immolare, omnem cœli gyrum Jovem appellantes*. Verumtamen dæmonia, quoniam pleraque illis oblata ſacra turpia erant aut inepta, illa ut ſubtraherent plurium aſpectui, fieri voluerant in lucis, ſive abditis locis. Paſſim legimus in Gentilium libris arbores diis ſacras fuiſſe, & ſub earum umbris facta ſacrificia. Ideò Deus ſatagens populum ſuum revocare ab illo errore,

præcipit ut non alio in loco quàm quem ipſe elegerat, victimas mactarent. Loca excelſa ſæpiùs in Scripturis prohibentur: in Deuteronomio (*Cap.* 16. *verſ.* 21.) admonet Deus ne lucus cujuſcumque arboris juxta Aram ejus plantaretur. Contra hanc legem peccavit Manaſſes (4. *Reg.* 6. 21. *verſ.* 23.) *qui erexit Aras Baal, & fecit lucos.* Prævaricationem ſimilem exprobrat Iſaias Iſraelitis. *Numquid*, inquit (*Cap.* 57. *v.* 5.) *non vos filii ſceleſti, ſemen mendax, qui conſolamini in diis, ſubter omne lignum frondoſum immolantes parvulos, in torrentibus ſubter eminentes petras.* Sic Jeremias (*Cap.* 3. *verſ.* 6.) exprobrat Iſraelitis eos fornicatos eſſe, id eſt, idola coluiſſe *ſuper omnem montem excelſum & ſub omni ligno frondoſo.*

Non ſolùm montes, valles, lucos, rupes, & omnia quæ naturæ ſunt, mali Angeli implebant ſacris ſuis, ſed & ipſa artis opera, quæ ſcilicet manus hominum elaboraverant. Phœnices idola ſua in navium ſuarum proris & puppibus circumferebant, ut diſcimus ex Herodoto. Hinc aliqui fabulam Jovis rapientis Europam ad prædones trahunt, quorum navis eſſet ſub Jovis tutela, habens effigiem tauri. Inde, inquam, à Jove raptam Europam veteres commenti ſunt. Hujus Alexandrinæ navis, qua Paulus à Melita dicitur in Actis (*Cap.* 23. *v.* 11.) vectus Syracuſas, inſigne Caſtores erant; nempe Caſtoris & Pollucis appoſita erat effigies. Cùm autem Gentes illæ idololatræ pertimeſcerent deos quoſcumque; ne alicujus ſacra negligere viderentur, erigebant altaria diis deabuſque omnibus, ut dixi. Talis erat iſta ara Athenis, *Diis Aſiæ & Europæ & Lybiæ, Deo ignoto & hoſpiti:* cujus occaſione Paulus Apoſtolus de uno & vero Deo diſſerens aiebat (*Act. cap.* 17. *v.* 23.) *quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis.*

Omne

Omne hònoris genus reddebant Gentiles idolis. Coram incurvabant ſe, & procumbebant humi. Hoc eſt quod Latinus interpres appellat *adorare*. Quia verò *adoratio*, ſive cultus qui exhibebatur diis, fieret non ſolùm capite inclinato & flexis genibus, ſed & manu ad os admota, idcirco, ut notat B. Hieronymus, Hebræi juxta linguæ ſuæ proprietatem *deoſculationem* pro veneratione ponebant. Ita Pſalmo 2. in fonte Hebræo *oſculamini filium*, id eſt, *adorate*. Ad quod alludens Job (*Cap. v.* 31. 27.) & teſtatus quàm animum haberet alienum ab idololatria, dicit: *Si vidi ſolem cùm fulgeret, & lunam incedentem clarè, & lætatum eſt in abſcondito cor meum, & oſculatus ſum manum meam ore meo.*

Non alienum eſt ab hoc-ce loco obſervare quòd Gentiles putarent exaudiri à ſuis numinibus, cùm inanes preces copia verborum abundantes effunderent coram eorum ſimulacris. Sic prophetæ Baalis (3. *Reg. cap.* 18. *v.* 26.) *invocabant nomen Baal de mane uſque ad meridiem dicentes: Baal, exaudi nos.* Continuo ſex horarum ſpatio & contenta voce iterabant illas preces, ſi quidem ſperarent quòd tandem exorarent falſum numen; ut de illis Dominus dicit (*Matth. cap.* 19. *ver.* 27.) *Putant enim quod in multiloquio ſuo exaudiantur.*

Deus, ne Iſraelitæ idololatris ſimiles fierent, vetabat uti iiſdem inſtitutis; verbi cauſa, ne quis more illo, quo idololatræ eorumque ſacerdotes ſolebant, extremam cæſariem tonderet (*Levit. cap.* 19. *v.* 27.) *Neque in rotundum attondebitis comam, nec radetis barbam;* quod facere ſolebant Arabes, Genteſque vicinæ. *Eodem modo*, inquit Herodotus, *ſe tonderi aiunt, quo Dionyſius tonſus eſt; tondentur autem in rotundum, tempora ſubradentes.*

Hoc & adſtruit Hieremias (*Cap.* 9. *verſ.* 26.) *Viſitabo ſuper Ægyptum & ſuper Juda, & ſuper Edom,*

& ſu-

& ſuper filios Ammon, & ſuper Moab, & ſuper omnes qui attonſi ſunt in comam, habitantes in deſerto. Per comam intelligi videtur capillus extimus caput ambiens, ita ut cæſaries reſecta eſſet ad modum coronæ. Non alia ergo ratio eſt cur hoc Deus vetuerit, niſi quod pronos ad idololatriam Iſraelitas ſciret, & quantò plura cum gentilibus communia haberent, tantò faciliùs in eorum inſtituta tranſituros.

Eandem ob cauſam Deus interminabatur Iſraelitis ne carnem inciderent, & ſtigmatibus notarent (*Lev. cap.* 19. *v.* 26.) *Et ſuper mortuo non incidetis carnem veſtram, neque figuras aliquas aut ſtigmata facietis vobis.* Stigmata erant in carne inciſuræ, quas implebant fuco, atramento, vel aliis coloribus: Hunc enim in modum ſolebant Gentiles in idoli honorem notare ſervum, eo indicantes illum venditum. Mos ille invaluerat inter Orientis populos, ut his-ce ſtigmatibus ſe ſignarent; quod aſſerit Lucianus, loquens de Dea Syria. Omnes notis erant compuncti, alii in vola, alii in cervice. Herodotus autem refert mulieres Ægyptias in luctu, faciem luto illinere ſolitas, & varia ſibi ſtigmata inurere. De notis inuſtis in corpore ſic loquitur lib. 2. agens de Templo Herculis in littore maris, verſus Nili oſtia. *Erat in eo littore Herculis Templum, quod nunc quoque eſt: ad quod ſi quis cujuſcumque hominis ſervus confugiens capiat ſacras notas, ςίγματα ἱρὰ ſeſe Deo tradens, eum nefas eſt tangere.* Ad hunc-ce ritum forſan alludebat Paulus in Epiſtola ad Galatas (*cap.* 6. *v.* 17.) dicens. *De cætero nemo mihi moleſtus ſit: ego enim ſtigmata Domini Jeſu in corpore meo porto.*

Locus allegatus Levitici prohibet tum ſtigmata carni ſuæ incidere, ſive carni diverſas notas inſcribere, tum ſe lacerare & laniare in luctu; quæ conſuetudo erat Gentilium. Rege Scytharum mortuo, illi brachiis circumcidebantur, ſi fidem Herodoto faciamus. Mos iſte

pariter

pariter viguit inter illos Sacerdotes Baal, quos dicebamus contenta voce iteraſſe tandiu importunas preces (3. *Reg.*18. *v.*28.) *Clamabant ergo voce magna, & incidebant ſe, juxta ritum ſuum, cultris & lanceolis donec perfunderentur ſanguine.* Sic juxta Lactantium fiebat in Bellonæ ſacris: *in quibus*, inquit, *ipſi Sacerdotes non alieno ſanguine, ſed ſuo cruore ſacrificant; ſectis namque humeris, & utraque manu diſtrictos gladios exſerentes, currunt, efferuntur, inſaniunt.* Decuit ſapientiam ſummi Legislatoris revocare Iſraelitas ab his ce conſuetudinibus.

Falſis autem religionibus, quibus mali Angeli mundum impleverant, ut aſtruerent fidem, conferebant ſive poteſtatem, ſive artem myſtis ſuis & magis; quos certum eſt nonnulla patraviſſe, quæ ordinarias naturæ vires ſuperant, & ejus legibus adverſantur. Etenim quamvis pleraque ſuſpecta ſint, quæ leguntur in antiquis ſcriptis, tamen non poſſumus ſingula in dubium revocare, tot teſtimoniis confirmata. Indubitata ſunt quæ narrantur in ſacro Codice. Magi Pharaonis victi ſunt majori poteſtate, quam Moyſes à Deo acceperat: miracula tamen edebant, ſigna poteſtatis pluſquàm humanæ. Videre eſt toto eo tempore quod à condito mundo elapſum eſt, uſque ad paſſionem Chriſti, quo tempore princeps mundi ejectus eſt foras, artes magicas exercitas. Nihil tam conſuetum erat quàm cantationibus eliçere ſerpentes è cavernis, mulcere illos, & venenum eorum extinguere. Has artes non prohibuiſſet Deus, ſi nullæ fuiſſent (*Deut. cap.* 18. *v.* 11.) *Nec ſit maleficus, nec incantator, nec qui Pythones conſulat, nec divinos, aut quærat à mortuis veritatem.*

Vaticinii veritas certum eſt divinitatis argumentum. Intererat ergo dæmonis, quam de ſe opinionem animis Gentium indiderat confirmare, edendo oracula de venturis temporibus. Habuit ſuos Prophetas, qui-

bus

bus & conceſſa quæpiam rerum futurarum cognitio. Ne cui id mirum videatur, animadvertendum eſt quemcumque malum Angelum non aliam habere poteſtatem in homine, quàm quæ carnifici concedi ſolet ab æquo & potenti judice, qui reos damnat ſupplicio. Deo peccati vindici ſervit diabolus, cùm homines in peccatum impellit. Deus ipſa ejus malitia & arte utebatur, permittens ut contingerent quæ prædicta fuerant à ſuis Prophetis. Ita voluit Deus ut Balaam falſus propheta, quatenus falſorum Numinum cultor, verè tamen nunciaret foreut ſtella oriretur ex Jacob; hoc enim vaticinio vulgabatur etiam inter idololatras gentes, foreut aliquando promiſſus Chriſtus oriretur in terris: Profuere, inquam, ſuis temporibus Balaami vaticinia; ex iis enim factum eſt ut Magi Orientis adverterint Chriſtum natum, & in Judæam venerint eum adoraturi, excitati nova ſtella, qua ortum ejus ſignificari intelligebant ex his vaticiniis.

Angeli, quicumque ſint, multa ingenii acie & ſagacitate præditi ſunt, quippe qui incorporei. Cùm ergo plura aſſequi potuerint conjecturis, non mirum eſt ſi inter plurima quæ prænuntiabant, quædam exitum haberent, Deo permittente; errorem enim errore punit; ut qui errant, magis magiſque erroribus implicentur; aut ſaltem fructum non percipiant ex ſua ſcientia. Quid enim profuit Sauli à Samuele, quem excitaverat mulier ſaga, reſciſcere proximam ſuam cladem? (1. *Reg. c.* 28. *v.* 7.) Dicitur illa habuiſſe Pythonem; unde & Pythoniſſa appellatur. Hebraicè autem *Pytho* dicitur *ob*, in plurali *oboth*, id eſt, *utres*. Dabatur nomen illud Magis, quòd ventres eorum inſtar utris intumeſcerent, cùm reddebant oracula, nempe reſpondebant his qui eos de futuris percontabantur; & ideò ab interpretibus Græcis, & à Joſepho illi appellantur *ἐγγαστριμύθοι* id eſt, *ex ventre loquentes*: voces eorum videbantur quaſi è terra exire. Hodie etiam reperire eſt qui

eſt qui ea arte valeant, ut intra intimas gutturis partes obſcurum ſermonem efforment, quem qui proximi aſtant, ad ſuas aures è longinquo loco vel è profundo ſpecu pervenire jurarent. Eum fuiſſe morem Pythonum indicat ille Iſaiæ (*cap.* 29. *v.* 4.) locus. *Humiliaberis, de terra loqueris, & de humo audietur eloquium tuum: & erit quaſi Pythonis de terra vox tua: & de humo eloquium tuum muſſitabit.*

Circa artem dictæ mulieris, quæ Pythonem habebat, diverſæ ſunt ſententiæ. Alii putant reipſa permiſſu Dei excitatum à mortuis Samuelem. An verò Deus animam Prophetæ ſubjeciſſet artibus mulieris iſtius? Potuit illa auxilio malorum angelorum illudere Sauli, & ſpeciem inanem Samuelis ponere ante oculos ejus, dum illa ſubtili voce ex ventre loqueretur, ut diximus, quippe ἐγγαστρίμυθος ſive *ventriloqua*. Hanc autem vocem putabat Saul ab inani Samuelis imagine proferri. Præterea illa dæmonum oracula ſemper ambigua ſunt, & accommodata cuilibet eventui futuro. Ea omnia quæ umbratilis Samuel prædixit Sauli, à quocumque viro ſagacis, & cui res hujus principis notæ, poterant annuntiari. Mulier ſaga noverat Saulem Deo eſſe exoſum, loco ejus Davidem ſuffectum à Samuele. Philiſthæos, quibuſcum bellum gerebat, potentiſſimos eſſe. Imago ergo Samuelis, ſive mulier ventriloqua denuntiabat illi cladem, quam videbat imminere. Præterea utebatur verbis ambiguis, dicens: *cras morieris*; craſtinum enim tempus non unius diei ſpatio coercetur. Maimonides quærens cur Rachel furata ſit idola Labanis patris ſui, cùm aufugit cum ſuo conjuge, reſpondet id feciſſe, ne illa idola patri ſuo proderent quam occultabat fugam, ſi fortè, ut ſolebat, ea conſuleret. Divinationibus & auguriis valdè addicti erant Orientales.

Quæcumque fuerit iſta origo idololatriæ & falſorum numinum, diſcimus ex ſacris Scripturis non multo tem-

to tempore poſt mundum conditum, hoc eſt, ſtatim poſt lapſum primi parentis, oblivionem Dei cepiſſe homines; & hac re patuit quantùm lapſus ille noxius fuerit. Cùm homo, ut dictum eſt, Deo carere non poſſit, ubi à vero defecit, illicò ad falſos deos declinavit. Quæritur quo tempore id fieri præcisè inceperit, locus eſt in Geneſi (*Cap.* 4. *v.* 26.) quem ſic reddidit vulgatus interpres. *Seth natus eſt filius; quem vocavit Enos; iſte cæpit invocare nomen Domini.* Ille interpres cenſuit, cùm cæteri homines defeciſſent à Deo, tunc Enos reſtauraſſe cultum ejus, quem illi palam & in piorum cœtu exhibuerit, inſtituens certas precandi formulas. Quidam addunt nomen magnum Dei Jehova, quod in eo loco Scripturæ reperitur in ipſo fonte Hebræo, ab Enos fuiſſe primitùs pronuntiatum. Judæi verò ferè omnes in contrariam ſententiam rapiunt hunc-ce locum. Verbum Hebræum *huchal* utrumque ſonat, & *prophanatum eſt*, & *cæptum eſt*. In hac poſtrema ſignificatione B. Hieronymus accepit; in prima verò complures alii cum Judæis, qui de Enos malè ſentiunt, & ſic vertunt. *Tunc prophanatum eſt in invocando nomen Jehova.* Sic hunc locum Maimonides (*Tract. de idolol. cap.* 1. *n.* 1.) interpretatur. *In diebus Enos*, inquit, *errarunt homines errorem magnum, & obmutuit conſilium ſapientum generationis illius.* Imò ipſe etiam *Enos inter errantes fuit. Hic autem fuit error eorum, ut dicerent, ecce creavit Deus ſtellas iſtas & ſphæras; ut gubernarent mundum. Cùm verò hæc opinio ipſorum corda invaſit, inceperunt ædificare ſtellis Templa, illiſque offerre ſacrificia.* Ita Maimonides primam idololatriæ originem refert ad tempus Enos. Similiter paraphraſtes Chaldæus Onkelos verbum dictum *Huchal* interpretatur in ſignificatione oppoſita vulgatæ Verſioni. *Tunc* inquit, *in diebus ejus ſuperſederunt filii hominum ab invocando nomen Jehova.* Conſtat diu ante diluvium

cœptam

cœptam à Deo defectionem; neque enim totum genus humanum, unica excepta familia Noe, aquis diluvii Deus obruiſſet, ſi tanto ſupplicio peccatum ejus non eſſet ultus.

Quid autem ſit illud nomen Domini, quod in fonte Hebræo appellatur *Jehova*, non erit extra operam quærere; tum & differere de Dei nominibus, antequam enumeremus nomina idolorum. Deum quandoque Hebræi appellant *nomen*, ſcilicet cùm ſine addito pronuntiant *nomen*, intelligunt illud quod Dei eſt ſanctum & ineffabile. In Levitico cap. XXIV. v. 11. filius mulieris Iſraelitidis miſſus eſt in carcerem, eò quòd, ut loquitur Vulgatus, *blaſphemaſſet nomen & maledixiſſet ei*: in fonte eſt *ichob*, à verbo *Nachob*, quod idem ſonat ac *maledicere*, ſed *& expreſſè nominare*. Unde LXX. interpretes vertunt: *καὶ ἐπονομάσας ὁ υἱὸς τῆς γυναικὸς τῆς Ἰσραηλίτιδος τὸ ὄνομα κατηράσατο. Et nominans filius mulieris Iſraelitidis nomen maledixit*. Ita ob prolationem nominis Dei videretur reus factus. Poſtea abſtinuere Iſraelitæ prolatione nominis divini, quod non efferebatur niſi in Templo à Sacerdote, dum ſolemni benedictione benediceret populo: antea enim non vetita iſta prolatio videtur; ſi quidem ad Moyſem reus adductus eſt, & miſſus in carcerem, donec noſſent quid juberet Dominus.

Decem nomina Dei numerat B. Hieronymus in Epiſtola ſua ad Marcellam. Primum & maximum eſt *Jehova*, dictum *tetragrammatum*, quòd ſcribatur quatuor his-ce litteris Hebraicis *jod*, *he*, *vau*, *he*, ut ſupra dictum eſt. Conjunctarum ſonus ille vulgò *Jehova* effertur; Sed de vera ejus pronuntiatione non convenit inter viros doctos. Non auditum eſt nomen *Jehova* ante Petrum Galatinum, qui vivebat initio ſuperioris ſæculi circa annum 1520. Sanctus Hieronymus magnum Dei nomen non effert, ſed tantùm dicit eſſe nomen quatuor litterarum. Ex illo Apocalypſis

pſis (*cap.* 9. *v.* 12.) loco *habens nomen ſcriptum, quod nemo novit niſi ipſe*, liquet Deum habuiſſe nomen ignotum. Quin ipſe Deus in Exodo (*cap.* 6. *v.* 3.) dicit Moyſi nomen ſuum *Jehova* antea non indicaſſe Patriarchis. Quapropter vel ex lege aliqua Dei, vel ex religioſo timore, ne ex quotidiano uſu viliſceret, & nimis leviter & prophanè uſurparetur, Judæi abſtinebant dicti nominis prolatione, extra uſum ſacrum & neceſſarium. Quare, urbe & templo vaſtatis, totoque cultu Moſaico abolito, pronunciatio ſancti nominis periit, ſimul & notitia deleta eſt. Acceſſit poſtea religioni ſuperſtitio: nominis enim dicti conſonantes extra Biblicum contextum non ſcribunt Judæi; ſed alias ſubſtituunt, veluti duo jod יי. Non illud delent nec frangunt, ſi vaſi vel alii inſtrumento ſit inſculptum, & penè adorant. Satagunt illud irregulariter ſcribere, & corrumpere ejus ſcripturam, ne ſi liber fœdè & ignominioſè tractetur, prophanatio ſancti nominis fiat. Jam iſta religio inceſſerat animos Judæorum, cum LXX. interpretes Biblia verterunt: vidimus enim, quoties occurrebat, ſubjeciſſe conſonantibus ejus puncta vocalia nominis *Adonai*, quod idem ſonat Hebræis ac Κύριος Græcis, Latinis *Dominus*. Hos interpretes Latinus ſequitur, nomen Latinum *Dominus* uſurpans, dum agitur de nomine ineffabili: cujus cùm pronuntiatio rarior eſſet, factum eſt ut diverſimodè expreſſum reperiatur in antiquis monumentis, modò *jao*, modò *jave*, modò *jobe*. Samaritani illud pronuntiant *Jahue*, vel *Jeheve*, vel *Jehave*: Græci, *Jao*: Latini, *Jova*; unde derivatur nomen *Jovis*: nam magno Dei nomine dæmones etiam appellari ambiebant. Illud autem nomen ideò reputatum ſanctiſſimum, quia Deo proprium: nam Grammatici Hebræi obſervant tria tempora verbi ſubſtantivi *ſum* in eo contineri, præteritum, præſens & futurum, *ſum, fui, ero*. Soli autem Deo hæc tria con-

conveniunt, ut ab æterno in æternum exiſtat, & ſimul omnia in ſe tempora comprehendat. Appellatur in Apocalypſi (*Cap.* 1. *v.* 4.) *qui eſt*, *& qui erat*, *& qui venturus eſt*. Ibi autem ἐρχόμενος *venturus* pro ἐσόμενος *futurus*.

Secundum Dei nomen eſt *El*, id eſt, *fortitudo*. In compoſitione frequens eſt hujus nominis divini uſus; ut in illis nominibus *Eleazar*, *Eliachim*, *Eliſabeth*, *Michael*, *Gabriel*, *Raphael*.

Tertium nomen eſt *Elohim*, quod videtur derivatum ab *El*. Nomen illud communicatum eſt Judicibus & Angelis, quatenus illi vices Dei agunt, judicant, abſolvunt & damnant, proſunt & puniunt. Quartum *Elohe* nomen ſolo numero differt ab *Elohim*, quod eſt in numero plurali. Quintum *Tzabaoth* propriè denotat *aciem ordinatam*: Ita Deus *Tzabbaoth*, ſive Deus virtutum δυνάμεων, hoc eſt, *exercituum* nominatur, ut indicetur potentior potentiſſimis illis regibus quibus magni exercitus parent. Sextum *Elion*, id eſt, *excelſus*, *ſupremus*. Septimum *Eheie Aſcher Eheie*, id eſt, *ero qui ero*, vel *ſum qui ſum*, ut Græci interpretati ſunt. Proprium eſt Dei *eſſe*. Octavum nomen eſt *Adonai*, quod idem ſonat ac *Dominus*. Vidimus hujus nominis puncta vocalia fuiſſe ſubjecta magno nomini Dei tetragrammato; undè in Græca verſione, ubi occurrit, legitur Κύριος, & in Latina *Dominus*.

Nonum nomen eſt *jah*, quod videtur factum ex *Jehova*. Decimum *Saddai*, id eſt, ſufficiens ſibi, quod ſoli divinæ majeſtati proprium eſt, ut ipſa ſuis pollens opibus, nihil indiga noſtri ſit. Inter nomina Dei Judæi numerant *Hamacum*, hoc eſt, locus, quia Deus ipſe ſibi locus eſt, in omni loco eſt, & nullo continetur. *Macum* ſignificat locum; ſed præponitur *he* pronomen demonſtrativum, *hamacum*, quod addit emphaſim.

Cùm in Scriptura de falſis nominibus ſermo fit, nempè de Dæmonibus qui habentur aut haberi volunt pro Deo, quandoque appellantur *Eloin*, quod unum eſt ex decem veri Dei nominibus; ſæpiùs verò nominibus contumelioſis, quæ illis magis conveniunt. Scriptura appellat idola, id eſt, imagines ex ære conflatas vel ſculptas. Quid enim aliud erant Dii Gentium, puta vitulus ille aureus, cui ut Deo populus ſacrificia obtulit, quàm aurum fuſum? Ab effectis autem idola appellantur *moleſtiæ*, *dolor*, *infirmitas*, *horror*, *pudor*. Sic *multiplicatæ ſunt infirmitates eorum* (*Pſal.* 15. *v.* 4.) pro multiplicati eorum Dii, multiplicata idola. Propria eorum nomina Judæi refugiebant ſuo ore pronuntiare. Ibidem Pſaltes canit: *Nec memor ero nominum eorum per labia mea.* Ideò alienis utebantur nominibus: vocabant *Elil*, id id eſt, nihil. Quod facit Paulus (1. *Cor. cap.* 8. *v.* 4.) *ſcimus quia nihil eſt idolum in mundo*, id eſt, quòd omnia idola ſint verum *nihil*.

Judæi tres ſpecies idololatriæ numerant. Prima qua coluntur Angeli, cultu qui ſoli Deo debetur. Secunda qua quis univerſæ militiæ cœli ſe incurvat, id eſt, colit ſolem, lunam, aut aliud aliquod ſidus cœleſte. Tertia qua coluntur diaboli. Abarbanel plures alias ſpecies numerat, qualis eſt cultus figurarum & imaginum, quæ nunc *Taliſman* vocantur, certis horis conflari ſolitæ, undè virtutem accipiunt. Credebant has figuras poſſe tum indicare futura, tum multiplicare fructus terræ. Tales figuræ in ſacro Codice dicuntur Theraphin, ex quibus, ut putabatur, prodibant ſigna rerum futurarum; & penes quos erant, vel in viſione, vel in ſomnio docebantur quæ averent ſcire. Talia *Theraphin* habebat Laban, quæ Rachel filia ejus furata eſt, & ſecum abſtulit. Ideo querebatur de Jacob: *quare furatus es Deos meos?* Infrà rurùm agam de illis *Theraphin*.

Inter

Inter ſpecies idololatriæ accenſetur divinatio. Erant qui mortuos aut oſſa eorum colerent, & quærerent ab eis futura. Qui tali modo futura inquirebat, vocabatur *Ijedoni*; id eſt, *ſciens*; *ariolus*; quandoque *ob:* Nomen illud Hebræum propriè ſignificat *utrem*; Interpretes reddunt Pythonem. Apollo falſum numen Græcorum vocabatur *Pythius*; indè mulieres, quarum ore Apollo, id eſt, dæmon hoc nomine cultus, edebat oracula ſua, vocabantur *pythoniſſæ*; & ἐγγαστριμύθοι *ventrilóquæ*, quia, ut diximus, à ventre illarum & immundis partibus, nonnumquam ex axillis loquebantur ſubmiſſa voce, quæ videbatur egredi ex telluris cavitatibus, vel à longinquo loco advenire. Quidquid ſit, Pytho idem ſonat ac *Ariolus*. Lucas ſcribit in Actis (*Cap.* 16. *v.* 16.) puellam Pythonis malo ſpiritu, quo obſidebatur, liberatam fuiſſe ope B. Pauli. Undè liquet reipſa tales extitiſſe *Pythoniſſas*, id eſt, mulieres ſagas, quas malus dæmon implebat, patefaciens illis ventura, quæ ſcilicet ſuæ cognitioni ſubjacerent, quæ multa eſt; nam ideò dictus à Græcis, *Dæmon*, id eſt *ſciens*. Soli Deo patent futura, quæ cauſas liberas habent: ut autem deciperet ſuos cultores Dæmon, ſive ut arte occultaret quod deerat ſcientiæ ejus, Pythones ejus reſponſa ambigua edebant. Pythonica deſcribit his verbis Maimonides (*Cap.* 6. *num.* 1. *de Idol.*) *Cujuſmodi eſt illud opus Pythonis*, inquit? *Ille offert certum ſuffitus genus, & manu ſua vibrat virgam myſticam, ac recepta quædam incantationis verba profert. Mox conſulit alium, quaſi loquentem ſecum, & interrogatis reſpondentem è terra, voce ſubmiſſa admodum, quam auribus percipere non valeat, ſed cogitatione tantùm aſſequatur. Similiter eſt, qui cranio mortui arrepto, illud ſuffitu imbuat & incantet, donec præeuntem audiat vocem admodum ſubmiſſam quæ exeat ex illis, & reſpondeatur ei. Hujuſmodi omnia ſunt Pythonica.*

Hæc Maimonides. Videre eſt his operibus multas fraudes ſubeſſe potuiſſe, quibus ſibi conciliabant fidem Pythones, etiam apud Judæos; quod illis exprobrat Iſaias (*Cap.* 8. *v.* 19.) *& cùm dixerint ad vos, quærite à Pythonibus & à divinis, qui ſtrident in incantationibus ſuis*. Juxta aliam verſionem *qui pipiunt & muſſitant*, quod faciunt ventriloqui. *Numquid non populus à Deo ſuo requiret pro vivis à mortuis*? Pro vivis mortuos conſulat. Vidimus Saulem à mortuo Samuele quæſiviſſe, quæ eſſet ſors belli, quod gerebat adversùs Philiſthæos.

Species etiam idololatriæ erat *Nahas*, id eſt, *conjectatio*, *augurium*. Erant qui ex rebus quæ per accidens eveniunt, de futuris judicabant. De illa ſpecie loquitur Ezechiel (*Cap.* 21. *verſ.* 21.) *Stetit enim Rex Babylonis in bivio, in capite duarum viarum, divinationem*, id eſt, augurium, *quærens*. *Commiſcens ſagittas*, &c. Quæ verba ſic D. Hieronymus ad hunc modum explicat. *Stabit* Rex *in ipſo compito, & ritu Gentis ſuæ oraculum conſulet, & mittet ſagittas in pharetram, & commiſceat eas inſcriptas ſive ſignatas nominibus ſingulorum, ut videat cujus ſagitta exeat, & quam priùs civitatem debeat expugnare*. Scilicet nominibus diverſarum civitatum inſcribebantur ſagittæ; quibus commixtis, quæ exibat prima ſagitta, inſcripta nomine talis civitatis, oſtendebat eam primùm eſſe oppugnandam. Alii pro ſagittis utebantur baculis, ſive virgis; quod divinationis genus appellatur Ῥαβδομαντεία, id eſt, divinatio per virgas, uſitata apud Orientales, ut diſertè de Medis dicitur in fragmentis Dionyſii. Illa auguria inſectatur Oſee (*Cap.* 4. *v.* 12.) *Populus meus in ligno ſuo interrogavit, & baculus ejus annuntiavit ei, ſpiritus enim fornicationum decepit eos, & fornicati ſunt à Deo ſuo*. Cùm eſſet alicui vel iter ſuſcipiendum, vel ducenda uxor, vel quidpiam aliud momenti negotium peragendum,

virgas

virgas certis notis inſcriptas includebant vaſculo. Prout autem has vel illas educebant, indè captabant auguria.

Jam enumerabo diverſa numina; quorum nomen reperitur in ſacro Codice. Initium ſumam ab illis nominibus, quibus præponitur prima littera Alphabeti: ſic ordinem litterarum ſequar. *Aaronis vitulus* idolum fuit, quod, ut jam diximus, Aaron conflavit, ut Iſraelitis rem gratam faceret. Illi memores Ægypti, ut Deum haberent quem oculis corporeis intuerentur, vitulum ſive bovem ſibi conflari voluerunt, juxta numen Ægyptium. Præcipuum idolum Ægyptiorum dicebatur Apis, habens bovis formam. Jeroboam, ad inſtar vituli aurei; duos vitulos conflandos curavit, ut avocaret à Templo Hieroſolymitano Iſraelitas, quos à Regibus Juda abduxerat; ne populus reverteretur Jeruſalem, ut faceret ſacrificia in domo Domini. *Nolite*, inquit (3. *Reg. c.* 12. *v.* 28.) *ultrà aſcendere in Jeruſalem; Ecce Dii tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti; poſuitque unum in Bethel & alterum in Dan.* Nempe unum prope Samariam caput regni, & alterum in extremitate regni.

Adad ex Macrobio eſt nomen *ſolis*, quod illi dabatur, quia verè eſt unus in mundo. *Chad* ſive *Ad*, quod derivatur ab *achad* vel *aad*, idem Hebræis eſt ac unus. De Deo *Adad* ſic loquitur Macrobius (*Lib.* 1. *Saturnal. cap.* 18.) *Aſſyrii Deo, quem ſummum maximumque venerantur, ADAD nomen dederunt. Ejus nominis interpretatio ſignificat unus.* Hoc nomen *Ada* ſive *Adad* dabatur cuipiam numini; pluribus autem nominibus inſerebatur, ut in illo *Benadad*, quod fuit proprium cuipiam Regi Syriæ. Sic appellabatur, quaſi dicas *filium Dei Adad*. Nomen illud *Adad* pro Deo non reperitur in Latino noſtro Codice (*Iſa. cap.* 66. *v.* 17.) ſed in fonte Hebræo, pro eo enim quod habet vulgata: *Qui ſanctificabantur, & mundos ſe puta-*

ſant in hortis, poſt januam intrinſecus, fontem ſic reddit Seldenus: *ſanctificantes & luſtrantes ſe, in hortis, poſt unum in medio*. In fonte *achar achad* vel *ahad*, id eſt, poſt *ahad*. Ex præpoſitione locali *acher*, quæ ſonat *poſt*, liquet de loco fieri ſermonem. Igitur *achad* vel *ahad*, id eſt, *unum* ibi accipiendum pro Templo Idoli, quod *unum* ſive *aad* appellabatur: ut ſenſus hujus loci Iſaiæ ſit, luſtrationes factas idolo, quem vocabant *ahad*, poſt Templum ejus, in medio hortorum illi idolo dicatorum.

Adonis. Vide infrà in voce *Thamuz*.

Adramelech. Vide infra in voce *Moloch*.

Anamelech. Vide infra ibidem.

Aſima nomen eſt idoli, quod viri de Emath, ſive Hamathitæ fecerant, ut dicitur. Quale fuerit illud idolum (4. *Reg. cap.* 17. *v.* 30.) etiam peritiores fatentur ſe ignorare. Quidam hircum eſſe volunt, ut Apis bos erat.

Aſmodæus. Non quidem erat Deus ſive idolum, ſed malus dæmon, de quo ſermo eſt apud Tobiam, qui priores conjuges Saræ interfecerat. Nomen illud Hebraicè idem ſonat quod *deſtructor* à verbo *hiſchmid*, id eſt, *deſtruxit, interfecit*.

Aſtaroth vel *Aſtarte* erat idolum Sidoniorum ſicut & Philiſtæorum. Eſt nomen quidem urbis, ſed & idoli. *Aſtaroth* propriè denotat gregem; undè quidam colligunt hoc idolum habuiſse formam ovis; quod ſcilicet ſub ovis ſpecie colebatur. Conſtat Deam *Aſtartem* non ignotam fuiſse Græcis, qui dicunt numen fuiſse Sidoniorum, nec aliud quàm lunam. Lucianus & alii id teſtantur. Cicero dicit eſse Venerem. Luna appellatur Venus; quæ Venus & nominatur in Græcorum ſcriptis *Urania*, id eſt, cœleſtis. Niſi nomen illud accerſatur ab Hebræo *Ur*, id eſt, lux. Jeremias (*Cap.* 7. *verſ.* 18.) exprobrat Judæis quod facerent placentas *Melecheth Haſamain*, id eſt,

id eſt, Reginæ cœli. Quæ regina non alia judicio Gentilium quàm luna. Idolum Aſtaroth non in uno loco Scripturæ nominatur.

Baal nomen illud idem ſonat Hebræis quod ***Dominus***. Lubentiùs nomen illud Hebræi tribuebant falſis numinibus, quibus Gentiles Syri ſerviebant: undè nomen illud averſabantur, licèt conveniret ipſi Deo, qui verè cœli Dominus eſt; ſed alio ejuſdem ſignificationis nomine appellabant, nempe ***Adonai***. Nomen ergo ***Baal*** commune eſt omnibus diis Gentium; ſed diſtinctionis gratia, (plures enim numero dii illi erant) ſubjungebatur aliud nomen, ut ***Baalphegor***, ***Beelzebuth*** : ex ***Baal*** enim Hebræorum factum eſt ***Beel***, & contractè ***Bel***; undè ***Belus***, quo nomine antiqui Aſſyrii ***ſolem*** deſignabant, quem & ***Beelſamen*** nominabant, id eſt, ***Dominum cœli***. Sed & ***Belus*** nomen eſt vetuſtiſſimi Babyloniorum Regis, qui idem eſt ac Nemrod Babylonis conditor; quem venerati ſunt Babylonii, & pro Deo habuerunt, ut mos erat Deos putare primos reges. Nomen ***Baal*** etiam ſignificat ***maritum***, ***conjugem*** in Hebræa lingua. Deus ſibi conjugio ſociaverat congregationem Iſraelis, ut quoties illa declinaret à Deo ad ***Baalim***, id eſt, ad falſa numina, meritò cenſeretur fornicaria. Ad id alludens & ad vocem ambiguam ***Baal***, quæ idem ſonat ac nomina illa, ***idolum*** & ***maritus***, ſic Deus loquitur apud Oſee (***Cap. 2. verſ. 16.***) Prophetam, promittens quod revocaturus eſſet Eccleſiam Iſraeliticam, quam priùs repudiaverat. ***Et erit in die illa, ait Dominus, vocabit me vir meus, & non vocabit me ultra Baali***. Vocabis me ***aiſchi***, id eſt, ***vir meus*** & non ***Baali***, id eſt, ***maritus meus***. Hoc nomine infauſto ***Baal*** non ampliùs uteris, me compellans maritum. ***Et auferam nomina Baalim de ore ejus, & non recordabitur ultra nominis eorum***. Adeò

 men-

mentem averſam geret à falſis numinibus, ut omnino abſtineat nominibus eorum.

Baalberith Deus erat Sichemitarum, quos legimus in Judicibus (*cap.* 9.) Abimelech dediſſe *ſeptuaginta pondo argenti de fano Baalberith*. Nomen *berith* Hebræis ſonat idem quod *fœdus* Latinis, ut *baalberith* ſit *Deus ſœderatus*. De illo dicitur in iiſdem judicibus (*cap.* 8.) *Poſtquam autem mortuus* eſt *Gedeon, averſi ſunt filii Iſrael, & fornicati ſunt cum Baalim. Percuſſeruntque cum Baal fœdus, ut eſſet eis in Deum.*

Baal peor. Vide infra *peor* vel *phegor*.

Baal Zebub, Vide infra *Zebub*.

Baal Zephon. Vide infra *Zephon*.

Caſtores. Caſtor & Pollux duo filii Jovis dicebantur, Græcè appellati *διοσκοῦροι dioſcori*, de quorum nomine menſis apud Græcos cognominatus erat, qui allegatur in libro ſecundo Macchabæorum (*cap.* 11. *v.* 21.) Navigaturus Paulus (*Act. cap.* 28.) ex inſula Melite in Siciliam conſcenderat navim, cui erat *inſigne Caſtorum παρασήμῳ Διοσκούροις*: ſcilicet puppi appoſita erat figura Dioſcorum, id eſt, *Caſtoris & Pollucis*, quæ erant duo numina Gentilium.

Chamanim. Idolum erat vel ſolis vel ignis, ut ipſa nominis origo indicat. *Chama* Hebræis calor eſt vel ſol. *Chamanim* aliis videntur ſtatuæ ſubdiales, quaſi *ſolares*, vel ſoli expoſitæ. Alii dicunt idola illa poſita ſuper ædium tecta; & quia ſoli exponerentur, ideò *Chamanim* dicta. De arabibus ſic Strabo loquitur in libro decimo ſexto. *Solem colunt, ara ſuper domum excitata, & quotidie in ea libant, ac thus adolent.* Alii volunt Chamanim fuiſſe ædes vel ſacella ad cultum ſolis parata. Nomen autem illud à vulgato Interprete (*Levit. cap.* 26. *v.* 30. *Iſai. cap.* 27. *v.* 9.) redditur. *Simulacra ſolis*; ſæpiùs tantummodò *ſimulachra.* Conſtat ſolem cultum à Judæis idololatris, quem cul-

tum

tum Joſias (4. *Reg. c.* 23. *v.* 11.) ſuſtulit. *Abſtulit quoque equos quos dederant Reges Juda ſoli. Currus autem ſolis combuſſit igni.* Jupiter qui dicebatur *Ammon*, ut quidam volunt, accipiebat nomen ſuum à nomine Hebræo *chama*, quod & pronuntiatur *Ama*, id eſt, calor. Volunt ſub hoc nomine adoratum ſolem.

Chamos erat Deus Moabitarum. Deducunt Chamos à particula *Caph*, quæ apud Hebræos indicat ſimilitudinem; & à verbo quod ſonat *contrectavit*, *palpavit*. Quaſi Deus ille *Chamos* dictus ſit, quia verè cæcus; oculos enim habens non videbat. *Chamos* exponitur, inquit, Philo, *quaſi palpatio*, quod proprium eſt non videntis.

Chium vel *cium* nomen videtur idoli Ægyptiorum. Legitur in Propheta Amos (*cap.* 5. *v.* 26.) quem locum ſic exprimit vulgatus Interpres: *& portaſtis tabernaculum Moloch veſtro, & imaginem*, (in fonte Hebræo ibi vox *chium* occurrit, quæ redditur imago) *idolorum veſtrorum, ſidus Dei veſtri, quæ feciſtis vobis*. Græci interpretes habent *& ſtellam Dei veſtri Raiphan*; quos ſanctus Stephanus videtur ſequi in Actis allegans hunc locum Amos (*cap.* 7. *v.* 43.) *Et ſuſcepiſtis Tabernaculum Moloch, & ſidus Dei veſtri Rempham, figuras quas feciſtis, adorare eas*. Multùm vexatus eſt locus iſte ab interpretibus. Ut paucis rem abſolvam, credo vocem *chium* non eſſe accipiendam pro idolo, ſed in ſua ſignificatione, nempe pro *baſi*. Nam vox Hebræa eſt talis ſignificationis. Certum eſt Gentilibus fuiſſe templa portatilia, *thenſas*, id eſt, lecticas, ſive ſacra vehicula, in quibus portabant idola ſua, & circumferebant. Igitur propheta exprobrat Iſraelitis quod honorem exhibuiſſent *Moloch*; quo nomine deſignabatur *ſol* & *luna*, ſive quodlibet aliud ſidus: etenim, ut liquet Stephano interprete, eo in loco Propheta ſignificat ab Iſraelitis adoratam omnem cœli militiam, id eſt, omnes ſtel-

las.

las. Quaſi dicat: portaſtis tabernacula idoli *Moloch*, & *chium* idolorum veſtrorum, id eſt, baſim ſive vehiculum idolorum veſtrorum, qualiacumque fuerunt. Ad pompam ſimilem paratos equos & currus habebant; quos pius rex Joſias ſuſtulit, ut dicitur in 4. Reg. cap. 23. *Abſtulit quoque equos, quos dederant Reges Juda ſoli, in introitu Templi Domini, juxta exhedram Nathamelech eunuchi, qui erat in pharurim. Currus autem ſolis combuſſit igni.* Septuaginta autem interpretes, qui in Ægypto ſcribebant, *Rempham*, ſive *Raiphan* nomen alicujus idoli Ægyptii poſuerunt. Plerique volunt *chium* denotare lingua Ægyptia *Saturni ſidus*. Viris doctis *moloch* idem erat Phœnicibus, quod Græcis *Saturnus*.

Dagon idolum erat Philiſtæorum. Nomen illud derivari poteſt à *dagan* frumentum, vel à *dag* piſcis. Rabbini aiunt Dagonem à parte inferiori uſque ad umbilicum repræſentaſſe piſcem, ab umbilico unà cum parte ſuperiori hominem; ita ſemipiſcis erat. Syros pro Diis piſces habuiſſe teſtatur Cicero. Potuere Syri, qui ex commercio maris opes multas colligebant, ſub illa forma, ſive ſub hoc ſymbolo *mare* tanquam numen coluiſſe. Cùm in templo Dagon Philiſtæi Arcam Dei quam ceperant repoſuiſſent, manè ſemel & iterum invenerunt ejus idolum corruiſſe, & caput ejus præciſum cum duabus manuum palmis ſupra limen Templi (1. *Reg. cap.* 5. *cap.* 19. *v.* 28.)

Diana, quæ pro luna habetur, mentio fit in Actis quæ magnificum templum habuit Epheſi; quod fabri argento exprimebant: undè illis plurimus quæſtus.

Gad idolum Syrorum. Nomine *Gad* Hebræi intelligunt fortunam bonam, juxta quod vulgatus Interpres ſic ait in Geneſi (*cap.* 30. *v.* 9.) *Sentiens Lia quod parere deſiiſſet, Zelpham ancillam ſuam marito tradidit. Qua poſt conceptum edente filium, dixit: feliciter, & idcirco vocavit nomen ejus Gad.* Vocem

cem iſtam *Gad* quoddam ſidus etiam notare aiunt.

Hanamelech idem quod *Anamelech*.

Hercules poteſt numerari inter idola, quæ à pravis Judæis in honore habita ſunt. Hercules potiſſimùm colebatur à Tyriis, qui erant in Judæorum vicinia. Aſciverant autem Judæi omnem pravam vicinarum gentium idololatriam. *Miſit Jaſon facinoroſus ab Jeroſolymis viros peccatores, portantes argenti didrachmas trecentas in ſacrificium Herculis*, dicit author ſecundi Macchabæorum cap. 4.

Melech, *Moloch*, deus erat Ammonitarum. In fonte dicitur quandoque *Milcom*, alicubi *Malcum*, ſæpiùs *Melech*. Multi nomen illud Hebraicæ originis eſſe volunt, & propterea derivant ab *Halach* ambulavit, vel à *Malach* regnavit. Notum ex Scriptura templum *Moloch* fuiſſe in vicinia Jeruſalem in valle filiorum Hennon, Scriptura interdicit Iſraelitis ne de ſemine ſuo darent huic *Moloch*; id eſt, ne illi offerrent filios ſuos, & ne conſecrarent per ignem, ſive, ut habet fons Hebræus (4. *Reg. cap.* 23. *v.* 10.) ne traducerent eos per ignem Moloch. Quæritur utrum infantes in idolo *Moloch* fuerint combuſti, an verò per ignem traducti & purgati. Volunt Judæi non mactatos aut combuſtos, ſed duabus pyris extructis per illarum medium infantes traductos ſolùm, & ad eum modum fuiſſe purgatos. Verùm aliam ſententiam ingerunt verba Pſaltis (*Pſal.* 105. *v.* 37. & 38.) *Et immolaverunt filios ſuos & filias ſuas Dæmoniis, & effuderunt ſanguinem innocentem, ſanguinem filiorum ſuorum & filiarum ſuarum, quas ſacrificaverunt ſculptilibus Chanaan*. Ergo verior ſententia eſt illos infantes tandiu uſtulatos donec expirarent. Non abſimilis erat ille cruciatus huic de quo Diodorus Siculus apud Euſebium in Præparatione Evangelica libro quarto narrat juvenes immolatos Saturno, cujus, inquit, ſimulachrum æreum erat ſupinis ac pendentibus in terram manibus ut impoſi-

tus

tus ipſis adoleſcens ſubjectam in foveam igneque plenam volveretur & rueret. Id adſtruunt Judæi de Moloch. *Quomodo Moloch*, inquiunt, *factus erat? Erat ſtatua ænea, habens faciem vituli, & manus expanſas, inſtar viri palmas aperientis, ad aliquid ab alio accipiendum: ignem in eam ſubijciebant; excavata enim erat*. Hæc Rabbi Jalkut in Jeremiam. His fidem adſtruunt quæ faciebant cultores Baal; qui proprio ſuo ſanguine litabant, ut legimus tertio Regum cap. 18. 28. *Qui incidebant ſe juxta ritum ſuum cultris & lanceolis, donec perfunderentur ſanguine.*

In valle Hinnon erat locus excelſus, Topheth dictus, in quo hæc crudelia ſacrificia fiebant. Nomen vallis illius ducunt à *Toph* tympanum *tuphin* tympana, quia ſacrificuli, ne lamenta illa & graviſſimi ejulatus filiorum à parentibus exaudirentur, tympana pulſabant. Ab horrendis autem illis cruciatibus & igne perpetuo, poſtmodum locus impiorum, in quo pœnas æternas ſuſtinebunt, vocatus eſt *gehenna* Hebraicè *ge-ben hennon*, id eſt, vallis filiorum Hinnon. Vocem *Hinum*, derivant à *nahem*, id eſt, *gemuit* aut *rugiit*. Pius rex Joſias contaminavit illud tophet, quod erat in valle filiorum Hinnon, ne quis ampliùs traduceret filium ſuum aut filiam ſuam per ignem. Divus Hieronymus commentans Hieremiam ad caput VII. dicit tophet locum fuiſſe amœnum & nemoroſum, hodieque, inquit, præbet hortorum delicias. Addit hoc-ce nomen lingua Hebræa interpretari *latitudinem*. Non ergo tympana noſtra ab hoc-ce loco *topheth* ducta. Primi Arabes qui invaſerunt Hiſpanias, invexere tympana, qualibus nunc utimur. Ergo antiquitùs ignota, inquit Scaliger.

Veriſimile eſt nomen *Moloch* fuiſſe commune pluribus numinibus. Uti igitur *Baal*, id eſt, *Dominus*, ita & *Melech* ſeu *Molech* ſeu *Moloch*, id eſt, *rex*, nomen erat commune multis idolis. Gentes, inquam,

diver-

diverſæ ſuum numen dicebant *Moloch*; ad diſtinctionem autem addebant prænomina, ut *Adramelech* vox compoſita ex *Adir*, id eſt, magnificus, & *Melech*, & *Amamelech* ſive *Anamelech* quod nomen ſignificat opulentum regem. Arabibus *Gani* ſive *Ani* ſonat divitem, ut Voſſius obſervat; Adramelech autem & Hanamelech nominantur inter idola Aſſyriorum.

Mercurius. Neminem fugit Mercurium unum eſſe ex diis Gentilium, qui fingitur Jovis nuntius, interpres, & viarum præſes; cujus numen ſuccenſeret his, qui errantibus viam non comiter monſtrarent. In Actis Apoſtolorum Gentiles *vocabant Barnabam Jovem, Paulum verò Mercurium, quoniam ipſe erat dux verbi*. Idem *Mercurii* nomen legitur in Proverbiis (*cap.* 26. *v.* 8.) *Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii*; *ita qui tribuit inſipienti honorem*. Hebraica veritas habet *in Margemach*; ex qua voce potuit formari *Mercurius*. Quid ſit acervus *Mercurii* breviter enarrandum; à ſacro enim ritu res orta erat, ad quam interpres vulgatus intendit. Erant apud priſcos lapidum acervi Mercuriales in viis publicis & compitis, ad itinera demonſtranda congeſti, quos tranſeuntes viatores crebro lapidum jactu in Mercurii honorem augebant. Talem jactum lapidis in hos acervos Mercuriales Maimonides (*De Idol. cap.* 3. *n.* 2.) numerat inter ſpecies idololatriæ. Vidimus ſaxa grandia fuiſſe ſacra Gentilibus; acervis ergo illis qui primùm congeſti erant in gratiam viatorum, indidit malus Angelus falſam religionem; ut illi poſtea non potuerint augeri, ſine idololatriæ crimine. Significat autem Salomon loco allegato Proverbiorum, eum qui ſtultum honeſtaverit, tantumdem facere, perindè ac ſi acervum Mercurialem lapidis jactu augeret; neuter ſibi beneficia conferri agnoſcit.

Merodach, nomen quidem eſt Regis Babyloniorum; ſed & idoli apud Jeremiam cap. 50. v. 2. *capta eſt Babylon*,

bylon, confuſus eſt Bel, victus eſt Merodach. In fonte: fractus eſt Merodach: *confuſa ſunt ſculptilia ejus; ſuperata ſunt idola eorum.* In fonte: pudefacti ſunt dolores ejus, fracta ſunt ſtercora ejus, id eſt; idola, ſive ſimulachra. Nomina eſſe idolorum paraphraſtes Chaldæus docet. Significatur autem à Jeremia confuſos fuiſſe cultores Beli & Merodach. Neque enim cùm Babylon capta eſt, Belus aut Merodach regnabant. Nomina ergo illa; priùs quidem Regum fuere, ſed poſtea diis data; cùm ſcilicet reges illi in album Deorum adſcripti ſunt.

Nabo ſive *Navo* nomen erat loci & idoli. *Confractus eſt Bel, contritus eſt Nabo: facta ſunt ſimulacra eorum beſtiis & jumentis onera* (*Iſai.* 46. 1.) Nempe illa idola ærea confracta ſunt; ut veluti præda aſportarentur. *Bel* idem eſt ac *Baal: nabo* autem Hebræis idem quod *prophetia, divinatio.* Deorum nomina nominibus Principum veluti bona omnia olim adjiciebantur. Ergo à *Nabo* formari potuerunt illa Principum nomina *Nabuchadneſer, Nabuzardan, Nabonaſſarus, Nabonidus, Nabopolaſſar, Nebucadnetzar* ſeu *Nabognoſor.*

Nergal, Niſroch, Nibchas, & *Thirtak* ſunt idola Aſſyriorum. Poſtquam Salmanaſar rex Aſſyriæ, exciſo Samaritanorum regno, incolas captivos abduxerat, migrare juſſit in Samariam colonias de Babel, de Cuth, de Ara, de Hamath, & de Sephar-vaim, ut narratur quarto Regum (*cap.* 17.) fecerunt autem ſingulæ Gentes ſibi Deos ſuos, & repoſuerunt in templis excelſorum quæ fecerant Samaritæ: Gens quæque in civitatibus ſuis, in quibus habitabant. *Viri enim Babylonis fecerunt Socoth-Benoth.* Vulgatus ſequitur LXX. Interpretes: in fonte enim legitur *Succoth-Benoth,* id eſt, *tabernacula filiarum;* ut *Socoth-Benoth* non tam Deum aliquem Deam-ve, quàm fanum rituſque circa illud ſacros denotet. In quo fano, ut ex

Hero-

Herodoto diſcimus, Veneri Babyloniæ proſtabant puellæ; quæ in proximis tabernaculis tanquam rem ſacram admittebant turpia facinora. *Viri autem Cuthæi fecerunt Nergel*, aliter Nergal, *& viri de Emath fecerunt Aſima. Porro Hevai fecerunt Nebahaz & Tharthac. Hi autem qui erant de Sepharvaim combu. rebant filios ſuos igni Adramelech & Anamelech, Diis Sepharvaim.*

Peor, ſive *Phegor*, ſive *Beelphegor*, ſive *Baalphegor*, idolum erat Moabitarum & Madianitarum. Solius vocis *peor* aut *phegor* quærenda origo eſt. Vox enim præmiſſa *baal* jam explicata eſt. Interpretationem hujus nominis, inquit Origenes, cùm à viro Judæo requireremus attentiùs inter Hebræa nomina, hoc reſponſum accepimus, quòd *beelphegor* ſit ſpecies turpidinis; noluit tamen declarare, quæ vel qualis ſpecies, vel cujus turpitudinis, honeſtati, credo, conſulens, ne auditum pollueret audientium. Igitur cùm multæ ſint turpitudinum ſpecies, una quædam ex pluribus *beelphegor* appellatur. *Paar* Hebræis eſt *aperire*, ſive *diſtendere*. Referunt huic-ce idolo cultum exhibitum à viris obſcænis, qui partes inhoneſtas coram idolo retegerent. Plura ſcire non eorum intereſt, quorum Scripturæ caſtæ ſunt deliciæ. B. Hieronymus dicit *Beelphegor* poſſe Latinè appellari *Priapum* apud Romanos. *Priapus* erat idolum turpiſſimum, quod oculi caſti non auderent intueri, nec aures pudicæ audire deſcriptionem formæ ejus. Scilicet repræſentatio erat partium, quas pudor occulit, nec ſinit nominari. Nomen illud *Priapus* legitur in vulgata verſione (3. *Reg. cap.* 15. *v.* 12.) ubi narratur quomodo Aſa pius rex *abſtulit effœminatos de terra, purgavitque univerſas ſordes idolorum quæ fecerant patres ejus. Inſuper & Maacham matrem ſuam amovit, ne eſſet princeps in ſacris Priapi, & in luco ejus quem conſecraverat: ſubvertitque ſpecum ejus, &*

con-

confregit ſimulachrum turpiſſimum, & combuſſit in torrente Cedron. In fonte legitur, *Miphletzet*, quod ad literam ſonat *terriculum*, vel *idolum horrendum*. Septuaginta Græci Interpretes hanc vocem interpretati ſunt *σύνοδον*, id eſt, *cœtum* & *εἴδωλον idolum* & *κατάδυσις luſtrum*; quibus diverſis nominibus eadem res ſignificatur. Scilicet Maacha, ut ſolebat fieri in ſpurcis Veneris aut Priapi ſacris, turpem iniverat ſocietatem cum impudicis viris & mulieribus; & in luſtris ſive ſpecubus, ſive in remotis lucorum locis colebat *Miphletzeth*, libidines & obſcæna ſacra obtegens. Eadem hiſtoria deſcribitur in Paralipomenis (*Lib.* 2. *cap.* 15. *v.* 16.) *Sed & Maacham matrem Aſa regis ex auguſto depoſuit imperio, eò quòd feciſſet in luco ſimulachrum Priapi* Miphletzet: *quod omne contrivit, & in fruſta comminuens combuſſit in torrente Cedron.* Abſit ut in hac pagina Priapeis ſacris, qualia erant apud gentiles, explicandis diutiùs immorer.

Raipban ſive *Remphan*. Vide ſupra in voce *Chium*.

Remmon vel *Remnon* Numen erat Syrorum, cui dicatum templum. Vox illa derivari poteſt à *Rom*, quod eſt *altitudo*. Vox *Ram* idem eſt quod *celſus*, *excelſus*. Ut *Remnon* ſit idem quod *excelſus*. Ea Dei notio animo innata eſt, ut quod quis pro Deo colit, ſimul reputet excelſum. Alii pronuntiant Rimmon; quod nomen ſignificat *malogranatum*, cujus arboris in tota Syria ingens copia eſt & magnus uſus; nam fructus ejus non eſu modò ſuavis eſt, ſed & potu; quippe ex ejus ſucco muſtum conficiebatur, ut videre eſt in Canticis (*Cap.* 8. *v.* 2.) Itaque ob magnam utilitatem, quam infra adhuc explicabimus, potuit fieri ut quodpiam idolum diceretur *Rimmon*, ut aliud numen appellabatur *Dagon* à *Dagan* frumento. Ceres apud Græcos & Latinos reputabatur Dea frumenti ſive ſegetum.

Seſach, quem Vulgatus interpres appellat *regem*

Selach

Selach in Jeremia (*Cap.* 25. *v.* 26.) numen erat apud Babylonios juxta Seldenum.

Sirenes nominantur in fine capitis 13. Iſaiæ; ſed ibi non ponuntur loco numinis. Latinus interpres nominavit eas pro quapiam ſpecie terrifici animalis, quod propheta prædicebat ſtatim irrupturum in domos jucundas & delicatas, ubi omnia nitebant.

Theraphin inter idola recenſentur. Tam de origine vocis, quàm de rei forma & uſu lites moventur. Incertum an ſit vox Hebraica aut Ægyptiaca. In Geneſi (*Cap.* 31. *v.* 30.) *Theraphin* vocantur Dei. Paraphraſtæ Chaldæi interpretantur imagines vel ſimulacra. Tum in Græcis verſionibus tum in Latinis quandoque redduntur *ſculptilia*, quandoque *idola*. Itaque veriſimile *Theraphin* fuiſſe idola ſive ſimulacra, quæ, ut putabant cultores eorum, res futuras poterant indicare. Quoquo modo id fieret, ex iis capiebantur auguria. Rabbini dicunt eos qui *Theraphin* conficerent, reſpexiſſe horam certam & annum certum rei convenientem; ut haberi poſſent pro illis figuris, ex quopiam metallo conflatis, quas aſtrologi inſcribunt certis notis, ſub certo planetarum aſpectu, & vulgò, ut vidimus, appellant *taliſmans*. *Theraphin* habuiſſe figuram humanam ex eo colligitur, quòd Michol loco Davidis *Theraphin*, hoc eſt, imaginem humanam ſubſtravit in lecto (1. *Samuel. cap.* 29.) His autem ſimulachris, qualiacumque fuerint, dæmon ut foveret errorem, poterat communicare aliquam virtutem, quam illa amiſere, ubi & ipſe dæmon ſuo imperio excidit.

Thamuz idolum erat Ægyptiorum, cui & Iſraelitas ſerviſſe queritur Ezechiel (*Cap.* 8. *v.* 14.) Viderat enim in ipſo Dei Templo mulieres plangentes *Thamuz*. Sic legimus in fonte Hebræo, pro quo *Adonidem* vulgata habet. *Thamuz* autem vox eſt Ægyptiaca, quam Manetho apud Plutarchum inter-

pretatur *Abſtruſum* & *occultum*. Nimirùm ſacra illa erant opertanea. Thamuz dicitur eſſe Oſiris rex Ægyptiorum à Tiphone vita privatus, quem amiſſum quotannis in Ægypto defleri Iſis juſſerat. Hæc iſtis præſtigiis ſuis & incantationibus magicis tantam ſibi & marito auctoritatem apud Ægyptios comparaverat, ut pro diis haberentur, & menſe quarto colerentur. Aſſyrii autem & Phœnicii *Thamuz* vocabant *Adonidem*; quam interpretationem Vulgatus interpres ſecutus eſt. Gentes, ut notat B. Hieronymus, putabant *Adonim* interfectum ab apro, idque menſe junio; cujus rei in memoriam inſtituta eſt anniverſaria ei ſolemnitas, in qua plangebatur à mulieribus quaſi mortuus, & poſtea reviviſcens canebatur atque laudabatur. Mulieres illæ *Adonim* lugentes Veneris cultrices erant; quapropter veriſimile eſt illa ſacra *Thamuz* fuiſſe obſcæna, qualia fuere harum mulierum quæ lugebant *Adonim*: quare *Adonidis* nomine interpres noſter vocem *Thamuz* reddidit; videtur enim *Adonim* reſpondere numini *Thamuz*. Maxima pars ſacrorum ab Ægypto ad Phœnices, à Phœnicibus ad Græços & Latinos pervenerunt.

Thirtak. Vide ſupra in voce *Nergal*.

Zebub. Huic nomini ſolet præponi nomen *Baal*, quod erat commune multis idolis. Ita legitur *Beelzebub* vel *Baalzebub*, quod erat idolum Philiſtæorum, maximè Accaronitarum. Nomen autem *Zebub* denotat *muſcam*. Sic vocabatur idolum, quod invocabatur ut abigeret muſcas, quale fuit quoddam Jovis idolum apud Græcos. Alii volunt ſic dictum, quia infeſtatum à muſcis, cum eſſet perpetuo ſanguine reſperſum. In ambiguo autem eſt an re ipſa idolum, de quo fit ſermo, appellaretur à ſuis cultoribus *Muſcarum Deus*: an verò illa appellatio fuerit à Judæis in ignominiam; ut idolum quodque dicebatur *deus ſtercoreus*. Videtur potiùs à Philiſtæis ſive Phœnicibus

bus appellatum *Beelſamain*, id eſt, *Dominus cœlorum*. Etenim ſolem illi, quem dicebant cœli Dominum, adorabant. Potuit etiam ab illis nominari *Baalzebain*, id eſt, ſacrificiorum ſive victimarum Dominus. Judæi autem per contemptum mutabant nomen honeſtum in pudendum, appellantes *Beelzebub*; quomodo ex *bet-el*, quod eſt *domus Dei*, poſtquam idololatria eo in loco, ad lapidem ubi recubuerat Jacob, exerceri cœpit, fecerunt *Bethaven*; id eſt, *domus iniquitatis*. In Novo Teſtamento hoc nomen *Beelzebub* metaphoricè per contemptum diabolo datur. Sicut dicuntur idola *Elilim*, quia ſunt nihil. Etenim *Elil* ſonat *nihilum*, ut ſupra obſervatum eſt. Etiam *Gillulim*, id eſt, *ſtercora* appellantur idola, ſive dii ſtercorei.

Zephon aliis videtur nomen regionis, aliis nomen idoli, quod Ægyptii colerent. Præponebatur nomen commune *Baal*; legitur enim *baalzephon*.

CAPUT II.

De animantibus ſacris, quorum ſcilicet mentio ſit in Sacra Scriptura; & quorum proprietates notas habere intereſt ad eandem Scripturam intelligendam.

QUi brevitati in primis ſtudeam, non enumerabo omnium animalium ſpecies, quarum aliqua ſit mentio in ſacro Codice; iis ſolùm immoraturus, quorum non ſatis notæ proprietates.

I.

De animalibus in genere.

Animantia dividuntur ab Hebræis in quatuor ſumma genera; nempe in quadrupeda, aves, reptilia, & pi-

& piſces. Graditur quadrupes, avis volat, reptile ſerpit, piſcis natat. Animantium quadrupedum aliud eſt *ſolidipes*, ut equus, mulus, aſinus; aliud *bifidum*, ut bos, cervus, capra, ovis; aliud multifidum, ut canis, leo, lupus, felis. Multifidum dicit Moſes ambulare ſuper manus ſuas, tum quia caret ungula, tum quia pedes habet manuum inſtar digitatos. Diſtinguit præterea ille legis-lator fiſſionem & diviſionem ungulæ; ſcribit enim quædam animantia ungulam ſimul dividere & findere, ex quorum numero eſt porcus; alia ungulam dividere quidem, ſed non findere, quia cohæret adhuc vel à parte ſuperiori, vel ab inferiori. Exemplo ſit camelus, cujus ungula supernè diviſa eſt, & infernè cohæret.

Inter aves quaſdam rapaces eſſe & carnivoras neminem latet, quas Moyſes immundas eſſe declaravit, quibus ſcilicet nec veſci, nec illas in ſacrificium offerre licebat. Moyſes reptilibus accenſet minima quadrupedum, puta mures, & talpas & exanguia omnia, ſive ſupra ventrem ſerpant, ut vermes, ſive quadrupeda ſint, ut quæpiam locuſta, ſive multipeda, ut ſcolopendra. His adde volucria; quales ſunt, præter locuſtarum nonnullas, muſcæ, papiliones. Notum eſt ſerpentes reliquum corpus exponere dum feriuntur, ut caput, in quo vitam omnem ſuam reſidere ſentiunt, ſervare poſſint. Tanta celeritate linguam movent, ut triplicem linguam habere videantur, cùm una ſit. Eò referendum, quòd maledico, qui linguam in quoſcumque exerit & vibrat, more ſerpentis, lingua triplex tribuitur apud Syrachidem. Serpens in Geneſi dicitur ſupra omnem beſtiam callidus; cujus pleraque prudentiæ proferuntur argumenta, puta, quòd cùm ſenium ſentit, quærat petram, & in rimam ſe inſinuans, pronuſque per foramen tranſire niſus, ſenectutem, id eſt, veterem pellem exuat. Appetitus, ut dixi, videtur unum curare, ut caput ſervet illæſum. Addunt, cùm ad fontem

tem venit ut bibat, ante virus deponere. In rei veritatem non inquiro; ſed opinor ſerpentem ſymbolum eſſe prudentiæ, quòd corpus flectendo ſeſe inſinuet, & per implexas ſentes iter ſibi expediat.

Piſce nullum eſt animal fœcundius: ita ſymbolum eſt fœcunditatis. Partes ejus propriæ ſunt pinna, ſquama, & branchia. Alii verò pinnas & ſquamas habent; alii utroque carent, vel alterutro. Hinc oboritur piſcium diſtinctio legalis in mundos & immundos. Ii ſcilicet in lege habentur pro immundis, quibus ſquamæ vel pinnæ deſunt. Etiam apud Romanos nonniſi ſquamoſos piſces pollucere fas erat. Polluctum vocabant ſacrificium vel epulum in deorum honorem inſtitutum.

Cetus Hebræis eſt piſcis maximus. Inter cete alia majora, alia minora ſunt. Quędam ex illis papillas habent, quæ in mammis receptæ tanquam in vaginis conduntur; undè illas promunt, ut lactent catulos ſuos. Tales ſunt illæ lamiæ, dé quibus Jeremias loquitur in Lamentationibus (*cap.* 3. *v.* 3.) *Sed & lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos ſuos.* In fonte *tanin*, quod nomen redditur *draco*, *balæna*, *cetus*, *ſerpens*. Hæc autem animalia non reperiri ſolent niſi in plagis remotis tum maris tum telluris; ita propheta indicabat magnam fuiſſe ſolitudinem in Judæa, in quam ſecederent illa monſtra, & liberè educarent catulos ſuos. Etiam è cetis alia boant & mugiunt; ut balæna; alia verò gemunt, ut Delphin. Scriptura dicit Deum primo homini adduxiſſe omnia animantia, quibus propria nomina impoſuerit. Bochartus, quem in hoc-ce capite exſcribo, ex Hebræis nominibus, quibus illa appellantur in Hebræo fonte, oſtendere conatur quòd Adam habuerit introſpectam eorum naturam, quam Hebræum nomen exprimat. Conatus ille in multorum nominum etymologia feliciter cedit auctori erudito.

II.

De domeſticis quadrupedibus.

Hæc de animantibus in genere: nunc de ſingulis ſpeciebus agendum, & primum de domeſticis quadrupedibus. Initium ducit Bochartus ſupra citatus, & deinceps ſæpiùs allegandus, à camelo, qui nomen habet deductum à verbo Hebræo *Gamal*, quod ablactare & retribuere ſignificat. Nullum eſt animal, quod acceptę injuriæ memoriam conſervet tenaciùs, vel ultionem perſequatur acriùs. Camelos olim in Judæa & viciniſ locis fuiſſe frequentiſſimos ex Scriptura manifeſtum eſt. His homines, ſarcinæ, cibi, merces, res pretioſæ vehebantur; etiam jungebantur curribus. Horum pili in veſtium uſum cedebant. Non opus eſt ut varia camelorum nomina huc afferam. Qui celeritate pollent, *dromades* à Græcis appellantur. Sunt qui per diem conficiant etiam mille & quingenta ſtadia.

Diverſis nominibus inſigniuntur equi in Hebræo codice. Notum illos diverſi eſſe coloris. Sex equorum colores in Zacharia recenſentur. Equorum uſus erat ferè tantùm in bello; undè Deus, cùm induxit Iſraelitas in terram Chanaam, juſſit ut ſubnervarent equos devictarum gentium, ne illarum exemplo confiderent in curribus & equis.

Vehebantur aſinis ipſi Iſraelitarum magnates. Undè aſinus & ſubjugale ſæpiùs idem ſonant. Subjugale autem jumentum illud dicitur quo homines vehi ſolent. Aſinos & araſſe conſtat; ſed vetabat lex arare bove & aſino ſimul junctis: ad quod alluſum putant ab Apoſtolo (2. *Corinth. cap.* 16. *verſ.* 14.) *Nolite jugum ducere cum infidelibus*; qui nempe quaſi diverſi generis ſunt. Viribus æquales eſſe debent

qui

qui eidem jugo ſubduntur. Aſini & molam circumagebant: indè mola aſinaria, ad diſcrimen hujus quæ manu trudebatur; & ideo dicebatur truſatilis. Prima, inquam, major: quia circumagebatur ab aſino, aſinaria nominabatur.

Muli inter Hebræos cœperunt eſſe in multo uſu circa tempora Davidis. Videre eſt in Scriptura filios ejus ſolitos vehi mulis. Bochartus opinatur ante illa tempora ignotos fuiſſe in terra Iſrael. In verſionibus quidem Græcis mulorum fit mentio; quod ille auctor dicit factum gratis ab interpretibus, & refellit Hebræos qui mulorum inventum tribuunt cuidam Anæ; de quo hæc in Geneſi (*cap.* 36. *v.* 24.) leguntur. *Iſte eſt Ana, qui invenit aquas calidas in ſolitudine, cùm paſceret aſinas Sebeon patris ſui.* Vocem *Emim*, quam Latinus interpres reddit *aquas calidas*, putant Hebræi ſignificare mulos. Bochartus contendit nomen eſſe populorum fortium; ſcilicet *Emæorum*, in quos impunè inciderit Ana, ideò celebratus. Non licebat Judæis mulorum procreationem procurare, quia lex prohibebat ne animalia heterogenea commiſcerentur inter ſe (*Lev. cap.* 19. *v.* 15.) *Tanta fuit ſacrarum legum providentia cavendi*, inquit Philo, *ne homines polluerentur coitu nefario, ut diſertè cautum ſit ne admittatur ullum animal heterogeneum.* Hujuſce prohibitionis cauſam eandem aſſignat Theodoretus. Verbi cauſa, coitum prohibet lex, puta equi & aſinæ, ne à brutis animalibus ad ratione prædita tranſeat illegitima commixtio. Fœtus autem qui naſcebantur ex heterogeneis, concedebantur ad eſum & uſum; undè non mirum eſt Davidem uſum eſſe mulis.

Elephantes dentibus ſuis, undè ebur, celebres ſunt. In Scriptura autem nullus apparet eboris uſus ante Salomonis tempora, qui cùm ex India elephantos & multum ebur curaſſet in Judæam advehi, grande ſolium ex ebore ſibi conſtrui juſſit, & eburnea palatia,

 id eſt,

id eſt, ebore ornata. Didicit Alexander magnus ab Indis elephantorum uſum in bello. Succeſſores ejus, ut Antiochi in Syria, Ptolemæi in Ægypto, in eundem uſum adhibuere, ut videre eſt in hiſtoria Machabæorum. Ante autem Alexandri tempora in ſola India bellis inſervierant hæc quadrupeda.

Boum frequens mentio & multus uſus in Scripturis. Laudantur tum ob formam, tum ob fortitudinem. His Judæi utebantur, in frugibus triturandis: indè cùm eo tempore os eorum capiſtrare lex prohiberet, tunc potiſſimum pingueſcebant, veſcentes frugibus ad ſatietatem uſque. Proinde Iſraelitæ genio indulgentes comparantur vitulæ, quæ ſoli trituræ aſſuevit. Boves adhibuere aratio Judæi, ut cæteræ gentes. Uſus etiam erat boum in trahendis plauſtris. Bovis fœminæ lac utiliſſimum, ex quo butyrum & caſei fiunt. Vituli non ſolum in cibis, ſed & in deliciis veterum Hebræorum erant. Bochartus putat, quod mihi ſit veriſimile, non arietum, ſed bovis cornua in buccinarum uſum inſerviiſſe. Arietum enim cornu ſolidum eſt, neque cavum quidquam habet, in quo flatus recipiatur. Dicit Hebræorum eſſe commentum, *Jobel*, ſignificare arietem: nullibi enim in Scriptura hoc adſtruitur; ſed videre eſt Græcos interpretes per vocem *Jobel* intellexiſſe quemdam ſonitum buccinæ: ita annus *Jobal* ille erat qui certo ſonitu tubæ indicabatur. Ille ergo annus originem appellationis ſuæ non derivat à cornu arietino, quo fingunt Hebræi promulgatum. Verbum Hebræum *Jabal* idem ſonat ac afferre, reducere, ut ſuo loco dictum eſt. Afferebat libertatem dictus annus, & veteres poſſeſſores in prædia ſua reducebat. Boum denique ſacer uſus erat in ſacrificiis.

Quædam ſunt vocabula in fonte Hebræo, quæ ovibus & capris communia ſunt, ut hæ voces *Tſon* & *Seh.* Quanquam autem ubique de illis ſermo fiat in ſacro Codice, non plura ſunt, quæ hic prænotare

pre-

pretium ſit. Quæcumque enim proferre poſſemus, nulli ſunt incognita. Oves cibum & veſtes miniſtrant. Lanam autem lino miſcere vetitum erat; quæ res admonebat Judæos ne duplici corde eſſent: Pariter ex capris cibus & veſtimenta ſuppetunt. Ex pilis enim caprarum texuntur veſtes. Capræ ſunt quarum pili pretioſi ſunt; indè in Canticis comparantur crines ſponſæ gregi caprarum, nempe pilis caprarum. Joſephus & alii ſic legerunt textum Hebræum, ubi Michol filia Saul ſtatuam ſive imaginem in lecto Davidis ad cervical diſpoſuiſſe narratur (1. *Reg.* 19. *verſ.* 13.) ut putaverint ab eadem Michol ſuppoſitum ſtragulis jecur capræ, quod ſubſiliret, ut falleret Saul dum præſentem Davidem crederet, qui vitæ ſuæ interim fuga conſulebat. Scilicet tempore Joſephi legebatur ***cabed***, id eſt, *jecur*; ſed verior lectio eſt ***cebir***, id eſt, ***magnus***; quam probavit B. Hieronymus. ***Cebir*** ſunt pili magni caprarum, quibus uſa eſt Michol, ut mentiretur capillitiem Davidis.

Hœdum in matris lacte non coquendum eſſe præcipiebat lex, nempe ut doceremur quàm humani & æqui eſſe debeamus erga homines, qui nobis ſunt ſimiles; quandoquidem in bruta etiam lex ea vetat admitti, quæ ſpeciem habent crudelitatis. Sic illam legem accipiunt Judæi, ut omne lac cum quacumque carne manducare illicitum putent. Undè illi duos ſemper cultros deferunt, unum ad carnes, alterum ad caſeum, tribus inciſuris notatum, ut diſcrimen agnoſcatur; nec carnes & lacticinia coquunt in eodem foco, nec in iiſdem vaſis.

De quadrupedis animantibus domeſticis ſuperſunt canes & ſues, de quibus non rarus ſermo in Scriptura. Hodie Judæi, ut teſtatur Curiæus, quoties de ſue loquuntur, non illud nominant, ſed patrio ſermone dicunt ***davar acher***, hoc eſt, ***res alia***. Cæterum ob eandem cauſam ſollicitè cavent ne per dies azymorum

rum

Digitized by Google

rum vocem *panis* inter loquendum uſurpent. Piaculum immane admiſiſſe exiſtimant, qui per eos dies in cauſa fuerit, ut quiſquam de fermento vel leviter cogitet. Conſueverant Judæi nec ore tenus uſurpare ea quæ cogitata mentem polluiſſent (*Epheſ. cap.* 3. *v.* 3.) *Fornicatio autem & omnis immunditia nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos.* Canes quidem laudantur quia fideles ſunt & optimi cuſtodes; ſed quia gulæ & libidini, etiam in propatulo indulgent, nomine eorum appellantur homines immundi, inverecundi & voraces. Quin canis licèt manſuetus & cicur ſit, attamen ignotos quoslibet latratu ſæpè etiam morſu laceſſit; nulla injuria provocatus. His de cauſis homo vilis & maledicus pro cane reputatur. Judæi non alebant ſues; ideò in Scriptura dicitur filium prodigum abiiſſe in longinquam regionem, ubi porcos pavit. Urbs Gadara, in cujus agro paſcebantur porcorum greges, Græca fuit, non Judaica. Potiſſima autem cauſa propter quam lex prohibebat carnibus ſuillis veſci, eſt fæda porcorum ſortitudo. Sus multas ſordidaſque res comedit: volutatur in luto. Huc ergo ſpectabat iſta interdictio, ut ſe à peccatis atque immunditiis abſtinerent Judæi. Sus lutulentum & immundum animal, ventri ſemper & pabulo ſervit. Interdixit ergo Deus, verba ſunt Lactantii, ne Judæi porcina carne uterentur, id eſt, ne vitam porcorum imitarentur, qui ad ſolam mortem nutriuntur, nec prodeſſe poſſunt niſi cùm morte afficiuntur.

III.

De feris quadrupedibus.

Inter feras quadrupedas primus eſt leo. Hujus ſunt ſeptem nomina in Hebræo fonte, pro totidem ætatis di-

ris diverſis gradibus. Scriptura notat illa omnia in leone terribilia, faciem, inceſſum, rugitum, oſſa, dentes, manum denique, vel digitos aduncos. Primatus inter feras ei defertur: cæteris robore præſtat. Ferox eſt & ad iracundiam pronus. Habitat in ſolitudinibus; incolis enim regiones viduat. Inhiat prędæ, cui, cùm eam arrripuit, ſolet accubare. Impavidum eſt animal, cedere neſcium. Ex his-ce leonis proprietatibus crebræ eruuntur in ſacro Codice comparationes per ſe apertæ.

Pardus eſt animal leoni ſimile, niſi quod parvum eſt, & pellem habet nigris maculis diſtinctam. Pardus ad ſaltum valdè agilis eſt, & promptus ad inſiliendum in eos quos inſequitur; inſidioſum enim eſt animal. Sic à Daniele (*Cap. 7. verſ. 6.*) cum pardo confertur tertia Monarchia, id eſt, Alexandri & Græcorum. Alexander licèt regulus Darium regem vicit, & pernicitate incredibili magnam partem habitati orbis annis duodecim ſubegit. Pardi autem maculæ ſignificant Gentium, quibus Alexander imperavit, mores diverſos.

Non omninò conſtat quid à pardo differant, aut cum pardo quomodo conveniant tygris, lynx, panthera, & leopardus. Multi cum leone tygrim conferunt, quaſi ſit leonis ſpecies, aut animal, exceptis maculis, leoni quàm ſimillimum. Aliis tygris eadem eſt cum panthera & leopardo. Lynx etiam varia eſt, æquè ac pardus & tygris; nec diſſimilis pantheræ. Bochartus pantheram & pardum pro eodem animali habet, ut juxta illum differant ſolo ſexu, aut candore, non genere. Panthera fœmina eſt, cujus mas pardus. Pantherarum autem duplex genus; ut non mirum ſit inter illam & pardum ab aliquibus diſcrimen interponi. Leopardus, ut vox compoſita notat, naſcitur ex pardo & leæna. Obſervat Bochartus vocem illam non ante Conſtantini magni tempora

pora auditam eſſe. B. Hieronymus leopardos appellat, qui tantùm pardi erant.

Urſus animal eſt villoſum, cujus os patulum, in poſteriores pedes inſurgens, & priorum amplexu ſuffocans & conterens quem hoſtem invaſit. Pedes autem anteriores ejus manuum formam imitantur. Inter omnes feras nihil eſt urſa ſævius, cùm perdiderit catulos, vel indiguerit cibo.

Lupus animal eſt rapax. Veſpere prædatum ſe confert. Veſpertini lupi dicuntur in Scriptura qui actu prædantur, & ſæviores ſunt nocte vicina; nimirum quia tota die fame ad rabiem concitati ſunt. Hyæna animal eſt lupo ſimillimum. Pelle autem & oculis varia eſt hyæna. Mille, inquam, oculis ejus ſunt varietates, ſive colorum mutationes. Pellis ſplendidis coloribus, florum inſtar diſtincta eſt. Quod Jeremias (*Cap.* 12. *v.* 8.) appellat *Tſeboa*, non aliud animal eſſe quàm hyænam contendit Bochartus. Juxta Græcos interpretes, vox illa colorum varietatem indicat. Aliis avis eſt tincta ſive varia, qualis eſt pavo.

Vulpes animal notum: veſcitur cadaveribus; ideò portio dicuntur vulpium hi quorum inſepulta cadavera in cibum feris relinquuntur. Vulpes delectantur uvis; hinc in Canticis (*Cap.* 2. *v.* 15.) *Capite vulpes, quæ demoliuntur vineas*. Habitant in ſolitariis locis; quin, ut lateant magis, in ipſis terræ viſceribus luſtra habent ſua. Verſutas eſſe & ſubdolas experimento patet; inde vulpes ſolent appellari quorum mens verſuta & ſubdola eſt. Si quis quærat undè Samſon trecentas vulpes nactus fuerit, quarum caudæ illigans lampades accenſas, meſſem, oliveta, & vites Philiſtæorum exuſſit, reſpondebo magnam in illis locis fuiſſe vulpium copiam; adeò ut pleraque loca ab illis nomen ſuum acciperent, ut *terra Sual*, id eſt, *terra vulpis*, *urbs Hazer Sual*, quaſi atrium vulpis.

vulpis. *Schual* Hebræis eſt quod *vulpes* Latinis. Videtur hoc facinus perveniſſe ad aures Romanorum, qui feſtum celebravere, cujus meminit Ovidius in quarto Faſtorum, in memoriam ſimilis eventus: involutas palea & fœno ſinebant per circum diſcurrere, poſtquam his admoverant ignem.

Animalia quæ in Codice Hebræo dicuntur *Tſiim*, habentur à Bocharto pro felibus feris, ſicut *Iiim* pro animale quod lupo minus eſt; luporum enim genus eſt, brevitate crurum diſſimile, velox ſaltu.

Onagri, ut nomen indicat, ſunt aſini feri, ſive ſylveſtres, qui domari non poſſunt, & ſolitudine delectantur. Indè homo onager ille eſt qui ferus, rudis & indocilis eſt.

Cervus habet pedes firmos & agiles, tam in ſaltu quàm in curſu; undè dicitur in Pſalmis Deum præparaſſe *pedes cervorum* his qui ejus auxilio fugerant ex periculis. Certum eſt cervas eſſe difficilis partus: cùm ergo illæ pavore perculſæ ſtatim enitantur, inter mirabilia tonitruum effecta regius Pſaltes (*Pſal.* 28. *v.* 9.) enumerat, quòd partum cervarum promoveat. *Vox Domini præparantis cervos*. Tonitru autem appellatur à Pſalte *vox Dei*. Cervi in pilis & toto corpore aliquid habent quod mirè placet. Veteres in primis his maximè delectati ſunt. Teſtis cervus ille apud Virgilium, quem pectebat Sylvia, & puro in fonte lavabat, intexens cornua ſertis. Ergo non mirum eſt ſi uxor viro ſuo grata & accepta vocetur à Salomone (*Prov. cap.* 5. *verſ.* 19. *cap.* 14. *v.* 5.) *cerva amorum*.

Vocem *Akko* quæ in Hebræo fonte Deuteronomii legitur, reddunt Græci interpretes & Vulgatus *tragelaphum*, id eſt, *hirco-cervum*. Plerique conveniunt *Akko* eſſe hirci ſpeciem. Placet Rabbi Salomoni eſſe *Ibicem*, quod animal vernaculè dicimus *Bouc eſtain* ital. *ſtambecco*. In eodem loco Deuteronomii occurrit

rit vox *Diſon*, quam Græci interpretes & Vulgatus interpretantur *pigargum*, quod animal eſt inter damarum aut caprarum genera. Nomen habet, ut vox Hebræa indicat, à colore ſuo cinereo. Pariter in loco citato Deuteronomii appellatur *zemer* animalis quoddam genus. Græci & B. Hieronymus interpretantur *camelopardalim*. Eſt autem hoc animal capite camelino, collo equino, pedibus, cauda & cruribus bubulis, albis virgulis rutilas maculas diſtinguentibus, quatum gratia inditum eſt ei nomen *camelopardalis*. Ejus poſteriora humiliora ſunt anterioribus; ita ut à cauda ſedere videatur. Collum verò rectum eſt & in altum erectum. Animal rarum eſt & ferò notum; in iis enim locis procreatur, quæ non remota ſolùm, ſed tam inacceſſa ſunt, ut ea crediderint veteres prorſus eſſe inhabitata. Cùm ergo parùm veriſimile ſit innotuiſſe Judæis, tempore Moſis, cur ille animalis ignoti eſum permiſiſſet? Veriſimilius eſt *zemer* capreæ eſſe aliquod genus. Denique in eodem allegato loco Deuteronomii vox *jachmur* redditur à Græcis interpretibus & à Vulgata *βύβαλος* *bubalus*. Sed advertendum eſt olim vocem *bubalus* non acceptam pro bove fero, ut nunc fit. Capreæ genus erat; itaque *jachmur* capreæ aut cervi genus eſt.

Jaal ſive in plurali *jaalim*, alii cervum, alii *damam* exponunt, alii *capream* aut *capreolum*, alii *ibicem*, alii *rupicapram*, alii *tragelaphum*, alii denique *hircum ſylveſtrem*. Ex iis quæ facer Codex habet de *jaalim*, colligitur non aliud eſſe animal quàm ibicem, qui juga excelſiora montium incolit; Gallis & Germanis *Bouc eſtaim*, ſive hircus petræ, Italis *Stambecco*. Rupicapræ rupes quidem montium incolunt, ſed non ſummas, ut ibex. Hoc-ce animal ingentia cornua habet à capite uſque ad nates protenſa. Mirandæ pernicitatis eſt, quamquam oneretur caput vaſtis cornibus. Ut fugiat venatorem, ſeſe dejicit deorſum ex locis

excel-

excelſis, ſed dorſum admovet rupibus, cum defendunt, cornua ejus, à capite ad nares producta.

Opher ſumitur in Cantico Salomonis pro capreæ aut cervæ hinulo.

Tſebi Hebræis caprea eſt; quam vocem Chaldæi efferunt *Tabitâ*. Hinc *Tabitha*, puellæ nomen à Luca (*Act. cap. 9. v. 36.*) Græcè redditur Δορκὰς, *Dorcas*, id eſt, *capra*. Quæritur cur in Canticis Sponſus cum caprea toties conferatur. Rationem ferè omnes Interpretes reddunt, quia caprea animal ſit perſpicaciſſimum; undè Græcum nomen Δορκὰς illi inditum à verbo δέρκειν, quod idem ſonat ac *videre*; ſed cùm hæc allegoria Græci capreæ nominis etimologia nitatur, non textu Hebræo, & de ſponſi ſaltibus, aut fuga, aut reditu agatur, nihil aliud puto reſpici, quàm capreæ in curſu aut ſaltu agilitatem: cui ſimilis ſponſi alacritas, & exequendi celeritas ac facilitas, quidquid agat aut moliatur.

Reem vel *rem* vetuſtiſſimi Interpretes *monocerotem* eſſe voluerunt, id eſt, animal *unicornu*. Multa autem animalia celebrantur unicornia. Præter rhinocerotem, qui habet cornu in naſo, ſunt equi & aſini, boves Indici, quibus unicum cornu eſt in fronte, ſi fides facienda ſit antiquis Scriptoribus. Neque enim ulli viſa ſunt illa animalia unicornia in India & aliis regionibus, quæ navigantibus nunc perviæ ſunt. A pleriſque monocerotes recenſentur inter Chimeras. Itaque Scriptura non feciſſet toties ſermonem de animali ignoto, nec ab eo ſimilitudinem ſumeret. Quin nec unum cornu videtur dare animali, quòd *reem* appellat; loquitur enim de cornibus ejus in plurali. Cùm autem dicat David à Deo exaltandum eſſe cornu ejus, ut τοῦ *reem*, ſupple cornu vel cornua, neceſſe eſt ut animal illud, qualecumque fuerit, cornua excelſa habuerit; undè jure colligitur non eſſe Rhinocerotem, cujus cornu depreſſiſſimum. Neque etiam

etiam Uri ſunt, ſive boves ſylveſtres, ignota animalia in terra Iſraelis. Ergo *reem* videtur eſſe bicornis caprea aut *orix*. Vocem illam notat Bochartus accedere ad nomen Arabicum quarumdam caprarum, quarum cornua longa, acuta & fortia ſunt, ea re præſtantes ſive diſcrepantes à capreis, quæ ordinariæ ſunt. Tale eſt capreæ illud genus, quod dicitur *Orix*, cujus cornibus pro armis utuntur Æthiopes, Strabone teſte. Orix alio hoc-ce nomine appellatur in Scripturâ *Theo*, vel *Tho*.

Quod animal appellatur in Hebræo Codice *porcus de ſylva* eſt aper, qui infeſtus & noxius eſt agris, quos vaſtat, ut patet in apro illo Calydonico, quem Ovidius deſcribit. Pſalmiſta (*Pſal.79.v.9.*) deſcribens res adverſas Judæorum, comparat eos vineæ, quam vaſtaverat porcus è ſylva, id eſt, aper. Ex Ovidio diſcimus apros in juncis paluſtribus degere; quare feras arundinis, de quibus loquitur idem Pſalmiſta (*Pſ.78. v.31.*) opinor non alias fuiſſe quàm apros.

Simias advexerat in Judæam claſſis Salomonis. Vocem enim Hebræam *Kophin* Interpretes reddunt ſimias magno conſenſu.

Arnebeth Hebræorum eſt animal immundum & prohibitum. Ipſi Hebræi illud pro lepore habent. Placet aliis eſſe cuniculum. Lepus ab Arabibus dicitur *arneb*; undè deducit Bochartus *arnabeth* verè eſſe leporem: putat autem ideò prohibitum in lege, quia proclivis eſt in libidinem.

Sapham Hebræorum eſt cuniculus juxta aliquos: aliis videtur majoris muris genus, aliis chærogryllius, aliis hericius, aut hyſtrix. Sunt qui ſic deſcribunt chærogryllium, quem & erinacium appellant, ut formam habeat porcelli ſpinoſi, vernaculè *porc-eſpi*, ital. *Riccio*.

Achbar Hebræorum murem agreſtem ſonat, qui agrorum pernicies eſt. Ergo mures illi qui Philiſtæo-

rum,

rum, dum captivam arcam tenerent, agros populati ſunt, agreſtes erant, nempe ex agris ebullierant; quòd non ſemel contigit. Quin propter multitudinem horum murium agreſtium nonnullos populos mutaſſe ſedes hiſtorici referunt. Non itaque *achbar*, quivis mus eſt, ſed certa ſpecies, nempe muris agreſtis. Plerique tamen hoc animal habent pro mure domeſtico.

Choled Hebræum Hieronymo & plerìſque aliis muſtella eſt. Bochartus putat eſſe murem cæcum ſive talpam: undè *achbar* & *choled*, ut congeneres, à Moyſe conjunguntur. Nomen illud apud Syros & Arabas denotat talpam, & à verbo deducitur quod *fodere* ſignificat. Fodiunt autem ſibi larem talpæ ſub terra.

Kippod Hebræum redditur à B. Hieronymo *hericius*. Alii tamen volunt eſſe teſtudinem, hi caſtorem, alii lutram. Sunt etiam qui contendant eſſe avem. In hericiorum autem genere hyſtrix numeratur, ſpinas habens miſſiles; itaque porcus ſpinoſus.

IV.

De quadrupedibus oviparis.

Inter quadrupedia animalia quædam ſunt ovipara. Horum ſex ſpecies recenſentur à Moyſe, nempe *Tſab*, *Anacha*, *Coach*, *Letaa*, *Chomet*, *Thinſemeth*. Addi poſſunt *ſemamith*, ſed ab *anacha* ſolo nomine differt: & *leviatan*, qui crocodilus eſt, & ideò inter aquatica animalia numerandus. Ut de his pauca dicamus, primùm *Tſab* eſt crocodilus terreſtris. Sic Hieronymus & Græci ſentiunt. Contendunt alii eſſe bufonem vel teſtudinem. Crocodilus autem ille non eſt bellua Ægyptia magnæ molis, ſed genus lacertæ in ſepibus & maceriis commorari ſolitæ. Ideò bellua Ægyptia dicta crocodilus, quod crocodilos terreſtres ſimilitu-

dine referret. Neque enim niſi mole ſua diſſimilis eſt lacertæ.

Coach redditur Græcis & Hieronymo Chamæleo. Nomen Hebræum, quod idem ſonat ac *robur*, indicat fuiſſe ſpeciem robuſtioris lacertæ. Bochartus credit fuiſſe lacertam viridem, qui pugnax eſt. Et lacertæ genus eſt Chamæleo, ut modò dicemus.

Letaa juxta vetuſtos Interpretes *Stellio* eſt, lacerta maximè venenata, ſimilis ſalamandræ.

Chomet eſt lacerta in arena degens; undè nomen habet. Hebræis enim *chometon*, quod Græcis ἄμαθος, arena eſt, ut ſentit Bochartus.

Thinſemeth Græcis & Hieronymo talpa eſt. Bochartus probat eſſe chamæleonem, nempè lacertæ genus, ſic ab Hebræis appellatum, quia ore ſemper hianti aërem ducat, quo ſolò veſci creditur, ut referunt auctores. Nomen Hebræum indicat *aſpirantem* ſive ſpiritum ducentem. Arabes adſtruunt linguam hujus-ce animalis longam eſſe, quam emittit ut muſcas à ſe diſſitas captet. Dicitur in horas mutari, prout lux ſolis eſt vegetior, aut calor ejus intentior. Sed & in metu, aut ſi aliquid illi objicitur, alios colores induit.

Semamith Græcis interpretibus eſt καλαβώτης, id eſt, ſtellio; quod & ſequitur B. Hieronymus. Nomen autem habet illud reptile, quia variis quaſi ſtellis, ſive ſtillis, diſtinctum eſt & varium.

V.

De avibus mundis.

Jam de avibus agam, primùm de mundis, initium ducens à columba, de qua plura habent Sacri Scriptores, quàm de reliquis omnibus ſimul ſumptis. Si Hebræis credimus, columba erat Aſſyriis pro vexillo.

xillorum ſymbolo; undè in Prophetis *ira columbæ*, *gladius columbæ*, ira eſt & gladius Aſſyriorum. Ex Gentilium libris diſcimus columbam fuiſſe in multo cultu apud Aſſyrios. Pennæ columbarum tùm argenti candorem, tum pallorem auri referunt. Oculi columbarum puri & venuſti ſunt. Pleræque lacte videntur lotæ, adeò candidæ, ſunt aut mundæ. Undè inter ſymbola integritatis & munditiei recenſentur. In voce columbæ aliquid querulum & gemebundum ſonat; ideò & amoris ſymbolum eſt, ſicut & ſimplicitatis, juxtà aliquos qui falsò putant columbas carere felle. Ego verò ut alibi evinco, *ſimplicitas* in Evangelio idem ſonat ac *integritas*. Munda eſt columba; ut qui integer vitæ, ſceleriſque purus ſit, jure huic aſſimilari poſſit. Diu & procul volat columba; undè ex Arcâ emiſſa à Noacho: quæ docilis & homini amica, ad nidum ſuum redit ex locis remotiſſimis; quare pro tabellaria fuere qui uterentur.

Plura dicere de columba non opus eſt; adeò enim nota, ut quicumque in Scripturis de illa ſermo fiat, obſcurus eſſe non poſſit. Id unum addam, quod narratur quarto Regum (*Cap. 6. v. 25.*) Samariæ famis tempore quartam partem cabi ſtercoris columbarum venditam fuiſſe quinque argenteis. Quæritur ad quos uſus illud ſtercus? Alii dicunt Samaritanos urgente fame hoc ſtercus in cibum adhibuiſſe; alii pro ligno uſos: alii ut ſtercorarent agros in urbe incluſos, & ſic futuræ fami proſpicerent; alii ſtercus illud fuiſſe pro ſale. Bochartus obſervat quoddam ciceris genus appellari ab Arabibus ſtercus columbinum, quia forma ſua illud legumen forſan referret ſtercus columbinum. Cabus tam leguminum quàm frugum, tum & cibi diurni menſura erat. Porro inter cibos uſu receptos vix quidquam eſt cicere vilius. Undè Horatius, *Nec ſit quid fricti ciceris probat aut nucis emptor*. Ergo ingenti fame premebantur qui tanto

Ll 2 pretio

pretio menſuram diurnam vilis cibi comparabant.

Quam avem fons Hebræus appellat *deror*, non eſſe hirundinem, ſed columbæ feræ ſpeciem, nempe turturem aut palumbum contendit Bochartus. Ut dicit Jeremias (*Cap.* 8. *v.* 7.) *Milvus in cœlo cognovit tempus ſuum, turtur & hirundo & ciconia cuſtodierunt tempus adventus ſui*. Aves migratorias eſſe indicat Propheta. Experimur ſingulis annis hirundines vere novo ad nos redire, poſtquam tota hieme abfuerunt. Plinius obſervat notabili munditia hirundines egerere excrementa pullorum ex nido; adultioreſque circumagi docere, ut foras ſaturitatem emittant. Hinc factum eſt, ut ex nido hirundinum dormienti Tobiæ calida ſtercora inciderint in oculos ejus. Nidum enim hirundo ſæpiùs locat intra ipſos ædium thalamos.

Nulla avis grue vocalior eſt; ideò Ezechias in morbo ejulans cum grue confertur.

Kore, cujus mentio fit in Scriptura, non ſignificari perdicem, ut hactenus creditum eſt, ſed ruſticulæ vel gallinaginis genus Bochartus probat. Ex iis quæ de hac avi innuuntur in ſacro Codice (1. *Reg. cap.* 26. *v.* 20.) colligere eſt avem eſſe montanam. A Græcis Interpretibus redditur nicticorax, ſed huncce locum aliter quàm nunc habet textus Hebræus, illi legebant. Græcus & Latinus Interpres Jeremiæ (*Cap.* 17. *v.* 11.) perdicem reddit, quam plerique ſentiunt aliena ova ſuffurari & fovere, & pullos ex iis natos ſibi vindicare tanquam ſuos.

Coturnices alioqui notæ, ideò celebres ſunt in Scriptura, quia Deus his pavit Iſraelitas, in quorum caſtra vento excitato complurimas immiſit. Aves ſunt migratoriæ, quas ut aquilones autumno à nobis avehunt, ita auſtri vere ad nos revehunt. Miram eſſe ubertatem coturnicum in Arabico ſinu aſſerit Joſephus. Cùm advolant in Italiam, ut Plinius adſtruit, harum

harum numero aliquando merguntur navigia, dum illæ velis inſidunt. Non incredibile ergo tantam coturnicum copiam immiſſam fuiſſe in caſtra Iſraelitarum.

De gallo & gallina in Scriptura mentio fit; quid autem de illis dicere poſſem, priùs ignotum?

Aves *thouciim*, quas claſſis Salomonis ſingulis trienniis advehebat, ſunt pavones, juxta plurimos Interpretes. Alii volunt eſſe pſitacos. Non prætermittendum ſilentio vocem *tſippor*, quæ quaſvis aves ſignificat, accommodari à vulgato Interprete paſſeri; ſive quod textus originalis dicit de *tſippor*, id eſt, de omni avi, intelligit de paſſere; ut *tranſmigra in montem ſicut paſſer* (*Pſ.* 10. *v.* 1.) id eſt, ſicut avis. Ita ubi in Vulgata pro leproſo offerendi erant paſſeres, intelligi poſſunt quæcumque aves mundæ.

VI.

De immundis avibus.

Immundas aves eodem ordine proponam, quo Moſes de illis differit in Levitico (*Cap.* 11. *v.* 13.) & in Deuteronom. (*Cap.* 14. *v.* 2.) Prima omnium eſt aquila, rex avium, roſtro & unguibus inſignis. Pennas in aquilis renaſci inſinuat Scriptura non uno in loco, ut *renovabitur ut aquilæ juventus tua* (*Pſal.* 102. *v.* 5.) Alas aquilæ commendat Scriptura à magnitudine. His rapidiſſimè fertur, & ſummo impetu, maximè cùm in prædam ruit. Nulla alia avis ſublimiùs ſeſe effert; & huic proprium eſt ut maximo ſit affectu erga pullos ſuos, quos dorſo ſuo excipit, dum addocet volare, & illi ſe credere cœlo non audent.

In cenſu immundarum avium *peres* eſt ordine ſecunda. Græci & Hieronymus reddunt *gryphum*. Bo-

Digitized by Google

chartus vult eſſe ſpeciem aquilæ, quæ oſſifraga appellatur, ut putat à verbo Hebræo *paras*, id eſt, *frangere*, undè factum eſt *peres*.

Ozniias in immundis avibus tertia eſt; *halieatus* Græcis, B. Hieronymo & pluribus aliis. Bochatro *Melaneatus* eſt, ſive *valeria aquila*, quæ robuſtiſſima eſt.

Daa avis, quæ & *Raa* ſcribitur, juxta Hieronymum & alios, milvus eſt. *Aja* vultur eſt. Speciem verò accipitris eſſe mavult Bochartus, qui *daia*, milvum Hieronymo, habet pro vulture nigro. Vultures aves ſunt gregales.

Corvi nigredine ſua ſunt conſpicui. Nemini ignotum hos veſci cadaveribus, Pullos ſuos robuſtos expellunt nido, qui deinceps victum ſibi quærere coguntur. Ad hoc potuit alludere Pſaltes (*Pſal.* 146.) cum canit *qui dat jumentis eſcam ipſorum*, *&* *pullis corvorum invocantibus eum:* in fonte, *qui clamant*; nempe clamor ob neceſſitatem emiſſus petitionem imitatur. Corvi habitant loca deſerta; ideò his uſus eſt Deus paſcendo Eliæ, dum moraretur in deſerto.

Bath-jaana eſt alitis genus amans ſolitudinem, cujus vox triſtis & feralis. A Græcis Interpretibus quandoque redditur *ſiren*; ſed ut plurimùm *ſtruthio*. Bath-jaana fœminam credit Bochartus, cujus mas dicatur à Moſe *Thachmas*. Hieronymus verò & Græci *Thachmas* interpretantur *Noctuam*. Avium porrò nulla eſt, quæ nomine impietatis tam malè audiat quàm *ſtruthio*. Cæteris ova fovere & pullos educare curæ eſt: hæc ova ſua, ut Job (*Cap.* 39.) narrat, derelinquit in terra, ut in pulvere calefiant (Africana autem avis eſt) nec cogitat futurum ut illa pes conterat, & agri beſtia comprimat. Duram ſe exhibet erga pullos ſuos, ac ſi non eſſent ſui. Proinde Jeremias (*Lament. c.* 4.) ſimilis immanitatis à ſtruthione ſumit exemplum. Harum avium alacritas ex

alis

alis tota pendet; quamvis enim ad volatum ſint iis inutiles, tamen illas dum currunt mirè juvant, & ſunt tanquam vela in navi. Indè Job (*Cap.* 39.) in fonte Hebræo dicit *ſtruthionem exultare alis*. Nulli alteri avi in pennis tanta pulchritudo, quibus milites galeas ſuas ornant. Struthio avis procera eſt. Quando ſurgit, ſuperat equum & ſeſſorem ejus. Collum habet longiſſimum, & ſpeciem mixtam ex avibus & camelis. Ex camelo enim collum & pedes ſumpſit; ex ave roſtrum, alas & plumas.

Sachaph Græci, Hieronymus & alii explicant larum, vernaculè *movette*, ital. *falaga*.

Nets, id eſt, accipiter; ita enim reddunt omnes Interpretes ſummo conſenſu.

Chos nomen avis, aliis nicticorax, aliis upupa, aliis noctua, aliis bubo videtur. Nocturnæ autem aves ſunt noctua, bubo ulula, pro quo nomine *ulula* potuit facilè irrepere in Vulgatam *Upupa*. Nocturnæ illæ aves tam ſunt inter ſe ſimiles, ut paſſim à Scriptoribus promiſcuè ſumantur. Nomen illud *chos* derivari poteſt à verbo quod ſonat *latere*. Aves nocturnæ per diem latitant. *Chos* etiam Hebræis ſonat vaſis quoddam genus, Avis autem eſt Latinis & Græcis dicta onocrotalus, cujus in faucibus ineſt alterius uteri genus. Huc omnia congerit; mox perfecta rapina, ſenſim indè in os revocat, ruminantis modo. Vocem habet valdè abſonam; proindè Græcis dictus eſt *ὀνοκρόταλος onocrotalus*, quòd collum in aqua mergens, ſpiranſque, veluti ruditum aſini edat.

Salach à Græcis redditur *cataracte*. Avis eſt certæ ſpeciei, cui peculiare eſt hoc nomen. Solet ex alto in aquas ſe dejicere; undè ſuum nomen habet. Veſcitur piſcibus. Hieronymus *ſalach* interpretatur *mergulum*.

Janſuph, de qua Iſaias (*Cap.* 34. *v.* 11.) redditur

Digitized by Google

ibis à Græcis Interpretibus & ab Hieronymo. Bochartus putat eſſe bubonem; tum quia Iſaias dicat *Janſuph* repetiti in Idumæa: Ibis autem avis eſt Ægyptia, quæ extra illam non vivit; tum etiam quia *Janſuph* videtur deducendum à *Neſeph*, quod crepuſculum & tenebras ſonat. Prædicabat Iſaias Idumæam fore deſertam. Deſerta autem, inquit Plinius, bubo incolit, nec tantum deſolata, ſed dira etiam & inacceſſa, noctis monſtrum. Idem Plinius inter aves inauſpicatas corvum & bubonem numerat; quas aves Iſaias dicto loco conjungit.

Thinſemeth, vox ipſiſmet Hebræis valdè ambigua. Nam in Levitico (*cap.* 11. *v.* 30.) eſt inter lacertorum ſpecies; at ejuſdem capitis verſu decimo octavo, avis immundæ genus eſt. Græci *porphiriona* explicant, avem aquaticam, ſic dictam à colore roſtri & pedum. Hieronymus interpretatur cygnum. Bochartus cum aliquibus Rabbinis putat eſſe noctuam, cujus inſolita forma reliquæ aves obſtupeſcunt. Vocem *Thinſemeth*, acceptam in hac ſignificatione deducunt à verbo Hebræo *ſamam*, quod *mirari* ſignificat.

Kaath in Pſalmo centeſimo primo Græcis eſt pelicanus, & Hieronymo, quamvis alibi reddat onocrotalum. Etymon hujus vocis *Kaath* eſt verbum *Kaath*, id eſt, *vomere*. Pelicanus conchas jam abſorptas revomit, poſtquam calore ventris apertæ ſunt, ut ex iis eſculenta legat. Ardearum generi adnumeratur pelicanus, qui & congener eſt onocrotalo, de quo ſuprà diximus, exponentes quid ſit *chos*. Has duas aves *chos* & *Kaath* conjungit Pſaltes loco allegato; ubi ratione planctuum ſuorum & gemituum, his duabus avibus ſe confert. Conſtat Ardeæ eſſe genus, quæ *Butaurus* vulgò dicitur, quæ boum mugitus imitatur, caput immergens aquis, & ſpirans, quod & onocrotalos facere vidimus.

Racham mentio fit in Deuteronomio (*cap.* 14. *v.* 17.)

Græcis

Græcis & Hieronymo eſt cignus. Bochartus ex Arabica lingua probat *Racham* eſſe vulturis ſpeciem, qui vultur non multùm aquilæ diſſimilis.

Haſida multis in locis Hieronymus milvum reddit cum Symmacho. Septuaginta Græci Interpretes & Vulgatus interpretantur *Herodiam* vel *Herodionem*, id eſt, ardeam, quæ eſt avis aquatica, cujus aliqua ſpecies non diſſimilis ciconiæ. Nomen *Haſida*, quod ſonat miſericordiam & benignitatem, convenit ciconiæ, quæ dicitur pia erga parentes, quos alit ubi ſenuere. Licèt autem ardea & ciconiæ ſint aves aquaticæ, tamen in celſis locis nidulantur. Ciconiæ ſunt aves migratoriæ, quæ certo anni tempore adveniunt; undè laudantur in Scriptura, quòd tempora ſua noverint; & quia alæ illarum ad volatum inſtructiſſimæ ſint.

Anapha redditur in Vulgata *charadrion*; cui avi nomen fecerunt χαράδραι, id eſt, hiatus prope amnes & torrentes, in quibus nidificat hæc avis. Bochartus ex nomine Hebræo *Anapha* avem eſſe iracundam colligit; & ideò putat ſpeciem aliquam aquilæ eſſe. *Anaph* idem Hebræis ſonat quod *iraſci* Latinis. Alii interpretantur ardeam, milvum.

Dukiphath Græci & Latinus Interpres explicant upupam, quæ & alio nomine vocatur gallus ſylveſtris, aut gallus ſaxatilis. Syris *dik* eſt gallus, & *cepha* petra; undè factum nomen *dukiphath*. Ideò autem *upupam* immundam habitam veriſimile eſt, quia nidum facit ex humano ſtercore, quo nempè pro luto illinit nidum ſuum; præterquam ex cæno & ſordibus paſtum petit.

Atalleph, trajectis litteris *Aphtalel*, id eſt, avis tenebrarum, nempè veſpertilio, qui veſpere tantùm ſe ad volatum noctis præparat. Alæ ejus pellitæ. Lacte nutrit quos generat; ideò naturæ ambiguæ; medium locum tenet inter aves & quadrupedes. Ut ab

aqui-

aquila regina avium incepit Moyſes, ita in veſpertilione deſiit.

Phœnicis avis nulla fit in Scriptura mentio. Attamen ſunt qui memoratum contendunt à Job in capite XXIV. verſ. 8. ubi in Vulgata eſt: *in nidulo meo moriar, & ſicut palma multiplicabo dies meos*. In verſione Græca: *ætas mea feneſcet ſicut truncus φοίνικος palmæ, multo vivam tempore*. In fonte autem Hebræo: *& apud meum nidum expirabo: & ſicut arenam multiplicabo dies*. Nomen Hebræum ſignificat quidem *arenam*; ſed Judæi volunt hic accipiendum pro phœnice ave, quæ producit vitam in mille, ut inquiunt, annos.

VII.

De ſerpentibus.

Ephe videtur eſſe vipera, cujus morſus vaſtiſſimis etiam belluis ſunt lethiferi. Vivipara eſt. Cæteri ſerpentes ova pariunt; ſed animal parit ſola vipera: verùm, ut teſtantur Scriptores, ubi ova intra ſe peperit mox animalia gignit. Quia in Scriptura vix quidquam de una ſpecie ſerpentum dicitur, quod non ſit omnibus commune, indè fit ut Interpretes non ſibi conſtent, dum nomina Hebræa interpretantur. Ergo viperæ nomen potuit patere latiùs, atque indè fieri quòd vocem *ephe* in tam diverſa ſignificata diſtribuunt Interpretes. Conjicit Bochartus voces *chephir* & *ſachal* non ſolùm leonum, ſed & ſerpentum eſſe nomina. *Achſub* eſt aſpis. Illa ſe contorquet, & deſcribit ſinuoſa volumina, ex quorum veluti centro pugnat, caput attollens; ideò quia ſpiris ſuis efficit quaſi aſpidem, id eſt, clypeum rotundum, aſpis dicitur. De hac in Pſalmo CXXXIX. dicitur quod habet venenum ſub labiis; quod verum eſt de vipera, quæ circa dentes

tes habet veſicas plenas ſucco, quem infundit in vulnus, quod mordendo infligit. *Pethen* etiam Interpretes explicant aſpidem. Immedicabilem eſſe aſpidis morſum aſſerunt; undè Pſaltes canit (*Pſal.* 13. *v.* 3.) *Venenum aſpidum ſub labiis eorum*, nempè lethiferæ criminationes. Surdam eſſe aſpidem falſum; ſed aures obturare, ut vim incantationis prohibeat; antiquitùs creditum: locus autem Pſalmi 57. de aſpide obturante aures ſuas ſic intelligi poteſt, ut ille ſerpens non magis incantantium carminibus afficiatur, quàm ſi vel ſurdus eſſet, vel auribus obtuſis. Magos olim carminibus ſuis ſive certis vocibus vim nocendi ſuam eripere potuiſſe ſerpentibus certum eſt; ſed illis quandoque ars non cedebat: tunc magis timendi ſerpentes. De tali ſerpente, cujus venenum non poſſet incantationibus extingui, loquitur Pſaltes. Tales illi de quibus Jeremias (*cap.* 8. *v.* 17) *Mittam vobis ſerpentes regulos, quibus non eſt incantatio.*

Tſeboa eſt ſerpens varius, quem hyænam vocarunt Græci & Ægyptii: etenim vox illa Hebræa propriè *tinctum* aut *pictum* ſonat; ut ſerpens alius eſſe non poſſit, quàm qui variis coloribus diſtinctus eſt. Quam *vallem Seboim* appellat Vulgatus Interpres (1. *Reg. c.* 13. *v.* 18.) alii dicunt *vallem ſerpentium*, qui *Seboim* dicuntur, nimirum Hyænarum,

Tſimaon, quod nomen occurrit in Deuteronomio (*cap.* 8. *v.* 15.) redditur Hieronymo *dipſas*, qui ſerpens genus eſt viperæ; ſed hoc-ce nomen *Tſimaon* non eſſe Dipſadem, ſive nomen animalis, ſed ſiticuloſum locum probat Bochartus.

Tſepha vel *tſiphoni* eſt Regulus vel Baſiliſcus, qui non ſolo morſu, ſed viſu & ſibilo nocet.

Kippoz, cujus meminit Iſaias (*cap.* 34. *v.* 15.) redditur à Græcis, ab Hieronymo & pluribus aliis *Herycius*; ſuadente ſcilicet ſoni vicinitate, quia *Kippoz* non multùm differt à *Kippod*, quod apud Hebræos nomen

nomen eſt *Hericii*. Bochartus contendit eſſe ſerpentem *Acontiam*, ſive *jaculum*; nam nomen Hebræum ſignificat rem ſubſilientem, qualis eſt ſerpens *jaculus*, ſic dictus quia jaculorum inſtar impetu fertur.

Sephiphon eſt *ceraſtes* & *Hæmorrhous*. Ceraſtes latet in arenis, aut etiam in rotarum orbitis, prope viam, ut indè viatoribus inſidietur. Huic ergo ſerpenti Jacob aſſimilat filium ſuum Dan (*Gen.* 39. *v.* 17.) *Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita, mordens ungulas equi, ut cadat aſcenſor ejus retro*. Ceraſtæ arenam colore referunt; ut vix dignoſcantur, & plerique imprudentes illos calcent. Hæmorrhous autem non abſimilis eſt ceraſtæ, uterque ſpecies viperæ: utrique color arenoſus & maculoſus; etiam cornua habet, ut ceraſtes. Quin à cornibus ſuis Græci denominant.

Saraph eſſe Hydrum & cherſydrum, à quibus morſi Iſraelitæ aſpectu ænei ſerpentis ſanati ſunt, veriſimile eſt. Latinus Interpres & alii intelligunt *ſaraph* eſſe ignitum ſerpentem, quem Græci *Preſterem* ſive *cauſonem* appellant, vel propter igneum colorem, vel quia urit veneno ſuo. Scilicet poſt morſum *Preſteris*, ſtatim per membra ſparguntur puſtulæ urentes: Morſis accidit tumor, & dolor continuus & ardens. Hæc conveniunt hydro, qui habitat in paludibus; quæ cùm exſiccatæ ſunt, & in ſicco degere cogitur, fit *cherſydrus*, id eſt, hydrus *ἐν χέρσῳ in ſicco* degens: tunc verè eſt *ſaraph*, id eſt, *ardens*. Loquitur Iſaias de *ſaraph* volante ſive alato. Memorant authores in Ægypto ſerpentes pennatos, qui hydrorum ſpeciem habeant. Conſtat certis teſtimoniis alatos ſerpentes reperiri, quibus pennæ inſunt, quales veſpertilionibus. Tales potuit Deus immittere in Iſraelitarum perniciem. Ideò autem Deus formam horum ſerpentium ardentium ære juſſit exprimendam, quia æs maxime in Oriente ignitum ſive fulgidum erat, & ideò idoneum ignitis ſive ardentibus ſerpentibus exprimendis.

Plutar-

Plutarchus in libro VIII. Sympoſiorum quæſtione IX. mentionem facit morbi, quo videntur ægrotaſſe Iſraelitæ læſi à ſerpentibus. *Maris rubri incolæ affectionibus novis & nunquam auditis tentati ſunt. Nam dracunculi quidam parvi crura & brachia edentes eruperunt, qui ſi tangebantur, ſtatim emergebant, atque muſculis infixi minimè tolerabiles inflammationes pariebant.*

Thannin duo ſignificat, nempe *Draconem* & *Cetum*, ac ſi cetus ſit draco marinus. De quovis ſerpente interdum hoc nomen uſurpatur. Porro Dracones à ſerpentibus mole præſertim differunt. Viſos Dracones longitudinis pluſquam ſexaginta cubitorum hiſtorici aſſerunt.

VIII.

De inſectis animalibus.

Locuſtæ decem nomina habent in Scriptura. Primùm appellantur *Arbe*, nempè à copia, cùm nullum animal ſit fœcundius. Derivatur *Arbe* à *raba*, id eſt, multum. Secundùm locuſta dicitur *Gob*, à verbo *gab*, quod apud Arabes ſonat *è terra emergere*, ſeu *ſcaturire*. Locuſtæ cùm pariunt, primùm fiunt vermes ovorum ſpecie, qui terra quadam prætenui tanquam membranula ambiuntur, unde evolant: Tertium locuſtæ genus dicuntur *Gazam*, à voce *gazaz*, quod *tondere* eſt & *abſcindere*; præacutis enim ſuis dentibus non ſolùm gramen, ſed & ſegetes atque arborum tenuiores ramuſculos ita corrodunt, ac ſi amputarent. *Gazam* autem interpretatur Hieronymus *Erucam*. Quartum locuſtæ genus nominatur *Chagah*. Quintum *Chanamal*. Sextum *Chaſil*, à verbo *chazal*, quod *conſumere* ſignificat. Septimum *Chargol*. Derivat illud Bochartus à verbo Arabico, quod ſonat

ſonat *longa ſerie ſerri*. Non ſemel locuſtarum examina integros Poloniæ tractus devaſtarunt. Octavum *Jelek* è *lingendo*, quia lingua ſua lingit ſata & fruges. Nonum *Solam*. Chaldaicè autem *ſolam* eſt *vorare*, *abſumere*. Decimum *Tſelat-ſal*, à *tſallal*, quod eſt *tinnire*, nempe ab alarum ſtrepitu; vel à *tſellel*, *umbra*. Tanta locuſtarum examina per aerem viſa ſunt volitare, ut diem eriperent. Attamen in Deuteronomio (*Cap.* 28. *v.* 42.) *Tſelatſal* redditur à Græcis ἐρυσίβη, à vulgato *Rubigo*.

Hæc decem locuſtarum nomina indicant diverſas ſpecies, ut ex Joelis (*Cap.* 1. *v.* 4.) textu originali patet ubi reſiduum *Gazam*, comedit *arbe*, & reſiduum τοῦ *arbe* comedit *Jelek*, & reſiduum τοῦ Jelek comedit *chaſil*. In Levitico (*Cap.* 11.) quatuor numerantur locuſtarum ſpecies, nimirum *arbe*, *jolam*, *chargol*, & *chagab*; quibus omnibus hoc commune eſt, quòd ſunt alatæ & quadrupedes, & ad eſum conceſſæ. In vulgata noſtra occurrit non rarò *bruchus*, qui ſpecies eſt locuſtæ, à Græco βροῦχος, quod nomen Græcum fit à verbo βρύχειν, quod ſonat *edere*. Etiam in Vulgata inter ſpecies locuſtarum numeratur *Attacus* & *ophiomachus*, id eſt, *pugnans cum ſerpentibus*. Porrò locuſtæ tanto volant pennarum ſtridore, ut alites eſſe credantur; unde Joannes in Apocalypſi (*Cap.* 9. *v.* 9.) *vox alarum earum*, loquitur de locuſtis, *ſicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum*. Quid locuſtis innumerabilius & fortius, quibus humana induſtria reſiſtere non poteſt? Tanto ordine volitant, ut ne puncto quidem ungueve tranſverſo declinent. Hoc nuper in hac Provincia Palæſtinæ vidimus, verba ſunt B. Hieronymi. Ex iis intelligere eſt quantùm potuerint nocere Ægypto locuſtæ, quas Moſes excitavit. Ventorum autem impetu earum examina huc vel illuc impelluntur, Deo ordinante, qui illis inſectis plerumque uſus eſt ad edoman-

edomandos hoſtes ſuos. Inter locuſtas plures mundæ ſunt, ut diximus, & his-ce plerique populi in Oriente etiam tunc temporis veſcuntur. Ergo Joanni non fuit peculiare, quòd locuſtis & agreſti melle, ſed quòd cibis uteretur, iiſque fortè oblatis. Plurimum de locuſtis ſermonem fecimus, quia creber de illis in ſacro Codice ſermo.

De muſcis pariter loquendum; quarum ſeptem ſpecies in Scriptura numerantur. 1. Muſca propriè dicta. 2. Apis quæ mel & ceram conficit. 3. Veſpa & crabro; ſola enim magnitudine differunt; crabro major; utriuſque aculeus timendus, venenum enim in vulnus infundunt. 4. Oeſtrum ſeu aſilus. Solet genus illud muſcæ agitare boves, equos, & alia animalia. Bos perculſus œſtro non ampliùs ſui compos eſt: omni jugo excuſſo in devia fertur, tanquam rabie percitus. 5. Canina muſca, Græcè *κυνόμυια cunomia*, quæ cenſetur inter muſcarum ſpecies. Sed B. Hieronymus vult legi in Græca verſione *κοινόμυιαν cenomiam*, quaſi dicat omnem muſcam, aut mixturam muſcarum. In fonte Hebræo eſt vox *arob*, quæ idem ſonat ac *colluvies*, *mixtura*; ideò vulgata habet non *cunomiam*, *cenomiam*. 6. Culex, quem tuba & lancea eſſe armatum Tertullianus eleganter dicit. 7. Sciniphes, qui ſunt paluſtres culices. Mirum eſt quòd hujuſcemodi beſtiolis utatur Deus, ut vindictam repetat ab hoſtibus ſuis. Sic cunomias, id eſt, muſças canes, vel cœnomias, id eſt, colluviem muſcarum immiſit in Ægyptios. Quæ verò beſtiolę dicuntur in Vulgata noſtra *cinipbes* vel *ſciniphes*, quibus affecit Deus Ægyptios in fonte *cinnim* (*Exod. cap.* 8. *v.* 17.) à pleriſque non habentur pro muſcis, ſed pro pediculis, quibus vilibus & contemptis animalibus caſtigatos voluit Ægyptios, inquit Philo. Pediculos non ſolis hominibus, ſed & pluribus aliis animantibus adhærere certum eſt.

Puli-

Pulicis & mentionem facit Scriptura, cui ſe comparat David, ſe vilem homuncionem dicens (1. *Reg. cap.* 24. *v.* 15.) De his-ce inſectis & cæteris nihil dici poteſt quod ignotum ſit. Notæ formicæ, & nota ſapientia earum, in paranda annona æſtatis tempore, pro ventura hieme. Conſpicua aranearum in texendis ſuis caſſibus ad capiendas muſcas ſolertia. Caſſes autem ſive fila aranearum, quæ retinent muſcas, ſed à veſpis perrumpuntur, rem nullius pretii indicant. Quis ignorat & quandoque non expertus eſt à tineis pannos erodi & conſumi? Tinea eſt vermis: verminum autem ſpecies diverſæ; alii animantibus mortuis, alii arboribus etiam vivis inhærent. Scorpio in cauda aculeum habet, quo cutem aperit, & eadem plaga venenum diffundit. Corpus ejus figura eſt ovi, in quo caput ita conditum eſt, ut vix emineat.

IX.

De aquaticis animalibus.

Supereſt ut de animalibus, quæ vivunt in aquis ſermo à nobis fiat; & ille brevis, quoniam de paucis aquaticis animantibus agat Scriptura; & ea tantùm attingamus, quæ non vulgo nota ſunt. Cui autem ignotæ ranæ; & ex iis quæ centies expertus eſt in illis, ſine ulla alia doctrina, non percipiat clarè quæ narrat facer Codex de ranis, quas Deus excitavit è flumine Nilo, & in Ægyptiorum penetralia induxit?

Cùm Matthæus (*cap.* 12. *v.* 40.) dicat Jonam fuiſſe in ventre ceti, non decet intelligere cetum propriè dictum, quales Balæna, vel Priſtis, aut Phyſeter, quæ ut ut vaſtæ belluæ, tamen gulæ meatus habent ita anguſtos, ut ſolidum hominem deglutire haudquaquam poſſint. Quin Thomas Bartholinus Danus aſſerit ba-
lænas

lænas nec in mari Mediterraneo, nec in mari Perſico reperiri: & omnes balænæ, quæ in Gronlandia noſtra, inquit ille, & Islandia capiuntur, cujuſcumque generis, etiam inuſitata corporis mole, vaſtoque capite, ex cujus lingua ſola decem octo tonnæ adipis exprimuntur, tam anguſtas tamen fauces habent, quæ vix brachium hominis capiant. Proinde ceti nomine piſcem aliquem è cetaceis intelligi ſatius eſt; nempe piſcis magnus erat, qualis canis marinus, cujus tria ſunt genera; atque ex iis quidam ſunt tantæ magnitudinis, ut cetis robuſtiſſimis meritò accenſeantur. *Charcarias* alii vocant, ab aſperitate dentium & acumine: alii *Lamias* & *Lamnas*, à gulæ vaſtitate λαιμὸς *gula*. In horum ventriculo loricati homines integri reperti ſunt. Citatus Bartholinus vidiſſe teſtatur exuvias *Charcariæ* longiores vicenis pedibus. Ego ipſe vidi caput *charcariæ*, cujus rictus ita amplus erat, ſive fauces habebat tam patentes, & tam latum œſophagum, ut facilè hominem deglutire potuerit.

Apud Iſaiam (*cap.* 27. *v.* 1.) mentio fit *Leviathanis* ſerpentis, quem Propheta *Vectem* vocat. Bochartus conjectat eſſe *zygænam*, qui piſcis gerit in capite jugum tranſverſum librile; undè nomen Græcum. Quia verò pariter videtur habere formam mallei, dicitur & *piſcis malleus*. Leviathanis nomine appellantur piſces cetacei ſive magni, etenim magni piſces *cete* appellantur. Itaque de Zygæna potuit loqui Iſaias; quem piſcem vocant *vectem*, quia ejus caput inſtar eſt vectis tranſverſi.

Cùm Tobias in Tigri flumine ablueret pedes ſuos, in ſe irruentem piſcem vidit, quem excitatus voce Angeli comitis arripuit, & in ſiccum traxit; & carne ejus ſale condita, cibos in decem dierum ſibi & Angelo paravit, ſervato corde, cujus fumo dæmonium pelleret, & felle, quo albugines ex oculis patris abſtergeret. Bochartus ſentit piſcem illum fuiſſe *ſilurum*,

qui inter piſces amnicos ratione molis, roboris & audaciæ facilè primas obtinet. Immenſa ſcilicet eſt huic voracitas, rictus oris maximè patens, labia aſpera in limæ modum. Omne animal appetit, demergit natantes equos; ut non mirum ſit ſi inſurrexerit in Tobiam, & ille ad aſpectum ejus expavevit. Carnes Siluri ſalitæ ſufficere potuerunt in viaticum. Fel ejus adhiberi ad oculorum cicatrices, ſuffuſiones & alias hebetudines medici ſcribunt. Suffitu quorumdam piſcium dæmones pulſos, ſunt qui adſtruant.

Sic *Behemoth* & *Leviathan* deſcribit Job (*cap.* 40. *&* 41.) ut appareat eſſe beſtias vaſtæ molis. Undè factum, ut plerique putaverint *Behemoth* eſſe elephantem: & *Leviathan*, balænam. Bochartus putat *behemoth* eſſe hippopotamum, & *Leviathan* crocodilum. Utrumque conjungit Job. Nomen *behemoth* ſignificat belluam majoris molis, qualis eſt hippopotamus, vivens in aquis & in terra: depaſcitur enim frumentum & fœnum; ideò Job de eo dicit, *fœnum ut bos comedit:* addit virtutem ſive robur ineſſe umbilico ventris ejus. Neque enim telis trajici poteſt pellis ejus. Oſſa illi firma ſunt. Talis deſcriptio convenit hippopotamo. Deus applicavit illi, inquit Job, gladium ejus. In fonte *Hereb*; undè facta vox Græca *ἅρπη*, latina *Harpe*, quæ ſignificat gladios leviter curvatos, & falcibus ſimiles. Dentes autem exertos habet, molliter flexos, acutos, prælongos, quibus tanquam *Harpe* vel enſe curvato in modum falcis fruges demetit & corrumpit. Ideo à Græcis tribuitur illi *ἅρπη Harpe*. Non timet fluvios, ut de eo dicit ſacer Scriptor; videlicet qui & ſub aquis vivere poſſit ſaltem diu. Capitur dolo: circa cubile ejus foſſa excavatur, quæ obtegitur cannis & arena; ibi latet arca in quam bellua decidens includitur. Hoc eſt quod dicit Job, *In oculis ejus quaſi homo capiet eum.*

Leviathan & *Thanin* promiſcuè ſumuntur ad ſignifican-

ficandos dracones, quorum formam & flexum aliquo modo referunt, tum quoſcumque magnos piſces, phocas, lamias, quorum aliqui mammas habent, & lactant parvulos ſuos, ut ſupra vidimus. Crocodilum autem & Leviathanis nomine deſcribi in loco allegato Job, opinatur Bochartus. His quæ diximus de crocodilo addam, quòd ſit quadrupes, lacerto viridi non multùm diſſimilis: linguam habere breviſſimam, & adhærentem maxillæ inferiori; ideò ab aliquibus elinquis dictus eſt. Rictum habet immanem: pellem ſquammis horrentem & duriſſimam. Mole ſua & robore ſtupendus. Noſtri inſtituti non eſt verba ſingula quibus Job crocodilum ſive leviathanem deſcribit, expendere.

Sanguiſuga, quæ inter aquatica animalia numerari poteſt, nullam in Scriptura fieri mentionem contendit Bochartus. Notat eam dici ab Hebræis *alaka*; & nomen *aluka*, quod reperitur in Proverbiis (*cap.*30. *v.* 15.) & ab Interpretibus *ſanguiſuga* explicatur, eſſe intelligendum de fato, ſive de eo quod appenſum eſt unicuique ex decreto Dei; quo modo Arabes ſumunt illam vocem. Salomon ait in Vulgata: *ſanguiſugæ duæ ſunt filiæ, dicentes affer, affer.* Quas filias ſanguiſuga habeat vix concipitur; verùm decreti divini duæ filiæ ſunt, infernus & perditio, quæ numquam implentur, ut loquitur idem Salomon (*Prov. cap.*27. *v.*20.)

X.

De animalibus dubiis vel fabuloſis.

Ut ſaltem brevi ſermone perſtringam omnia quæ Bochartus fuſo & docto opere perſecutus eſt, ſubjiciam quæ habet de dubiis & fabuloſis animantibus. In Deuteronomio (*cap.* 14. *v.* 5.) in fonte nominatur quoddam animal akko. Græca & Vulgata verſio red-

dunt *Tragelaphum*, id eſt, hircocervum. Plerïſque viſum eſt fabuloſum animal; ſed oculati teſtes Pariſiis & in Germania ſe vidiſſe referunt.

Gryphes aves auritas, quadrupedes, roſtro & alis aquilæ, lupi vel pardi corpore, leonis unguibus, finxit antiquitas & ipſa exploſit. Tamen nominantur Gryphes in Levitico & in Deuteronomio. Vocem Hebræam *Peres* Græci verterunt γρύπα, ſed veriſimile eſt eos intellexiſſe γρυπαίετον *gryphaquilam*, nempè ſpeciem aquilæ, cujus naſi vel roſtri notabilis eſt aduncitas. Sic illi Interpretes fictitias illas gryphes neutiquam nobis proponunt credendas.

Raa vel *Daa* avis in immundarum avium cenſu ponitur. Vulgatus (*Deut. cap.* 14. *v.* 13.) ponit *ixion*, cujus nominis nulla eſt avis. Bochartus, mutato literarum ordine, legendum putat non *ixion* ſed *oxyn*. Avis autem eſt quæ Græcè dicitur ὀξὺς, quæ viſu pollet & volatu. *Raa* idem eſt ac *vidit*. Quæ avis in Deuteronomio *Raa* appellatur, in Levitico dicitur *Daa*, quod verbum ſonat *volavit*.

In Græca verſione Job (*cap.* 4. *v.* 11.) fit mentio *Mirmecoleontis*. Putatum eſt id animal eſſe ſpeciem Scarabæi, qui infeſtus eſt formicis; undè appellatur *formica-leo*. Sepelit ſe arena, & dum formicæ tranſiliunt, prodiens ab inſidiis eas necat, & his ſe paſcit. Verùm de illo animalculo nec cogitabant Græci Interpretes. In fonte eſt *laiſch*, quod nomen proprium eſt leonibus quibuſdam; inter quos conſtat aliquos dictos *mirmecoleontes*. Vocem *laiſch* de leonibus Vulgatus Interpres explicat.

Conſtat phœnicem avem, quæ per mille annos vivat, & ipſa ſuis ex cineribus renaſcatur, figmentum eſſe. Verùm quia φοῖνιξ nomen hujus avis, & cujuſdam arboris eſt, nempe palmæ, qui ſeptuaginta Senes vertere in Latinam linguam, putavere mentionem avis phœnicis fieri; ſed agitur de patria arbore, quæ

φοῖ-

φαῦνος dicitur. Vulgatus Interpres in hunc errorem non lapſus eſt.

In ipſa autem Vulgata noſtra monſtrorum, quæ fictitia ſunt, nomina leguntur; verùm non proponuntur ut animalia quæ verè exiſtant, ſed tanquam ſpectra *Dæmonum*, in ſolitariis locis apparere ſolita. Vocem *jiim* faunos ficarios interpretatur B. Hieronymus in Jeremia (*cap.* 50. *v.* 39.) quæ ſignificat ſpectra quæcumque terribilia; quales fauni, quibus tribuebant Romani terrores panicos, & quæcumque alia ſpectra, quæ varias induentia formas in hominum conſpectu veniunt, & metum ipſis incutiunt. Faunus ſcilicet idem Deus qui *Pan*. Itaque nomine Fauni reddidit Hieronymus vocem Hebræam *jiim*, undè *Eima*, terror, quia nomen illud inderet notionem alicujus terriculi. Cur verò Fauni dicerentur *Ficarii*, non ita liquet. Ficus præter fructum denotat tumores, ulcus durum, calloſum & rotundum, ſive glanduloſas eminentias; quibus opplebatur facies Satyrorum, qui iidem ſunt ac Fauni. Ficarii ergo illi appellabantur, à turpi eorum facie.

Fauni & Satyri finguntur hircipedes & piloſi; Hircus eſt animal hirſutiſſimum. Cùm ergo Ægyptii inter deos hircum retuliſſent, ideò idola & dæmones *ſahirim* appellantur, id eſt, hirci ſive piloſi. In Vulgata noſtra Iſaiæ *ibi piloſi ſaltabunt* (*Cap.* 13. *v.* 2.) id eſt, dæmones, qui in ſpecie hircorum apparuere Beato Antonio.

In verſione Græca & Latina Iſaiæ (*Cap.* 13. *v.* 22.) occurrit Sirenum nomen in iis locis Scripturæ ubi agitur de luctuoſo & ferali in ſolitariis cantu, qualem Ethnici fingebant eſſe Sirenum, quarum cantu illecti nautæ incidebant in ſcopulos. Interpretes nomen illud rei ſignificandæ aptum crediderunt, etiam ſi nullæ unquam extiterint Sirenes, quarum ſcilicet ſuperiora eſſent virginum, inferiora piſcium.

Dubitatur quid ſit *lilith* Iſaiæ (*Cap.* 34. *v.* 14.) Alii putant eſſe avem nocturnam. *Lilith* venit à nomine Hebræo *lil* ſive *lail*, quod noctem ſignificat. Spectri genus eſſe Veteres ſummo conſenſu docent, etſi de ſpecie non conſtet. Senes Græci reddunt ὀνοκενταύρους *onocentauros*, Vulgatus Interpres *lamiam*, qui piſcis eſt. Terrorem quidem poteſt incutere piſcis ille, quia forma ejus extraordinaria. Quoquo nomine exponatur *lilith*, indicare voluit Iſaias rem quæ terrere poteſt, cujus formidine juſtus liberatur. *Non timebit à timore nocturno*, ut canit Pſaltes (*Pſal.* 90.) Onocentauri autem ſunt mixtum animal ex aſino & homine, quale liquet nullum extare, niſi aliquando biformes eſſe partus contingat. Certum enim eſt monſtra generari; ſed illa diu non vivunt. Quid ergo ipſe Vulgatus Interpres uſurpat onocentaurorum nomen, dicto loco Iſaiæ; *& occurrent dæmonia onocentauris*? In fonte vox jam expoſita *Iiim* legitur. Ibi ergo apud Interpretem vulgatum onocentauri nihil aliud ſunt quàm dæmonum ſpectra. Deſcribit Propheta locum ſolitarium & ignotum, in quo facilè percellitur animus inani formidine monſtrorum, quæ plerumque credit metu potiùs quàm viſu. Ibi, inquam, onocentauri ponuntur pro quibuſcumque terrificis ſpectris.

CAPUT III.

De re herbaria, frumentis, leguminibus, arboribus, fructibus & plantis ſacri Codicis.

PLantas omnes, de quibus fit aliqua mentio in Sacris Codicibus, enumerabo brevi ſermone; neque enim de illis plura occurrunt fuſiùs exponenda, ſive quia difficilia ſint, ſive quia ſcitu utilia. Nomine plantarum complector omnes arbores, frutices, fru-

frumenta, legumina, olera, omnem rem herbariam. Notum eſt plantas ſemine provenire, aut plantæ alicujus radice aut propagine, aut avulſione, aut ſurculo, aut inſito & confecto arboris trunco. In Scripturis autem nomen ſeminis latè accipitur pro quocumque principio, ex quo plantæ naſcantur. Significat illud nomen ſupra dictos omnes naſcendi modos. In Geneſi (*Cap.* 1. *v.* 11.) ſic loquitur Deus. *Germinet terra herbam virentem facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus ſuum, cujus ſemen in ſemetipſo ſit ſuper terram.* Ibi ſemen intelligi debet principium illud quo planta ex planta naſcitur, quoquo modo id fiat; ſunt enim arbores, quæ ſemine carent, aut ſaltem ſine ſemine naſcuntur. Quæ autem ſimilitudines in ſacro Codice petuntur ex agrorum cultura, ex ſatione vel inſitione, tam apertæ ſunt, ut nullum operæ pretium eſſet his explicandis immorari. Attamen ſi occurrat quæpiam difficultas circa hæc omnia quæ præſens caput complectitur, licèt concito curſu feramur, non prætermittemus.

Priuſquam ſuſcipiam enumerandas diverſas plantarum ſpecies, præcipuas cujuſque plantæ partes in genere exponam; ex quibus multæ ducuntur ſimilitudines in ſacro Codice. Primùm *radix* eſt ima pars ſtirpis in terra defixa, origo & fundamentum totius, per quam alimentum trahitur & coquitur. E radice *caudex* prodit ſive ſtipes, alimentum in ramos & frondes deferens. In herbis *caulis* dicitur *caudex*. Finditur & funditur in *palmites* ſive *ramos*, qui quaſi brachia ſunt. His innaſcuntur *gemmæ*, *flores*, *fructus*, *folia*, & *ſurculi novellæ plantæ*. In vulgata noſtra ſurculus nominatur *virga*; ut *virga de radice David*, pro ſurculus de radice David. *Stolones* & *propagines* adnaſcuntur velut ſoboles. Hæc nemini ignota ſunt. Ordine alphabetico recenſebo omnes

plantas, de quibus in ſacro Codice mentio fit.

Abies eſt arbor altiſſima, rectiſſimaque, cujus pars inferior enodis: Gallicè *ſapin*, Italicè, *abete*, Hebraicè *beroſch*, Græcâ *ἐλάτη elate;* quod nomen etiam datur à vulgato Interprete trunco cæterarum arborum. In Canticis (*Cap. 5. v. 11.*) *coma ejus ſicut elata palmarum.*

Abſynthium. Herba inſignis amaritudinis, *abſinthe*, *aſſenzio*. Ex hoc amariſſimo frutice Scriptores ſacri paſſim ſimilitudines deſumunt, eaſque impiis accommodant. Sic cùm Deus apud Jeremiam (*Cap.9.*) improbis triſtia, acerba, amarulenta minitatur, ac calamitates denuntiat: *Ecce ego*, inquit, *cibabo populum abſynthio*. Ubicumque Scripturarum abſynthii fit mentio, maximam atque acerbiſſimam calamitatem, animique tormentum inſtare indicatur. Undè ſtella illa Apocalypſeos, qua cadente omnia amaritudine imbuta ſunt appellatur *abſynthium*.

Ahaloth redditur à vulgato Interprete *Aloe*, quæ herba eſt amariſſimi ſaporis. Alii *ahaloth* interpretantur *ſantalum*. Plures ſunt nominis arbores creſcentes in India, quæ diverſi ſunt coloris, Gallicè *des ſantaux*, Italicè *ſandali*. Sed & eſt arbor dicta *aloe*, ſaltem in officinis mercatorum. *Voyez Pomet hiſtoire dres drogues*. Vide Pometi Hiſtoriam Aromatum.

Amygdalus. Arbor, *amandier*, *manderlo*, quæ menſe Januario, aut paulò ſeriùs, ſtatu cœli adhuc rigido, floreſcit. Undè ab Hebræis appellatur *ſchaked*, à verbo *ſchakad*, id eſt, *maturavit*, *advigilavit*; quia ſcilicet inter arbores amygdalus prima flores edit; quò alluſum eſt à Jeremia (*cap.1. v. 11.*) Ubi in Vulgata eſt, *virgam vigilantem video*, in fonte eſt, *baculum amygdali video*. Quemadmodum amygdalus maturat & accelerat florere verno tempore; ſic & Dominus declarat ſe acceleraturum mala inferre populo. Similiter in Eccleſiaſte (*Cap.12. v. 5.*)

cùm

cùm Salomon de ſene agens dicit: *& florebit amygdalus*, ſignificat ſenem canos accelerare ſæpè priuſquam putarat. Incautis enim nec opinantibus obrepit ſenectus. Vel admonetur homo quòd citò albeſcet canitie, quemadmodum amygdalus, quæ candidiſſimos in ſummitate flores producit, ac longè ſe ſpectandam exhibet. Ideò cùm vellet Deus inſigni miraculo oſtendere Aaronem à ſe electum, fecit ut virga Aaronis florem pulcherrimum emitteret, qualem amygdalus. Ex illa enim, turgentibus gemmis, flores emerſerunt, qui foliis dilatatis amygdala protulerunt (*Num. cap.* 17. *v.*8.)

Arborem Hebræis dictam *luz*; quam Judæi habent pro *corylo*, Gallicè *coudrier*, Ital. *Nocciuolo*, Latinus interpres in Geneſi (*Cap.* 30. *v.* 37.) interpretatur *amygdalum*, Græci καρυΐνην, id eſt, *juglandem*; nempe arborem ferentem nuces. Gallicum *coudrier* à nucibus ſuis etiam *noiſelier* dicitur.

Anethum herba boni odoris, *Anet qui reſſemble au fenouil*, italicè *Aneto*, *pianta ſimile al finocchio*.

Arundo, aquaticus frutex, *roſeau*, *canna*. Nutanti eſt cacumine, auraque leviſſima hinc indè impellitur. Ergo fulcire non poteſt, nec præſidio eſſe. In Scriptura dicuntur baculo arundineo inniti, qui ſpem ſuam ac fiduciam collocant in illo à quo fulciri non poſſunt; vel quia ſummitas ejus acuta perforat manum quæ huic innititur. Naſcuntur arundines in locis uliginoſis & deſertis, quæ non coluntur; ita *feræ arundinis* ſunt agreſtes feræ. Facili negotio arundo frangitur; ita fragilitatis ſymbolum eſt: quò autem Iſaias indicet futuram manſuetudinem Chriſti, qui oneri non eſſet, nec pede ſuperbo protereret hoſtes ſuos, dicit (*Capit.* 42. *verſic.* 3.) *calamum quaſſatum non conteret*; calamus autem & arundo ſunt idem frutex. Undè in Matthæo (*Cap.* 12. *verſ.* 20. *arundinem quaſſatam non confringet*.:

adeò

adeò lenis erit inceſſus ejus; id eſt, adeò ſe geret mitem.

Bdellium. Nomen illud reperitur in Latino Interprete, ſicut in Græca verſione; Græcis autem & Latinis eſt arbor nigra, gummi genus exſudans, quod & ipſum bdellium vocatur. Verùm alibi obſervamus Hebræum nomen ***Bedolach*** non arborem aut gummi, ſed gemmam ſignificare.

Borith nomen eſt Hebræum, quod vulgatus Interpres in Jeremia (***Cap.* 2. *verſ.* 22.**) expreſſit tantùm Latinis characteribus; in Malachia (***Cap.* 2. *v.*2.**) verò interpretatur herbam fullonum, id eſt, *ſmegma*; quod nomen eſt Græcæ originis, ſignificans, quidquid emaculat & abſtergit ſordes, Gallicè ***du ſavon***, italicè ***ſapone***. Interpres Vulgatus ***Borith*** accepit pro herba, nempe qualis iſta eſt quæ naſcitur juxta littora maris, vernaculè dicitur ***de la ſoude***, ital. ***ſoda***. Hæc comburitur, & ex cineribus ejus educitur ſal beneficio aquæ. Nimirum hi cineres eluuntur aqua; quæ horum ſale ſeſe imbuit. Imbuta commiſcetur cum oleo vel cum alia materia pingui, in ollis quibus ſubjicitur ignis. Concoquuntur aquæ illæ, & in fumos abeuntibus, cum ſale oleum concreſcit, & conficitur ſapo. Operæ autem pretium eſt advertere fullonem in Scriptura artificem eſſe, qui purganda, polienda veſtimenta accipit. Unde Marcus Evangeliſta (***Cap.* 9. *v.* 2.**) dicit de veſtimentis JESU CHRISTI in Transfiguratione: ***qualia fullo non poteſt ſuper terram candida facere.***

Buxus. ***Arbor*** exigua, ſemper virens, ***bouis***, ***boſſo***. Lignum adeò durum, ut cariem non ſentiat, & tam ponderoſum, ut in aqua ſubſidat. Ita fit ut ſi quid illi inſculpatur, non facilè obliteretur aut exoleſcat. Iſaias (***Cap.* 30. *verſ.* 8.**) à Domino juſſus eſt ſcelera Judæorum deſcribere, atque aſſervare in monumentis publicis. Non definitur in fonte qua ex

ma-

materia Propheta juſſus ſit aſſumere tabulas; ſed quia buxum idoneum erat, ſic loquitur noſter Interpres. *Nunc ergo ingreſſus ſcribe ei ſuper buxum.*

Calamus, idem quod canna & arundo; ſed eſt calamus odoratus, qui eſt arundini ſimilis aſpectu, multis geniculatus nodis, caſiæ ſapore, & tactu mollis, & cùm frangitur ſciſſilis, intus araneoſus, locum in quo naſcitur ſuaviſſimo replens odore. Provenit in Arabia, in India, & in Syria juxta Libanum montem.

Capparis frutex eſt firmioris ligni, ſenticoſus & humilis, cujus flos & baccæ *des capres*, *capperi*, in ciborum condimentis laudantur eo quòd appetitum excitent. Nomen hujus fruticis uſurpat Eccleſiaſtes (*Cap.* 32. *v.* 5.) tempus ſenectutis deſcribens. *Et diſſipabitur*, inquit, *capparis*. Nomen Hebræum ſignificat appetitum ſive appetendi facultatem, quæ in ſenibus elangueſcit, ſimul & dictum fruticem. Senibus autem nec *capparis* reſtituere poteſt appetitum.

Carduus (*) è numero eſt ſtirpium, quæ ſponte atque invitis colonis quandoque erumpunt, aculeis infe-

(*) *Siquidem Verſionibus habenda ſit fides, nuſquam in Geneſi* carduus *reperitur. Occurrit ſane in fonte* דרדר dardar; *ſed hoc genus eſt ſpinarum, quod Interpretes fere omnes* tribulum *vertunt, quibus & Paulus epiſtola ad Hebræos cap. 6. v 8. adſtipulatur. Solum quod ſciam in Bereſchith Rabbah exponitur* carduus. *Locus ab Auctore noſtro heic allegatus in Vulgata ſic legitur:* Maledicta terra in opere tuo, in labore comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ; ſpinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ. In ſudore vultus tui veſceris pane, *quæ ad verbum ex LXX. videntur expreſſa. Cæterum duplici in loco* cardui *meminit Vulgatus interpres: primo bis 4. Reg. cap. 14. ubi LXX. habent voces* ἄκαν, *&* ἄκανα, *tum bis pariter 2. Paralip. cap 25. ubi apud LXX. ſemel & iterum vox occurrit* ἀχχὼχ *græcis litteris ex hebraica* החוח *tranſcripta, quæ quidem in fonte utrobique legitur.*

infeſtæ ac ſementi noxiæ. Quo-circa cùm Deus maledictionem Adamo tranſgreſſori atque ærumnas & vitam laborioſam impendere denuntiat: *maledicta terra*, inquit Geneſ. (*Cap.* 3.) *in opere tuo*, *in ſudore vultus tui veſceris pane tuo*, *ſpinas & tribulos*, *ſentes & carduos germinabit tibi*. Carduorum multæ ſpecies, quæ nullum præſtant commodum, niſi cardui quorum aculei, quibus omnes horrent, cum firmiores ſunt, pectendis pannis ſerviunt.

Carex. Herba acuta & duriſſima, uliginoſis & paluſtribus locis plurima naſcens. Indè fit *carectum*, locus caricibus plenus, quales ſunt ripæ fluminum, puta Nili, in cujus ripa Moyſes expoſitus eſt à parentibus.

Carica. Vide *ficus*.

Cedrus arbor eſt procera, perpetuò virens, folio duro, acuto mucrone, medulla rubente & odorata. Huic æterna materies, cariem non ſentiens; undè claſſibus & domorum tectis ædificandis imprimis eſt idonea. Proverbialiter *digna cedro* dicuntur, quæ promerentur immortalitatem. Sunt qui putant ligna quæ *ſethim* in ſacro Codice dicuntur, eſſe ipſam cedrum. Poma fert ſimilia abietum pomis. *Pomme de pin*, *pine*. Ex cedro defluit reſina.

Cicer. Genus leguminis, Gallicè *pois chiche*, italicè *cece*.

Cocus vel *coccum* frutex eſt habens exiles ramos & folia aculeata, quibus adnaſcitur *coccus* ſeu granum tinctorium, quod colorem rubrum ac rutilantem exhibet aſpectu gratiſſimum. Huic, inquam, frutici parvo & ſurculoſo grana ut lentes adnaſcuntur; quæ ſcatent intùs parvis vermiculis, quorum ſanies coccino tingendo præclara eſt, & parit eximium illum colorem *l'ecarlate*, *chermisi*, quem nos miramur & adorarunt veteres, quo induti reges & viri divites ſuperbiebant. Coccus in Scriptura ſumitur pro ligno ex

quo

quò decerpuntur grana cocci; ut in Levitico (*cap.14. v.6.*) ubi ex cocco & cedro & hyſſopo conficitur faſciculus, ad reſpergendum leproſum ſanguine paſſeris. Ibi autem lignum *coccus* appellatur *vermiculus*. Nimirum in fonte Hebræo *coccus* appellatur modò *ſchani*, modo *Tholaath*. Poſtremum illud nomen vermiculum notat. Cur *coccus* dicatur vermiculus apertum eſt, quia grana ejus vermiculis ſcatent. Nomen autem *ſchani* derivavit vulgatus Interpres à verbo *ſchana*, iteravit ſive *ſecundò fecit*; undè ſæpiùs coccum appellat *dibaphum* ſive *biſtinctum*. Reipſa purpura bis tincta celebratur à veteribus; ſed non ideò aſpernanda eſt conjectura virorum doctorum, qui *Schani* deducunt à verbo *Schanan*, *acuere*: ut *Schani* propriè ſignificet fruticem aculeatum, cui adhæreant grana tinctoria, ſive cujus in granis naſcantur vermiculi, quorum ſanie efficiebatur color coccineus ille, de quo ſæpiùs ſermo in ſacro Codice, qui modò *ſchani*, modò *Tholaath*, modò ſimul utroque nomine ſignifigatur. Naſcitur in Gallia arbuſcula, cujus folia ſunt pariter aculeata qualia ſunt *paliuri*, vernaculè *du houx*, *agrifoglio*: illa producit grana, quæ vulgò dicuntur *de la graine d'écarlate*, *grana*. An ſit Hebræorum coccus alii quærant.

Colocynthis: cucurbita ſylveſtris eſt, *courge ſauvage*, *coloquinte*, *zucca ſalvatica*, *colloquintida*. Mali citrii ſive aurangii magnitudine eſt. Si extima putaminis pars floreſcens cultro adimatur, eximiæ nec prorſus ferendæ amaritudinis. Quod indicatur in Regum hiſtoria (*Lib.4. cap.4.*) Cùm enim Eliſæi famulus inter alias herbas ignarus in ollam coquinariam colocynthida conjeciſſet; & Diſcipulis Prophetæ appoſuiſſet in cibum; *Mors in olla*, hi exclamavere ad illum; injecta autem farina in ollam, omnem ejus amaritudinem mutavit.

Copher, *cyprus* aut *cyperus* arbor odorata, cujus fructus

fructus racemorum ad formam ſuccreſcit. Frequentiſſimum eſt in Palæſtina hoc arbuſtum. Ad mali punicæ proceritatem aſſurgit. Fertur cyprus ſimilis eſſe liguſtro Gallicè *Troeſne*, Italicè *Liguſtro*; ſed alia arbor eſt, aromaticum quid maximèque odoratum ſpirans, cujus nunquam decidunt folia; quæ proprietates non conveniunt liguſtro.

Coriandrum, herbæ genus eſt, Gallicè *coriandre* Italicè *curiandolo*, grana ferens, quæ ſaccharo integuntur. Agri Pariſini, maximè in Albert villa *Aubervilliers*, abundant coriandro.

Crocus, vernaculè *ſafran*, *zafferano*, emittit floſculum cærulei coloris; in cujus medio velut crocea ſtamina ac filamenta ſe proferunt fragrantiſſimi odoris Crocus cor recreat, ideò non ſine ratione in ſponſæ hortulo ac viridariis, cùm odoratiſſimis aliis herbis interſeritur (*Cantic. cap.* 4.) Croceus color, *couleur jaune*, *rougeatre*, *color giallo*, *roſſeggiante*, dicitur à croco. Ubi in vulgata legimus in Lamentationibus (*Cap.* 4. *verſ.* 5.) *Qui nutriebantur in croceis*, id eſt, qui crocei coloris veſtimentis utebantur, *amplexati ſunt ſtercora:* in coccino, ut habet fons. Coccineæ veſtes erant veſtimenta regia, quas qui priùs induebant, amplexaturi erant ſordidas, nempe ſortem aliam experti.

Cucumer ſive *cucumeris* herba eſt nota, *concombre*; *cocomero* olim Hebræis uſui & Ægyptiis, qui abundabant cucumeribus, peponibus, porris, cœpis, & aliis, de quibus non opus eſt ut plurima dicamus. Cucumerarium locus eſt cucumeribus conſitus.

Cyminum aut *cuminum*, herba notiſſima quæ fœniculo *fenouil*, *finocchio*, non diſſimilis eſt foliis ſuis; Gallicè *cumin*, ou *anis aigre*; Italicè *comino*.

Cupreſſus aut *cypreſſus*, arbor procera, caudice oblongo & recto, folio pini, ſed molliore, neque ita pungente, odore vehementi. Babylonia. regio abundat

dat cupreſſis, quæ cùm ſint picatæ arbores, non ita putredini cedunt. Ex cupreſſis Arcam à Noe conflatam eſſe ſunt qui credant. Hebraicè *cupreſſus* vel *cypreſſus* dicitur *gopher*, ut plerique putant; mihi enim nomen illud Hebræum videtur in genere ſignificare arbores quæ picem habent. Undè quod in Geneſi (*cap. 6. v.* 14.) Arca Noe dicitur facta ex lignis *gopher*, Vulgatus rectè reddit *ex lignis bituminatis*. Verbum Hebræum *Caphar* ſignificat *picavit*, *pice obduxit*; nec multùm diſſimile eſt *Gophrith*, id eſt, ſulphur.

Dudaim. Vide *mandragora*.

Faba genus leguminis notiſſimum.

Ficus nota arbor; *figuier*, *fico*. Fici autem arboris fructus duplicis eſt differentiæ. Caricæ ficus ſunt tempeſtivæ, quæ ab arbore decerpuntur antequam prorſus areſcant. Groſſi verò ſunt quæ non matureſcunt, & quas hyems in arbore deprehendit. Dicuntur ab Hebræis *Paggim*; quod nomen de omni acerbo & non excocto fructu uſurpatur. Terra promiſſa laudatur quod ſit *terra frumenti & hordei*, *& vinearum*, *in qua ficus & malogranata*; *terra olei olivarum & mellis*. (*Deut. cap.* 8. *v.* 8.) Itaque inter graviſſimas calamitates eſt, ſi vel bello, vel ſolis æſtu, vel grandine, vel per locuſtas & inſecta iſta bona auferantur: Si comedant hoſtes ficum & vineam (*Jer. cap.* 15. *v.* 17. *& cap.* 8. *v.* 17.) Abjiciunt ficus non folia tantùm arida, ſed & fructus; undè ficui deciduæ comparantur quæ ex ſe dicuntur corruere (*Apoc. cap. 6. v.* 13.) *& ſtellæ de cœlo ceciderunt ſuper terram, ſicut ficus emittit*, potiùs abjicit *groſſos ſuos*. Gratam præbet ficus umbram, ſub eaque habitare ſolebant Iſraelitæ in pace.

Fœnum, Hebraicè *chazir*, ponitur pro gramine, quale ſub dio creſcit in atriis ex pluviis.

Gith, genus ſeminis, Græcis *melanthion*, Latinis *nigella*, Galliis *nielle* ou *poivrette*, Italis *nigella*, *gitterone*.

rone. Quaſi minutum piper, eò quòd pauperculi hoc ſemine cibos condire ſoleant vice piperis.

Groſſus, vide *ficus*.

Hedera arbor eſt, quæ cùm per ſe ſtare non poſſit, arboribus muriſve adhæret. Perpetuò viret. Illa umbraculum adversùs ſolis æſtum præbuit Jonæ Prophetæ, ut quidam autumant; ſed veriſimilius eſt fuiſſe aliam plantam, quæ in fonte Hebræo appellatur *Kikaion*, de qua infra ſermo fiet.

Hordeum, Gallicè *orge*, Italicè *orzo*. Sic dictum putatur ab oriendi celeritate, quòd ante omnia frumenta ſit aridum; ideò in omnium frugum primitias ſecunda die poſt magnum azymorum diem offerebatur in Templo manipulus meſſis hordeaceæ. Hordeum madefactum, deinde ſiccatum & toſtum, appellatur à Latinis *polenta*. Hoc nomine Latinus Interpres reddidit vocem Hebræam *Kali*, quæ ſignificat ſimpliciter quod toſtum eſt. Ex hordeo potiſſimùm fiebat id quod in Scripturis appellatur *ptiſana*. Hordeum aqua priùs perfuſum, in ſole poſtea ſiccabant; mox ligneo piſtillo tantiſper tundebant, donec corticem, glumamque exueret. Ita *ptiſana* ſacri Codicis ſunt id quod vernaculè dicimus *de l'orge mondé*, italicè *orzata*.

Hyacinthus, Gallicè *vaciet, ou hyacinthe*, ital. *giacinto*. Eſt genus violæ vernæ colore obſcuræ. Sæpiùs ſit mentio in Scriptura *hyacinthini coloris*, qui nomen ſumpſit ab illo flore, aut gemma ejuſdem coloris, quæ hyacinthus pariter dicitur, & perinde ac flos exuberanti cæruleo colore purpuraſcit.

Hyſſopus, Hebraicè *Ezob*. Ambigitur an illud *Ezob* ſit hyſſopus Latina Gallica *hyſſope*, Italica *iſopo* herba notiſſima. Loca Scripturarum ubi de *Ezob* ſermo fit, videntur aborem indicare. Jungitur cum cedro & cocco, ut ex conjunctis fiat faſciculus ſive aſpergillum, quo aſpergatur leproſus. Vidimus ſupra coccum eſſe arborem. Salomon dicitur diſſeruiſſe de plantis, à

tis, à cedro quæ eſt in Libano uſque ad *Ezob* quæ naſcitur in pariete. De omni arbore diſſeruit, inquit Joſephus. Ita ſcriptor hiſtoriæ Regum proceras cedros opponit humili arbuſculo, quod appellaretur *Ezob*; ut quantùm cæteras arbores proceritate ſua vinceret cedrus, tantùm *Ezob* vinceretur, ſive humilior eſſet cæteris arboribus. Sed nec humilis erat *Ezob*, ad inſtar herbæ. Dicitur enim apud Joannem (*Cap.* 19. *verſ.* 29.) quod milites ſpongiam hyſſopo componentes admoverunt ori Jeſu. Olim qui in magna turba in exemplum ſtatuebantur, ſublimes evehebantur, ut eſſent conſpicui omnibus. Itaque quia Jeſus in cruce ſublimis erat, nec ſola manu milites poterant ad illius os pertingere, ſpongiam cauli hyſſopi circumpoſuerunt, qui caulis à Matthæo & Marco calamus appellatur. Ita *Ezob* verè lignum, & hyſſopo noſtrati non ſimilis niſi nomine tenus. Ex hyſſopo, qualiſcumque fuerit, fiebant aſpergilla, quibus luſtrabantur immundi; undè aiebat David. *Aſperges me hyſſopo & mundabor*.

Ilex arbor eſt glandifera, magnitudine roboris, folio aculeato, lævi cortice. *Eſpece de chene qu'on appelle yeuſe* ou *euſe en Languedoc*: Hebraicè *Elah*: Italicè *Leccia*, *albero ghiandifero*.

Juniperus, Gallicè *geneure*, Italicè *ginepro*, arbuſcula quæ pro foliis ſpinas habet perpetuò virentes; undè & topiario operi idonea eſt, quod fit vitandi æſtus cauſa: *propre à des ouvrages de verdure*, *acconcio a lavori di giardino*. Ita dicitur quod Elias quieverit ſub umbra juniperi (3. *Reg. cap.* 19. *v.* 5.) Etenim hæ arbores nonnullis in locis haud humiles ſunt, quales videmus naſci in Gallia. In multam altitudinem aſſurgunt in Orientalibus plagis. Ex juniperi truncis majoribus inciſis defluit per æſtatem quędam reſinæ ſpecies.

Juncus, frutex notiſſimus, cujus multæ ſpecies.

Nn *Kika-*

Kikaion. Planta illa eſt de qua Jonas (*Cap.4. v.6.*) loquitur quam Vulgatus interpretatur *hederam;* Bochartus verò conjicit eſſe *ricinum.* Etenim non videtur differre ab Ægyptio *Kiki*, de qua planta ſic Dioſcorides: Kiki ſive ricinus κρότων (aliqui *ſeſamum ſylveſtre*, alii *ſeſeli Cyprium* nominant) appellatur ob ſimilitudinem ſeminis ſui cum ricino animali, quod genus vermis eſt. Ricinus itaque arbuſcula eſt, parvæ ficus altitudinem habens, grana ferens *ricinis* animalibus ſimilia, folia verò platano ſimilia, ſemenque in uvis aſperis, quòd decorticatum repræſentat *ricinum* animal. Ex hoc exprimitur oleum, quod dicitur oleum *Kikinum.* Judæi dicunt *Kikaion* ab Arabibus appellari *Alkerot.* De iſta arbore dicit Kimchi citò illam creſcere, & ante officinarum feneſtras ſeri, iis ut umbram præſtet. Eadem adſtruit B. Hieronymus; ut non dubitandi ſit locus, quin iſta arbor præbuerit umbraculum Prophetæ. Vetuſtis tamen Interpretibus *Kikaion* redditum eſt κιττὸς *hedera*, quia, inquit B. Hieronymus, aliud quod dicerent non habebant. Etiam quidam interpretati ſunt *cucurbitam*; cujus, juxta Plinium, duplex eſt genus, aliud plebeium humi repens, aliud camerarium, quod nempe facili flexibilique ramorum curvitate recta, pergulas operit. Citò creſcit; ſic umbraculum potuit citò præbere Prophetæ.

Labruſca, vitis agreſtis, uvam proferens guſtatu peracerbam, quæ non matureſcit. Hunc fructum Deus moribus Judæorum depravatis accommodat apud Iſaiam (*Cap.* 5.) Cùm enim eos excoluiſſet, ut agricola vitem, loco racemorum protulere ei labruſcas, id eſt, pro bonis mala opera.

Lactuca agreſtis, ſive *ſylveſtris*, Gallicè *laitue ſauvage ou amere*, Ital. *lattuga ſalvatica, o amara.* Nomen Hebræum *meror* vulgatus Interpres reddit *lactucam agreſtem*; ſed ſignificat tantummodo herbam amaram.

ram. Judæi numerant quinque ſpecies talium herbarum, quibuſcum Agnus Paſchalis comedendus erat.

Legumina. Frugum duo ſunt genera *frumenta* & *legumina*. Leguminum autem eſus antiquiſſimus, & frugaliſſimus. Quare Daniel his veſci voluit cum ſociis ſuis; tum etiam quia abſtinere volebat carnibus, ne ſanguinem comederet; quem mactando pecudes non ſatis cautè Gentes effundebant. Legumina, inquam, illa ſemina ſunt quæ aquà coquuntur, & facilè eſui parantur; non ut cæteræ fruges, ex quibus panis conficitur.

Lens, genus leguminis, colore rufum, Gallicè *lentille*, Ital. *Lente*.

Lentiſcus arbor eſt patula, perpetuò virens, acinis rubentibus, maturitate nigris, quæ ut terebinthus gummoſum liquorem fundit, quem in inſula Chio *maſtichem* vocant. Ex hac arbore cuſpides conficiuntur, extergendis poliendiſque dentibus accommodæ. Lentiſcus habetur pro *ſchino*, cujus mentionem facit ſcriptor hiſtoriæ Suſannæ. Vide ad vocem *prinus*.

Lignum. Nomen illud latam ſignificationem in ſacra Scriptura habet. Propriè lignum eſt pars arboris; ſed apud Hebræos totam arborem ſignificat. In deſcriptione juſti dicitur Pſalmo primo quòd *erit tamquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum*, id eſt, ſicut arbor quæ ab aquis irrigata ſemper viret.

Lilium flos eſt notiſſimus, proximam à roſa nobilitatem obtinens, eximio candore; ideò ſæpiùs lilii mentio fit in Scriptura tanquam floris præſtantiſſimi. Olim, ut videtur, congregato tritico in acervos, hi acervi vallabantur liliis; ut perfecto ædificio apponuntur coronæ. Quapropter cùm tales acervi, tumentes tritico & ſic ornati, res eſſent jucunda; de Sponſa dicitur in Canticis (*Cap.* 7. *v.* 2.) quòd venter ejus eſſet ſicut acervus tritici, vallatus liliis. Li-

lium dicitur ab Hebræis *Soſanna*, à *ſches*, id eſt, *ſex*, quod ſex foliis conſtet. *Lilium convallium*, de quo in Canticis (*Cap.* 2. *v.* 1.) ſit ſermo, eſt vulgare lilium; neque enim aliud nomen habet in Hebræo Codice. His-ce noſtris regionibus lilia naſcuntur tantùm in hortis excultis; ſed in Judæa, Syria, Ægypto, Soſiana, paſſim in agris creſcunt. Undè JESUS CHRISTUS Dominus noſter *lilia agri vocat*. Sunt qui lilium convallium vertunt Gallicè *muguet*; ſed forma non convenit.

Linum, herba notiſſima, *du lin*, *lino*, quæ cannabis modo in lanæ mollitiem contuſa *broyè comme on fait le chanvre*, *gramolata come la canape*, netur in uſum intimarum veſtium. Eſt linum quod dicitur *xilinum*, aliter *Goſſipium*, quod colligitur ex fruticis pomo ſive nuce, quæ plena eſt ſpecie quadam lanæ molliculæ, quod vulgò appellamus *du coton*, *bambagia*. Scriptura non loquitur de illo ligno ſive frutice, & ideò xilinum ἀπὸ τῦ ξύλυ appellatur.

Malum punicum, ſive *malum granatum*, Gallicè *grenadier*, Italicè *melagrana*, eſt malus arbor, cujus fructus eſt malum notiſſimum, pomi genus, dictum punicum à Punica Carthaginenſi regione, & *granata*, quòd rubentibus granis ſcateat. Undè genæ ſponſæ in Canticis (*Cap.* 8.) comparantur malo punico: *ut fragmen mali punici, ita & gena tua*: hoc eſt, ſicut dimidiatus cortex mali granati confracti aut diſſecti grana eximii ruboris ſpectanda exhibet; ſic malæ tuæ, ò ſponſa, amabili ac gratioſo rubore perfuſæ ſunt. *Rimmon* Hebraicè dicitur pomum illud ex quo muſtum conficiebatur. Primus pomi hujus partus flore incipientis κυτίνος *cytinus* vocatur Græcis, in quo cytino floſculi ſunt, antequam ipſum malum prodeat erumpentes, quos *balauſtia* vocant. Ea medicinis idonea, & tingendis veſtibus. Corticis etiam magnus ſit uſus ad conficiendum co-

rium.

rium. Nucleis ipſis acinorum utuntur medici, ut & radice & ſemine. Ob utilitatem quam arbor illa præſtaret, conjicit Bochartus, idolum, quod dicebatur *Remmom*, nomen ſuum accepiſſe. Tintinnabula fiebant forma haud multùm diſſimilia malo granato; ita hæc tintinnabula *malogranata* appellabantur. Saltem tintinnabulis permiſcebantur in fimbria tunicæ Sacerdotalis, quia, ut dixi, par utriſque forma.

Mandragora, cujus ſunt duæ ſpecies. Prima foliis ſuis ſimilis lactucæ eſt, ſed anguſtioribus, umbroſique viroris. Pomum verò emergit è ſtirpis meditullio, quod herbaceo ſtilo incumbit, avellanæ nucis, nonnunquam aut caſtanææ magnitudine. Hæc ſpecies nomine fœminæ inſignitur: Mas verò foliorum magnitudine luxuriat. Pomum quod à media ſtirpe prodit, orbiculatum eſt, ovi gallinacei vitello prorſus affine, odore non ſine gravitate quadam ſoporata jucundo, radice craſſa, piloſaque, atque in humanæ coxendicis aut cruris formam bifurcata. Fert vulgaris opinio pomum mandragoræ conciliare gratiam & amorem. Hujus pomi fuiſſe avidam Rachelem ſacri Codices referunt (*Gen. c.* 30. *v.* 14.) Cùm enim triticeæ meſſis tempore Ruben Liæ matri attuliſſet mandragoras, Rachel ſterilis, & ſororiæ fœcunditatis æmula, eas ſibi concedi offerrique poſtulavit. Canticum Salomonis (*Cap.* 7. *v.* 13.) indicat mandragoras odoris fragrantia ac ſuavitate recreaſſe olim Hebræos, ac manibus contrectari ſolitas. De mandragoris Græci & Latini interpretati ſunt nomen Hebræum *Dudaim*; cujus origo *Dod*, id eſt, *amor* aut *dilectus amicus*. Ita certum eſt *Dudaim* eſſe flores amabiles colore ſuo & odore; nam dubitare licet an reipſa fuerint mandragoræ noſtræ *des mandragores*, *mandragole*. Etenim plurima poma, ſicut & plurimi flores, aſpectu, odore, guſtu placere poſſunt, & excitare ſui deſiderium; quæ omnia denotat nomen

Dudaim. Quidam obſervant mandragoras guſtu eſſe jucundas, & tantùm in medicamentis adhibitas, quin in venenis conficiendis: undè concludunt mandragoras noſtras non à Rachele deſideratas ad comedendum; ideò illa *Dudaim* alium quemdam fructum eſſe; & hocce nomine Hebræo ſignificari tubera, Gallicè *des truphes*, Ital. *tartufi*. Redarguit eos Bochartus, quia tubera ſunt fructus veris; triticea autem meſſis erat, cùm Ruben Liæ matri attulit *Dudaim*. Quidquid ſint, odorem emittebant; tubera autem nullum habent, qui eminùs feriat ambulantium nares.

Mentha, herba ſuaviſſimi odoris, Gallicè *menthe*, Ital. *menta*.

Milium genus frugis. *A mille* dictum eſt, propter multitudinem granorum: Gallicè *mil* ou *millet*, Italicè *Miglio*.

Morus, arbor, Gallicè *meurier*, Ital. *gelſo*, Arborum omnium poſtremò floret, nec in folia; floreſque ſe expandit, niſi ver ſtabile ſit, quaſi nolit ferre ullam hyemis injuriam aut aeris inclementiam. David (*Pſal.* 77.) complectitur illam arborem inter vitæ delicias. *Conſumpſit bruchus & locuſta fruges illorum, grando vites, & pruina moras eorum*. Fructus ejus, ubi maturuit, manus ſanguinolento colore inficit. Antiochus rex Syriæ, ut elephantos quos produxerat in aciem adversùs Judæos faceret magis efferatos & in pugna ferociores, his objicienda curavit rubicunda velamina mororum, atque uvarum rubentium ſucco perfuſa. Nam ſanguinolento colore exaſperantur elephantes, atque in hoſtem majori impetu feruntur. *Et elephantis oſtenderunt ſanguinem uvæ & mori, ad acuendos eos in prælium* (1. *Mach*, *cap*. 6. *v*. 34.)

Myrica, genus humilis virgulti, Gallicè *bruyere*, Italicè *tamerigia*. Creſcit in locis deſertis, quæ nullis arboribus conſita ſunt, nullis frequentata hominibus, raris ac prope nullis culta ædificiis. Indè Jeremias (*Cap.*

(*Cap.* 48. *v.* 6.) denuntians calamitates & triſtia quę-que obventura, *Eritis*, inquit, *quaſi myricæ in deſerto*.

Myrthus arbuſcula, ſed in Gallia tantùm frutex atque virgultum, perpetuò virens. Amabilis atque odorata eſt; ideò olim dicata Veneri à Gentilibus. Oleum ex ejus foliis vel ex ejus floribus exprimitur ſuaviſſimi odoris, quo Eſther delibuta regi Aſſuero in matrimonium aſſumpta eſt. Hujus arbuſti ramis Judæos adornaſſe ædes ſuas ac veſtibula in encæniis videre eſt in Eſdra (*Lib.* 2. *c.* 8. *v.* 15.) Idcirco cùm Iſaias ſignificatum vellet fortem Judęorum futuram meliorem, & pro noxiis infeſtiſque fruticibus, fœcundos, amabiles, ſalutares, frugiferoſq; ſubſtituendos: hoc eſt, pro vitiis virtutes, pro ſervitute libertatem, pro exilio reditum, ait (*Cap.* 55. *v.* 13.) *pro urtica creſcet myrtus*.

Nardus nomen tum herbæ tum fruticis. Nardus herba & nardus frutex folia & cacumina ſua ſpargunt in ariſtas ſive ſpicas; undè *nardus ſpicata*. Nardi etiam herbæ plures ſpecies numerantur. Noſtra lavendula, *lavande*, *ſpigo*, Latinè appellatur *nardus ſpicata*; undè oleum exprimitur, quod vulgus appellat *aſpicum*, vernaculè *huile d'aſpic*, *olio di ſpigo*. Ex nardo tam herba quam frutice unguentum pretioſum ſuaviſſimi odoris conficiebatur, quod dicebatur *piſticum*, quando ex vera nardo erat; *πίστις* enim Græcis *fidem* ſonat. Nardus celebratur in Sac. Codice ob odorem ſuum & pretium.

Nux, arbor nota, Gallicè *noyer*, Ital. *noce*. Nucum autem, quæ fructus ſunt, plurimæ ſpecies. In genere, poma quorum pars edulis cortice duro tegitur, appellantur nuces.

Olea & *oliva* tam de fructu dicuntur quàm de arbore. Oleaſter eſt olea ſylveſtris. Oleæ autem quæ excolitur fructifera eſt, fœcunda numeroſis baccis, oblonga forma atque ovali, quæ ubi matureſcunt, atque nigreſcere incipiunt, oleoſo pinguique ſucco turgeſcunt, ex quo oleum articulis firmandis, foven-

diſque membris, tum mitigandis doloribus accommodatum. Eo, inquam, corpora perfuſa, non modò niteſcunt, ſed robur etiam concipiunt, atque ad obeundos labores redduntur habiliora. Ita David (*Pſal.* 103. *verſ.* 15.) dona Dei recenſens memorat oleum datum homini, *ut exhilaret faciem in oleo.* Uberrimus erat proventus olearum in Judæa; undè idem Pſalmiſta (*Pſal.* 51.) cùm deſcripſiſſet miſeram ſortem impii, deinde ſic explicat felicitatem viri qui Deo confidit. *Ego autem ſicut oliva fructifera in domo Dei, ſperavi in miſericordia Dei.* Similiter Oſee (*Cap.* 14.) *& erit quaſi oliva gloria ejus.* Creber de oleo & de oliva ſermo in Scripturis. Olivetum locus eſt in quo olivæ conſitæ ſunt.

Olus dicitur omnis herba ſativa, quæ in uſu cibario eſt, ab alendo, quòd oleribus alerentur homines, antequam fruges repertæ eſſent. Omnes inſuper herbæ hortenſes, etiam quæ non apponuntur menſis, ſolent olera nominari. Ita *mentha* & *ruta* numerantur in Evangelio inter olera.

Paliurus, frutex ſpinoſus & aſper, qui naſcitur in locis incultis. Undè Iſaias (*Cap.* 34. *v.* 13.) paliuro indicat regionem deſertam; ſic enim loquitur: *& orientur in domibus ejus ſpinæ & urticæ, & paliurus in munitionibus ejus.* Malos qui nihil niſi malefacere norunt, aſſimilat Michæas (*Cap.* 7. *v.* 4.) paliuro, *qui optimus in eis eſt, quaſi paliurus.* Quibuſdam videtur *paliurus* eſſe illa arbuſcula, quam nos Galli appellamus *houx*, Itali *agrifoglio*. Aliis habetur pro *oxyacantha* ſive acuta ſpina, quæ menſe Maio ſpectatiſſimè floret, exiguo quidem & minutiſſimo floſculo, cui in medio rubicundiſſimæ quædam feſtucæ inſident, quæ candore & ſuavitate eximia commendabiles ſunt, vernaculè *epine blanche*, *oſſiacanta*.

Palma arbor in cacumine habet ramos in digitorum modum protenſos; ita palmæ manus ſimilis videtur:

detur: unde Latinum nomen. Græci appellant *φοίνικα*, quia in Phœnicia frequentiſſima. Judæa maximè inclyta eſt palmis. Sunt quidem & in Europa, ut in Italia, ſed ſteriles: fructum in maritimis Hiſpaniæ ferunt, verùm immitem: dulcem in Africa, ſed ſtatim evaneſcentem. Itaque palma meritò fuit inſigne ſymbolum Judææ; undè ubique in Templo expreſſæ palmæ, & in nummis vetuſtis, quos cudendos Romani curavere, ut in nummis Veſpaſiani & Titi videre eſt arborem palmam, ſub qua ſedet mulier mœſta cum his-ce litteris *JUD. CAP.* hoc eſt, *Judæa capta*. Hæc arbor oneri renititur, nec prementibus urgentibuſque cedit; ideò inſigne in certaminibus victori decerni ſolet, quod invictum animi robur palma referat. Præterea uti ea arbor non patitur foliorum defluvium, ſemperque viret; ſimiliter nec marceſſit nomen & gloria eorum qui res magnas geſſere. Canit igitur Pſaltes regius (*Pſal.* 91.) *Juſtus ut palma florebit*. In Apocalypſi (*Cap.* 7.) Martyres qui invicto infractoque animo adversùs Tyrannorum ſævitiam ſubſtiterant, amicti ſtolis albis palmas manibus geſtare leguntur, in victoriæ argumentum. Cacumen palmæ maximè aſpectu jucundum. In Vulgata verſione coma Sponſi (*Cap.* 5. *v.* 11.) huic aſſimilatur. *Coma ejus ſicut elata palmarum*. Latinus Interpres parùm ſecutus eſt Græcos. *βόστρυχοι αὐτοῦ ἐλάται*: ſed non addunt *palmarum*. Fons Hebræus reddi poteſt: *cincinni ejus criſpi*. In verſione ſeptuaginta Interpretum *ἐλάτη elates* modò eſt *Beroſch* ſpecies cedri, quam iidem quandoque habent pro abiete, modò pro cupreſſo, modò pro junipero, modò pro pino. Elate ἐλάτη iis qui de plantis diligentiùs ſcripſerunt, eſt tenerum palmæ germen, quoddamque proſilientis fructus operimentum. In genere *ἐλάτη*, ut origo Græca oſtendit, eſt arbor quæ in altum aſſurgit. Quidquid ſit *elate*, huic-ce comam Sponſi fuiſ-

fuiſſe ſimilem Græci dicunt. Interpres verò Latinus addidit *elate palmarum*, quoniam vox *elata* obſcura incertaque erat. Job (*Cap.* 29. *v.* 18.) dicit *in nidulo meo moriar, & ſicut palma multiplicabo dies meos*. Juxta fontem *ſicut arenam*; nempe anni mei numerari non poterunt. Quidam Hebræi exponunt vocem Hebræam *cachol* de phœnice ave. Æquivocatio eſt in nomine Græco. Phœnix enim Græcis avis eſt & palma. Ferunt hanc avem eſſe annoſam; quod & creditur de phœnice arbore ſive palma.

Papyrus. Ut ſcirpus, juncus, arundo apud nos, ita in paludoſis Nili aquis papyrus naſcebatur, ex qua in tenuiſſimas membranas diſſecta chartæ olim conficiebantur. Inde ob ſimilem uſum nomine *papyri* donavimus hanc noſtratem chartam, quæ novo invento fit ex linteolis minutatim contuſis, atque aqua maceratis. Ex papyro Nili lembos, ſcaphas, cymbas, aliaque navigia pice oblita conſtruebant Ægyptii, ut ex Plinio diſcimus: tum ex Iſaia (*Cap.* 18. *v.* 1.) qui ſic loquitur inſectans Ægyptios. *Væ terræ cymbalo alarum, quæ eſt trans flumina Æthiopiæ:* væ terræ umbræ alarum, id eſt, quæ navibus abundat, quæ recipit umbram multorum velorum. In codice Hebræo nomen eſt *Tſiltſal*, quod quidem ſignificare poteſt *cymbalum*, quidpiam quod tinniat; ſed & *Tſel* umbram denotat. Græci verterunt: Οὐαὶ γῆς πλοίων πτέρυγες. *Quæ mittit in mare legatos, & in vaſis papyri ſuper aquas*. Secundùm aliam verſionem *in inſtrumentis ſcirpeis*. Aſſurgit papyri frutex nonnunquam in octo aut decem cubitorum altitudinem.

Pepones, cucumeris genus notum, Gallicè *melon*, Ital. *popone*.

Pinus, nota arbor, *pin*, *pino*.

Platanus, Gallicè *plane* ou *platane*, Italicè *platano*. Arbor latè ſpargens ramos, umbræ tantùm gratia ex-

ria expetita, ἀπὸ τοῦ πλάτους, hoc eſt, à latitudine, nomen ſortita eſt. Folia ejus inſuper lata ſunt. Gaudet locis irriguis; undè Sapientia Eccleſiaſtici (*Cap.* 24. *v.* 19.) de ſe dicit, *quaſi platanus exaltata ſum juxta aquam*, cùm vellet ſignificare virum, ſapientem conſpicuum & gratum eſſe. Platanus ab Ezechiele (*Cap.* 31. *v.* 8.) numeratur inter arbores proceras. Sed vox *Armon*, quam Latinus interpres reddit *platanum*, in eo loco Ezechielis (*Cap.* 30. *verſ.* 37.) redditur à Septuaginta *ἐλάτη elate*. Sed in Geneſi ubi eadem vox *Armon* occurrit, illam Latini & Græci pariter interpretantur *platanum*, Hebræi verò *Armon* habent pro caſtanea arbore.

Pomum generale nomen eſt omnium fructuum, qui ex arboribus eſui apti proveniunt, ſive mollium, ſive durorum. Quod moneo, ne quis accipiat pro nomine ſpecialis illius fructus, qui Latinè *malum*, deceptus ſimilitudine nominis Gallici *pomme*.

Populus caudicis eſt proceri & erecti. Duo ejus ſunt genera; alba una dicitur ab Hebræis *libneh*, id eſt, candidi coloris. Populus alba numeroſiora habet folia & tremula; ideò vernaculè dicta *Tremble*. Furetierius dicit arborem dictum à nobis *tremble* eſſe *populum nigram* Latinorum.

Porrum, genus oleris notiſſimi.

Prinus nomen eſt Græcum πρῖνος, *ilex*, arbor notiſſima de qua ſupra diximus. Scriptor hiſtoriæ Suſannæ narrat Danielem arguiſſe falſi ſenes iniquos judices Suſannæ, cùm primus aſſeruiſſet à ſe deprehenſam, dum rem turpem faceret, ſub *ſchino*, alter verò ſub *prino*; undè Daniel alludens ad etymologiam *ſchini* τοῦ σχίνου, à verbo σχίζειν, *ſcindo*, *ſeco*, & τοῦ πρίνου, à verbo πρίζειν, *ſerra ſeco*, *divido*, dixerit primo; *Angelus Dei ſcindet te medium*; & ſecundo, *ſecet te medium*. Hiſce alluſionibus Africanus antiquus ſcriptor conabatur probare non Hebræum, ſed Græcum eſſe illum Scriptorem,

ptorem, qui Suſannæ hiſtoriam commentus eſſet. Reponebat Origenes his-ce nominibus non quidem uſum Danielem, neque iiſdem arboribus; ſed ut rem exprimeret Græcus Interpres Danielis, pro arboribus quæ nominarentur in textu ejus originali, qui perierat, uſurpaſſe alias arbores, quorum nomen idoneum fuerat ſimili alluſioni faciendæ. *Prinus* autem & *ſchinus* non ſunt arborum nomina in lingua Latina; ſed interptes ut mentem eruditi lectoris deduceret ad alluſiones, quæ erant in textu Græco, Latinis characteribus Græca nomina expreſſit.

Quercus nota arbor, vernaculè *chene*, ital. *quercia*, multas habet ſpecies.

Rhamnus, Hebraicè *Athad*, Gallicè *bouc-epine*, ou *noirprun*, italicè *ranno*, Rubi genus eſt candidius & fructicoſius, ramos ſpargens rectis aculeis, non ut cæteri rubi, aduncis. Baccas fert primùm virides, quæ nigræ fiunt matureſcendo. Videtur *rhamnus* ſive *Athad* in Scriptura poni pro quibuſcumque ſpinis, quæ facilè ignem concipiunt.

Roſa flos è ſpina naſcens, res nota.

Ruta, herba hortenſis notiſſima, vernaculè *rue*, ital. *ruta*.

Saliunca, quam nonnulli *celticam nardum* exiſtimant; puſillus eſt frutex, non in eam altitudinem aſſurgens, in quam noſtra lavendula, *la lavande*, italis *ſpigo*, ſi quidem ab humo ſe non attollit: quod Virgilius annotavit.

Lenta ſalix quantùm pallenti cedit oliva,
Puniceis humilis quantùm ſaliunca roſetis;
Judicio noſtro tantùm tibi cedit Amyntas.

In Vulgata verſione ſic loquitur Iſaias (Cap. 55. verſ. 15.) *Pro ſaliunca aſcendet abies, & pro urtica creſcet myrthus.* Non dubito quin interptes Latinus hæc ſcribens intueretur verſus illos Virgilii. Nomen Hebræum *naatzoutz*, quod reddit *ſaliunca*, non aliud eſt quàm

eſt quam *vepretum* ſive *virgultum*, nempe genus arboris vilis. Ita mentem Prophetæ Interpres vulgatus expreſſit.

Salix arbor nota, à ſaliendi hoc eſt, creſcendi celeritate dicta. Juxta aquas conſeri ſolet; undè in Pſalmo 136. dicitur quòd Iſraelitæ captivi ſedentes ſuper flumina Babylonis organa, id eſt, inſtrumenta muſica, puta citharas ſuſpenderint ad ſalices. Celeriter aſſilit, & confeſtim arboreſcit ſalix, ut dictum eſt; indè Iſaias (*cap.* 44.) juſtos, quos proximè Deus cumulaturus eſſet bonis, aſſimilat ſalici. *Et germinabunt inter herbas, quaſi ſalices juxta perfluentes aquas.*

Schinus. Vide ſupra *lentiſcus* & in voce *prinus*.

Scirpus ſpecies junci.

Sentes ſpecies ſpinarum.

Setim. Nomen lignorum ex quibus Deus Arcam fœderis conficiendam præcepit. Septuaginta interpretantur ξύλα ἄσηπτα, id eſt, ligna imputribilia; ita ut ligna *ſetim* plurima ſint, ſive accipi poſſint pro cedro, cupreſſo, buxo, & aliis lignis quæ cariei non ſunt obnoxia.

Siliqua eſt folliculus, ſeu integumentum, cui grana leguminum includuntur & ſi quid leguminibus ſimile eſt. Item ſiliqua κεράτιον ſive ſiliqua Græca fructus eſt arboris, qui non comeditur niſi à pauperculis, ut indicat illud carmen Horatii.

. . . . . *vivit ſiliquis, & pane ſecundo.*

Talibus ſiliquis impleri optabat miſer ille juvenis, qui cùm deſeruiſſet domum paternam, dilapidatis ſuis bonis, inopia coactus paſcebat gregem porcorum.

Sinapi herba eſt ſemen ferens tanta acrimonia, ut cieat lacrymas comedenti. In hybernis condimentis uſitatiſſimum eſt: *ſenevè*, *moutarde* italis *ſenape*. Semen ejus dicitur in Evangelio Matth. (*cap.* 13.

(*cap.* 13. *v.* 31.) *minimum omnibus oleribus*. Sic habebatur eo tempore quo Dominus in terris verſabatur. Sive ſic loqui ſolebant Judæi; granum enim ſinapis pro re minima dicitur apud Rabbinos. Præterea minimum appellari poteſt proportione; nullum enim tam parvum ſemen tantam rem producit.

Sycomorus Hebræis *ſchikema* Gallis *ſycomore* Italis *ſicomoro*. Appellatur etiam ficus Ægyptia. Arbor eſt fico ſimilis, foliis mori. Ut ampliſſima deſcribitur à Plinio; non mirum ergo ſi in ſycomorum aſcenderit Zachæus, ut qui ſtatura humili eſſet, poſſet Jeſum tranſeuntem videre. Obvia arbor erat in Judæa. Iſaias (*cap.* 9. *v.* 10.) inducit ſuperbos Samaritanos his verbis loquentes: *Lateres ceciderunt*, *ſed quadris lapidibus ædificabimus*: *ſycomoros ſucciderunt*, *ſed cedros immutabimus*. Quaſi dicerent exiguum nulliuſque momenti damnum ac detrimentum quod perpeſſi ſumus, minimo negotio parviſque ſumptibus reſarcietur. Imò omnia magnificentiùs inſtaurabuntur ac ſpectabilius. Pro lateritiis marmoreas ædes erigemus: pro ſycomoro, hoc eſt, vulgari paſſimque obvio ligno, cedrina laquearia omniaque operoſius perfici curabimus. Sycomorus fructus edit ignavi guſtus inſipidos & immaturos, quos non ramis, ut ficus, ſed caudice ipſo gerit; unde pauperum cibus, vel potiùs boum pabulum. Quare ita ſe pauperem deſcribit Amos (*cap.* 7. *v.* 14.) *Non ſum Propheta*, *& filius Prophetæ*: *ſed armentarius ego ſum*, *vellicans ſycomoros*, id eſt, ſtringens ferreis unguibus, ad decerpendos fructus in boum pabulum.

Terebinthus arbor in Syria ac Palæſtina ſpectabilis & amœna, folio ferè lauri, flore oleæ, coloris punicei, baccis primum herbaceis, mox rubris, maturitate nigris. Fundit hæc æſtivis caloribus terebinthi-

nam

Digitized by Google

nam reſinam præſtantiſſimam, mirè odoratam. Iſraelitas, quorum ſors futura erat melior, huic-ce ſpectabili arbori aſſimilat Iſaias (*cap.* 6. *v.* 13.) *Multiplicabitur*, inquit, *quæ derelicta fuerat in medio terræ; & adhuc in ea decimatio, & convertetur, & erit in oſtenſionem, ut terebinthus, & ſicut quercus, quæ expandit ramos ſuos.*

Thyina ligna. Hæc advehebantur in Judæam claſſibus Salomonicis. Fiebant ex illis inſtrumenta muſica, ut nunc fieri ſolent ex lignis pretioſis colorum diverſorum, quæ mittit India, vocantur *Algummim* (3. *Reg. cap.* 10.) & in Paralipomenis (*Lib.* 2. *cap.* 8.) *Almugim* ex *Al* & *mog* compoſito nomine, id eſt, ligna quæ non facilè computreſcunt ac diſſolvuntur. Græci habent ligna *πεύκινα*, id eſt, picea. *Thyinorum* lignorum mentio fit in Apocalypſi (*cap.* 18. *v.* 12.) ut mercis pretioſæ. Plinius inter arbores boni odoris recenſet *Thyam*. An indè thyina ligna.

Tribulus ſpecies eſt cardui.

Triticum, optimum frumenti genus, vernaculè *le blè-froment*, *frumento*. Res notior quam ut expoſitione egeat.

Vepretum eſt ubi ſpecies quædam vepris naſcitur.

Vicia, leguminis genus jumentorum pabulo deſtinatum Gallicè *veſce*, Italice *veccia*.

Vitis, quid vite notius?

Urtica notiſſimum herbæ genus ab urendo dictum, quòd ejus folia tacta acerrimè urant: Gallicè *ortie* Ital. *ortica*. Locis neglectis innaſcitur.

Zizania. Vox illa non alibi occurrit primitùs, quàm apud Matthæum; ut non poſſit definiri quæ herba ſit, an lolium quod vernaculè dicimus *ivroye* italicè *loglio*, aut aliquid aliud non diſſimile. Tantùm conſtat zizaniorum nomine deſignari omnem inutilem, vitioſam, noxiamque plantam, quæ ſementi ac frugum incremento officiat; quod convenit lolio.

Ante-

Antequam caput iſtud de plantis concludam, breviter dicam quid intelligat Apoſtolus Judas in Epiſtola ſua (*v.* 12.) per ***arbores autumnales.*** Græcè ſcripſit **δένδρα φθινοπωρινὰ**, quòd eſt ex uſu vocabuli *ligna autumnalia*; nimirum ligna quæ florent & fructus conantur parere autumno jam præcipiti, quod tempus dicitur *τὸ φθινόπωρον*: quia verò ſuperveniens hyems non ſinit ad maturitatem pervenire, acerbi cadunt illi, & humi putreſcunt. Sic quanquam floribus & foliis ſuperbiant ſeductores, fructus tamen, quos ſpecie promittunt, non præſtant. Ligna planè tandem **ἄκαρπα**, imò bis emortua, ut ſpes reviviſcendi nulla ſuperſit.

Inter alia miranda monumenta vindictæ cæleſtis de ſpurcis libidinibus Sodomitarum, contigit ut in Pentapoli, ubi olim Sodoma & aliæ urbes, nullæ naſcantur arbores, aut fructu, in ſpeciem quidem optimis ſimili, ſed ſi carpas, in pulverem fœdoſque vapores evanido. Teſtis Joſephus (***Lib.* 5. *de Bello Judaico c.* 5.**) *Adhuc*, inquit, ***divini ignis reliquias, oppidorum quinque videre licet imagines, & renaſcentes in fructibus cineres: qui colore quidem ſunt edulibus ſimiles, carpentium verò manibus in fumum diſſolvuntur & cinerem***; vel ut loquitur Tacitus de iiſdem fructibus : ***atra & inania velut in cinerem vaneſcunt.*** Hoſce fructus intuebatur auctor libri Sapientiæ (***cap.* 10. *v.* 7.**) ubi in vulgato Interprete dicit: ***Arbores incerto tempore fructus habentes***; non ſuo tempore fructus habentes, ut dicit fons Græcus **ἀτελέσιν ὥραις καρποφοροῦντα φυτά**: videlicet arbores quæ producunt fructus imperfectos, necdum planè formatos, qui nunquam ad maturitatem perveniunt. Ibi autem loquitur de arboribus Sodomiticis, quæ nunc creſcunt in Pentapoli, quæ ibi nominatur: fons Græcus: ***Hæc juſtum, pereuntibus impiis, liberavit fugientem à deſcendente igne in Pentapolim.***

CA-

CAPUT IV.

De gemmis ſive pretioſis lapidibus, de quibus loquitur Scriptura.

PEr gemmas intelligimus lapides pretioſos: illas autem gemmas exponendas ſuſcipimus, de quibus Scriptura ſermonem facit; ſive agimus de veris nominibus lapidum pretioſorum, quos memorat & exprimit veritas Hebraica. Res magnæ difficultatis eſt, ne dicam dubia & incerta. Etenim nulla eſt certa ratio interpretandi hos lapides, ut ipſi Judæi fatentur. Etenim non adjuvant vetuſti Interpretes, qui pro lubitu videntur interdum originalia nomina vertiſſe. Omnes gemmas paucis exceptis, faſcia pectoralis ſummi Pontificis continebat, nec de pluribus aliis ſermo fit in ſacro Codice; idcirco primus & ferè unicus labor verſatur circa pontificias gemmas. In genere autem raritas commendat omnem gemmam, tum & materies. Hæc quæ durior, lucidior, & à maculis purior eſt, cenſetur magis pretioſa. Circa gemmas & lapides pretioſos advertendum quod dicit Salmaſius, qui magna ſolertia, ſi quis alius, rem expendit in exercitationibus Plinianis ad Solinum. *Illud ſcio*, ait; *incerta illa omnium lapidum nomina eſſe, nec ſatis nota magiſtris ipſis.*

I.

De duodecim lapidibus pretioſis pectoralis faſcia ſummi Pontificis.

Gemmæ illæ, quibus ornabatur pannus appoſitus pectori Pontificis ſummi, duodecim numero erant, quatuor ordinibus diſpoſitæ. Hunc ordinem exponit

Moyſes, & quamque gemmam nominat, plura alia non addens de his-ce gemmis, nec diverſitates illarum ſermone explicans, cùm conſpectui paterent. Quæquæ gemma inſcripta erat nomine proprio alicujus ex duodecim filiis Jacob. Vulgò dicunt Judæi quod ſingulæ referrent colorem vexilli, quo Tribus cujus nomen gerebant, à cæteris Tribubus diſtinguebatur. Quod ad inſtitutum pertinet, ſedulus quæro quibus nominibus Græcis, Latinis-ve, id eſt, quæ nobis ſint nota, reſpondeant duodecim illi lapides, quos Moyſes nominibus Hebraicis expreſſit.

B. Joannes in Apocalypſi ſua mentionem facit duodecim lapidum pretioſorum; cùm ergo de ejus expoſitione minimè dubitandum ſit, ſi ad veſtimentum Aaronis reſpexiſſet, ſive ſuſcepiſſet eodem ordine quo Moyſes Hebraicè expreſſit, Græcis nominibus explicare hos lapides, id quod quærimus confectum eſſet. Certò, inquam, ſciremus quibus nominibus Græcis & ideò Latinis congruerent nomina Hebræa gemmarum Pectoralis. Sed incertum eſt utrum has gemmas ille intellexerit. Præterea inverſo ordine omnes recenſet: ita ex Apocalypſi (*cap.* 14.) conſtare non poteſt quibus Græcis nominibus reddendi ſint lapides ſacri, id eſt, in ſacro Codice Hebræo expreſſi. Ezechiel enumerat multos lapides pretioſos, qui ideò non fiunt notiores. Utar verbis B. Hieronymi. *In Ezechiele, in Exodo, & in Apocalypſi, & in Iſaia, ſibi omnes lapides & lapidum ordines comparati magnam & legenti & diſſerenti faciunt quæſtionem.*

In his-ce & ſimilibus errare non eſt magnum piaculum. Attamen errare non prodeſt, & quantùm fieri poteſt, ſaltem multo intervallo à veritate non aberrandum. Itaque cùm, uti diximus, & manifeſtum eſt, Interpretes nonnunquam pro lubitu nomina Hebræa reddant nominibus lapidum qui ſibi innoteſcebant, fontes ipſi adeundi. Nempe expendenda ipſa nomi-

nomina, quibus expreſſi ſunt in fonte; deinde quærendum quæ iſtis nominibus Græca vel Latina magis vel minùs conveniunt, & qui & quales fuerint ipſi duodecim lapides pretioſi. Exſcribam hic Joannem Braunium, qui de veſtitu Sacerdotum Hebræorum luculentum commentarium edidit. Methodum ſequar quam res ipſa quæ tractatur exhibet. Scilicet de gemmis eo ordine diſſeram, quo diſpoſitæ erant in faſcia pectorali Aaronis. Ea erat diſpoſitio ſive ordo duodecim gemmarum in dicta faſcia Pectorali. 1. *Odem*, 2. *Phitad*, 3. & *BareKeth*, in ordine primo. Secundus ordo continebat 4. *Nophech*, 5. *Sapphir*, 6. *Jacalon*. Tertius ordo 7. *Leſchem*, 8. *Schebo*, 9. *Achlama*, & quartus ordo 10. *Tarſchiſch*, 11. *Schoham*; & 12. *Jaſpeh*. De ſingulis juxta hunc ordinem fiet à nobis ſermo.

I. *Odem*. Prima littera conſonans hujus nominis Hebraici eſt *Aleph*. Radix ejus eſt verbum *Adam*; undè videretur lapidem illum non alium eſſe quàm *adamantem*, qui nulli lapidi cedit pretio. Solet quidem *Adamas* derivari à Græco ἀδάμας, quaſi diceres *indomitus*, quia nulla vi diſtringi poteſt lapis ille, ut etiam ferrum utrinque diſſultet, incudeſque inſuper ipſæ diſſiliant, ut ait Plinius. Verum hæc gratis dici lapidarii noſtri contendunt. Nomen *Adam*, undè factum *Odem*, idem ſonat ac *rubere*, aut *rubrum eſſe*; undè reddi ſolet ab Hebræis *pyropus* aut *rubinus*. Latinus interpres cum Græcis interpretatur *ſardium*, qui ex Theopraſto lapis eſt perlucidus, qui dum clarius rubet vocatur *ſarda*, quaſi *ſardii* fœmina; pellucidior autem & ſaturatior, mas dicitur. Eſt igneus ſardius, inquit S. Epiphanius, & ſpeciem ſanguinis refert, ſimilis ſardio piſci ſale condito; & exſiccato inſtar noſtrorum ſalmonum, qui intùs egregiè rubent. Latini volunt hunc lapidem ſic dictum, quia in Sardinia naſcitur. Braunius etymon

ducit à ***Sered***, quod nomen in Hebræa lingua ſignificat ***rubrum colorem***. Talem colorem fuiſſe ſardii lapidis colligitur ex Apocalypſi (*cap.* 4. *v.* 3.) ubi facies Dei dicitur ſimilis lapidi ſardio , quod Veteres explicant de facie Dei irata, quam dicunt ardentem inſtar ignis, ſive propter terrorem Dei, cùm Sardius ſit igneus . Cæterùm varia ſunt ſardiorum genera ; non enim ſunt omnes ejuſdem coloris. Inter ſardorum genera ponitur etiam *ſardoniches*. Quando ſardius rubet , ſed non eſt ſaturatus , palloris aliquid admixtum habens, ***corneolus*** vulgò dicitur, quaſi carneolus, à carne humana, vel à carne ſanguinolenta, vernaculè ***cornaline*** , ***corniola*** . Duæ ergo ſunt circa ***Odem*** opiniones . Aliis videtur ***adamas*** , propter ſimilem nominis ſonum. Alii verò ex etymo ſive ex ſignificatione nominis Hebræi ***Odem*** à verbo ***Adam*** , habent ***Odem*** pro gemma rubei coloris, ſive pro rubino, ſive pro ſardio.

II. ***Phitad*** vertitur ***topazius*** ab omnibus ferè Interpretibus, Joſepho , Septuaginta, Hieronymo, Vulgato & aliis. Topazium autem veterum viridem fuiſſe clamant authores omnes , nempè porri ſuccum non malè exhiberi à colore topazii; ita ut ſit è viridi pallens , ſicut & *chryſopraſius*, qui eſt ex genere topaziorum. Alii dicunt eſſe vitrei coloris, ſive ſimilem vitro , cujus color æſtimatur viridis . Viridem fuiſſe lapidem ***Phitad*** ſentiunt Rabbini . Appellatur in libro Job (*cap.* 28. *v.* 19.) *cuſch* . Authores autem omnes conſentiunt eſſe in Arabia inſulam, quæ olim diceretur ***Chitis***, ubi effoderetur topazius. Cuſchregio non alia eſt quam Arabia, inter cujus inſulas celebratur, quæ ab hoc lapide appellata eſt *Topazion*, ſi hæc inſula lapidi nomen non indidit. Lapis *topazius* veterum , qui viridis ſit , alius eſt ab eo , quem nunc gemmarii appellant vernaculè *topaze* , ital. *topazio;* nam hujuſce color eſt aureus.

III. *Ba-*

III. *BareKeth*. Septuaginta, Joſephus, Vulgatus & alii *ſmaragdum*, Gallicè *emeraude*, Ital. *ſmeraldo*, verterunt. *Smaragdus* nomen ſuum habet à fulgore. Non mutatur ſole, non umbra, non lucernis; ſed ſemper eſt radians, inquit Plinius. *BaraK* autem, undè venit *BareKeth*, Hebræis ſonat *ſplendere, coruſcare; fulgurare*. Colores ſmaragdorum varii ſunt, ſecundùm varia genera; omnes tamen virides perhibentur. Omnium gemmarum virentium principatus defertur *ſmaragdo*. Ideò in Apocal. (*cap.* 4. *v.* 3.) iris dicitur ſimilis ſmaragdo; ſcilicet quia nullus color in iride magis eſt conſpicuus, quàm viridis. Smaragdorum Plinius dicit eos eſſe probatiſſimos, qui viriditatem puri maris imitantur. In hoc-ce loco Apocalypſeos, ubi thronus Dei videtur deſcribi media in iride, tres gemmæ memorantur, *ſardius*, *jaſpis*, & *ſmaragdus*. Tres in iride colores apparent, rubeus qui competit ſardio, viridis quem certò habet ſmaragdus, & cæruleus quo colore lucet beryllus; cujus nomine B. Hieronymus reddit gemmam quæ in fonte Hebræo Exodi appellatur *jaſpheh*, quod infrà expendemus. Ex hoc autem loco Joannis videtur jaſpidi tribuendum colorem cæruleum, cui non omnino diſſimilis eſt viridis color, qui multùm vergit in nigredinem.

IV. *Nophech*. Septuaginta Græcis Interpretibus eſt ἄνθραξ, id eſt *carbunculus*, ut redditur ab Interprete vulgato, vernaculè *eſcarboucle*, ital. *carbonchio*. Carbunculus lapis ſic dictus eſt, quia rubore lucet inſtar ignis aut ardentis carbonis. A ſimilitudine ignium ſic appellatur, inquit Plinius. Carbunculorum autem cenſet ille eos eſſe optimos *amethiſtizontas*, hoc eſt, quorum extremus igniculus in *amethiſti* violam exit, quales carbunculi vocantur *rubini*, Gallicè *rubis*, Italice *rubini*. Lapis qui Chalchedonius vocatur in Apocalypſi (*cap.* 22.) idem eſt

 quem

quem Veteres vocavere *carchedonium*, quem Plinius dicit ſic dictum ab urbe *Carthagine*, quæ & dicebatur *Carchedon*. De lapide calchedonio apud antiquos auctores qui de gemmis diſſerunt, nihil invenitur, cum è contra de carchedonio multa illi dicant: Undè aliqui ſuſpicantur Scriptorum incuria Græca & Latina exemplaria Apocalypſeos olim vitiata eſſe, & *calchedonium* pro *carchedonio* irrepſiſſe: ideò autem carbunculus dicebatur carchedonius, quia ex India mercatoribus Carthaginenſibus adveheretur, ut idem Plinius adſtruit. Eſt aliquod genus carbunculi, qui *granatus*, vernaculè *granato*, à pomi punici granis nominatur.

V. *Saphir*. Nomen illud Græci Græcis litteris, ſicut Latini Latinis expreſſerunt. Et nos Galli pariter *ſaphir*, Itali *zaffiro*. Sapphiros noſtras eſſe cæruleas ſcimus. Plinius ſapphiros veterum hunc colorem habuiſſe teſtatur, & purpuræ nigræ illas fuiſſe ſimiles; nempe quia cæruleus color illarum ſaturus. Sapphiris autem, quarum non uno loco mentio fit in ſacro Codice, talis inerat color, ut videre eſt in hoc loco Exodi (*cap.* 24. *v.* 10.) *Et viderunt Deum Iſrael, & ſub pedibus ejus quaſi opus lapidis ſaphirini id eſt, quaſi fundamentum, & quaſi cœlum cùm ſerenum eſt*. Sic apud Ezechielem (*cap.* 1. *v.* 26.) expanſum cœli, quod vocatur ſolium Dei, dicitur ſimile lapidi ſapphiro. At cœli color cæruleus eſt. Præterea ſapphirus in Scriptura aſſimilatur quoad colorem venis ſanguine repletis in albiſſimo corpore; quæ ſcilicet turgent ſanguine & apparent ſub pelle candida. Harum venarum aſpectus ſimilis eſt colori cæruleo. Indè Braunius feliciter, ut mihi videtur, lucem accerſit huic loco Lamentationum Jeremiæ, (*cap.* 4. *v.* 7.) ubi in Vulgato legimus: *Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores*, id eſt, magis ſplendidi & rutilantes *ebore antiquo*,

alii

alii reddunt *margaritis*, *ſaphiro pulchriores*. Nimirum Nazaræi erant corpore ſano & eleganti, & venæ ſanguine plenæ carnem eorum variè interſecabant, inſtar rutilarum ſapphirorum. Corpora eorum erant candida inſtar nivis & lactis, imò ſplendentia tanquam margaritæ, intercurrentibus venulis ſanguine plenis, ſapphiri inſtar, cæruleo colore gratiſſima. Deſcriptio eſt pulcherrimi & elegantiſſimi corporis. Similiter in Canticis (*cap.* 4. *v.* 14.) venter ſponſi dicitur *eburneus*, id eſt, candidus, *diſtinctus ſaphiris*, id eſt venis ſanguine plenis, quæ colorem ſapphiri habent. Et ſpecies ſapphiri, quæ aſperſa eſt pulvere aureo, ſive notatur certis quibuſdam punctis aureis. De hac ſapphiro videtur loqui Job (*cap.* 28. *v.* 6.) *Locus ſapphiri lapides ejus*, *&* *gleba illius aurum*. Tales autem ſapphiri minùs pellucidæ ſunt & ſculpturæ inutiles, ut à gemmariis diſcimus.

VI. *Jahalon*. Septuaginta & Vulgatus interpretantur *Jaſpidem*, Joſephus ſapphirum; Braunius verò credit eſſe adamantem, qui cùm omnes gemmas reliquas ſplendore & pretio ſuperet, in Pectorali nòn tum deerat. Dicit non alteri gemmæ convenire nomen *jachalon*. Deducit autem nomen *adamas* à verbo Hebræo *Halam*, abſorpto *jod*, quod apud Hebræos non eſt inſolens. Certum quòd ex *Halam* potuit fieri *almas*; undè poſtea *adamas*. Verbum autem *Halam* ſignificat *confringere*, *contundere*; undè *Halmuth*, quod eſt *malleus*. Duritie ſuâ *adamas*, vulgò *le diamant*, *diamante*, omnes lapides confringit; ſed & facile malleo diffringitur: quòd ſuo damno ſæpius gemmarios experiri dicit Braunius, arguens antiquos Scriptores qui affirmant incudes diſſilire, cùm adamas percutitur.

Non prætermittam argumentum quo nititur conjectura Braunii & aliorum, qui opinantur tempore

Moyſis non ignotum fuiſſe adamantem. Etenim, ſine adamante aut pulvere ejus artifices non potuiſſent duodecim lapidibus nomina duodecim Tribuum inſculpere. Res nunc conſtat de ſapphiro, quæ abique adamante non poteſt expoliri, & ulla nota inſcribi. Verùm reponi poteſt olim uſitatum fuiſſe pulverem *ſemir*, quo expoliebantur lapides pretioſi. De illo pulvere infrà agemus; authores autem qui illum pulverem celebrant, non videntur eum habuiſſe pro adamante. Præterea Joannes, qui veriſimiliter alludebat ad duodecim lapides Pectoralis, nullo modo mentionem facit adamantis. Ambigerem ergo an *jachalom* verè ſit *adamas*; ſed non poſſum illum habere pro jaſpide, quoniam nomen illud videatur magis convenire lapidi qui in fonte Hebræo appellatur *jaſpeh*.

VII. *Leſchem* lapis alibi non reperitur quàm in Exodo, ubi deſcribitur Pectorale cum ſuis duodecim lapidibus. Septuaginta & Vulgatus Interpres cum aliis pleriſque interpretantur lapidem *Lyncurium*, quem aliqui putarunt nihil aliud eſſe quàm optimum ſuccinum. Alii volunt gemmam eſſe maculis depictam inſtar *lyncis*. Alii ſic appellatam hanc gemmam, quia ex *lyncis* urina oriatur. Contendunt enim hoc-ce animal urinam ſuam in terra occultare, quæ ubi concreverit, fiat lapis. Sed iſta adnumerare decet fabulis. Notum eſt olim ſuccinum appellatum *ligurium*, quod crederetur naſci in Liguria, quæ Italiæ regio eſt. Conjicit Braunius lapidem de quo nunc fit ſermo, eſſe *hiacynthum*. Etenim ſi B. Joannes reſpexit in Apocalyſi ad lapides Pectoralis, *hiacynthus* in eo reperiri debuit, cùm expreſsè illum nominet. Sed cùm hiacynthorum varia ſint genera, credibile eſt noſtrum *leſchem* ex illis fuiſſe qui colore ſuo accedunt ad ſuccinum; qua de cauſa *lyncurius* paſſim ab authoribus vocatur *ſuccinum* & *electrum*. Eoſdem fere co-

re colores quos animadvertimus in flore hiacyntho attribuunt hiacyntho gemmæ, nempe cæruleos, rubros, flavos, aureos, & id genus alia. Gemmæ hodie à noſtris gemmariis dictæ *hiacynthi*, ſunt aureo colore collucentes: qualis eſt color ſuccini.

VIII. *Schebo* alibi quàm in Exodo non reperitur. Septuaginta Græcis & Vulgato Interpretibus *achates* eſt, quem Gallicè dicimus *agathe*, Italicè *agata*. Nulla notior gemma quàm *achates*. Lapis ille pulcherrimus variis coloribus imaginibuſque decoratus eſt; ut ferè nihil extet, quod natura in hoc lapide non depinxerit. Ideò poteſt origo illius nominis derivari à voce Hebræa *akud*, quæ ſignificat *punctatum*, aut punctis & maculis notatum, quales fuerunt hirci Jacob. Si B. Joannes reſpexit ad lapides Pectoralis, cùm nominat *beryllum*, Braunius ſentit eſſe ipſum *ſcebo*, de quo nunc loquimur. Eſt autem *beryllus* una ex virentibus lucidiſque gemmis. Inter beryllos quædam gemmæ appellantur *chryſo-berylli*, paulò languidiores, fulgore in aurum vergentes. Sculpuntur berylli ſingulæ forma ſexangula, quò color, alioqui hebes & languidus, angulorum excitetur repercuſſu: vix namque fulgent aliter politæ.

IX. *Achlama*. Septuaginta & Vulgatus Interpres & alii complures intelligunt lapidem *amethiſtum*, Gallicè *amethiſte*, Italicè *amatiſta*. Lapis ille Plinio violacei coloris eſt, nomen habens à vini colore, qui in violam deſinit. Fulgor purpuræ eſt in hac gemma: non ex toto igneus, ſed in vini colorem deficiens. Vulgò creditur huic gemmæ nomen datum à præſidio profligandæ temulentiæ; ſcilicet quia faciat homines ἀμεθύσυς. Quidquid ſit, vineo colore eſt. B. Joannes in Apocalypſi memorat Amethyſtum; ut ſi ad lapides Pectoralis reſpexerit, credibile ſit intellexiſſe *achlama*.

X. *Tarſchiſch*. Sæpiùs occurrit in ſacro Codice lapis

lapis ille. In Exodo, ubi agitur de lapidibus Pectoralis, à ſeptuaginta Interpretibus & Vulgato redditur *chryſolithus*. Sed iidem Græci Interpretes alibi vertunt ἄνθρακα, id eſt, *carbunculum*. Adeò & ipſi dubii erant circa illos lapides, niſi quis ſuſpicetur tota Biblia Hebraica ab iis ſolis Græcè non reddita fuiſſe, ſed ſola quinque Moſis volumina; & ideò non putandos ſecus pugnare, ſi iiſdem Græcis nominibus quæ extra Pentateuchum occurrunt, res eædem non reperiantur expreſſæ. B. Joannes in Apocalypſi memorat *chryſolithum*; quæ gemma illi eſt dicta *Tarchiſch*, ſi ad duodecim gemmas in Pectorali reſpexit. *Chryſolithus* autem juxta Plinium gemma eſt aureo colore tranſlucens. Sic dicta eſt ἀπὸ τοῦ χρυσοῦ ab aureo: quaſi diceres *aureus lapis*. Hanc gemmam hodierni gemmarii quidem non chryſolithum, ut veteres, ſed *topazium* vocant. At malè, cùm veterum *topazius* non aureus ſed viridis fuerit, uti ſupra dictum eſt.

Nomen illud *Chryſolithi*, potuit eſſe generale & plurimis gemmis attribui; ut omnis lapis, cui aliquis color aureus ineſſet, chryſolithus dictus fuerit. Nam illæ gemmæ quæ in electri colorem declinant, *chryſelectri* dicuntur, & tales ſunt fortaſſis hiacynthi moderni. Nihilominùs illæ quæ aureo colore maximè tranſlucent, & quibus nullum vitium nec alius color immixtus eſt, verè ſunt chryſolithi. Talem fuiſſe lapidem *Tarſchiſch* videtur poſſe colligi ex Daniele (*cap.* 10. *v.* 5. & 6.) *Et levavi oculos meos*, inquit ille Propheta, *& vidi, & ecce vir unus veſtitus lineis, & renes ejus accincti auro obrizo*, id eſt, electo, *& corpus ejus quaſi chryſolithus*: in fonte, quaſi Tarſchiſch; *& vultus ejus quaſi ſpecies fulguris, & oculi ejus ut lampas ardens, & brachia ejus, & quæ deorſum ſunt uſque ad pedes, quaſi ſpecies æris candentis*. Ibi videtur Daniel nihil aliud intelligere

quàm

Digitized by Google

quàm corpus viri, qui apparebat fuiſſe inſtar optimi & fulgidiſſimi auri, Idem probari poteſt ex Canticis (*cap.* 5. *v.* 14.) ubi ſic loquitur Vulgatus Interpres. *Manus illius tornatiles, aureæ plenæ hiacynthis*. Hebræus verò codex habet, *manus ejus ſunt globuli aurei*, *ornati* ſive repleti *Tarſchiſch*. Hic iterum aurum & *Tarſthich* junguntur. Ergo voce *Tarchiſch* intelligitur *chryſolithus*, gemma quæ tota eſt aurea, & manum inſtar ſplendidiſſimi auri rutilare facit, neque enim manus ejus tantùm dicuntur globuli aurei, ſed & ratio ſtatim additur, ob quam ita dicantur, nempe propter annulos aureos, ſed præcipuè propter eximias chryſolithos, quibus & annuli, ideoque manus ſponſi ornatæ erant.

Nomen quidem *Tarſchiſch* à pleriſque recenſetur inter nomina maris, ut ſupra alicubi dictum eſt. Indè aliqui volunt gemmam, de qua quæſtio eſt, fuiſſe marini coloris. Verùm ſatius eſt *Tarſchis* interpretari regionem. Conſtat tempore Salomonis fuiſſe terram in orientalibus orbis plagis, quæ hoc nomine appellaretur, undè optimum aurum & aliæ merces multi pretii advehebantur. Forſan & Chryſolithi, gemmæ quæ referrent colorem metalli, nempe auri, cujus ferax eſſet *Tarſchis*, appellatæ ſunt hoc nomine. Urbs quidem erat in Hiſpania dicta Tharſis; ſed illa, ut videtur, non condita fuit niſi poſt obitum Moyſis, cùm Cananæi fugientes à facie Joſue, patria relicta, alias ſedes quæſiverunt in Affrica, in Hiſpania & alibi.

XI. *Schoham*. Pluribus in locis Scripturæ nomen hujus gemmæ occurrit, quod diverſis nominibus Græcis expreſſerunt Septuaginta Interpretes. Adeò dubii videntur fuiſſe circa illam gemmam, ſicut circa plures alias. In Geneſi enim reddunt *lapidem praſinum*, in Exodo tribus in locis *ſmaragdum*, & in altero loco *ſardium*. In verſione Græca libri Job reddi-

redditur *onyx*, & in Ezechiele *ſaphirus*. Ubique verò noſter Latinus Interpres intellexit eſſe *onychem*. Gemma *onyx* candorem præfert unguis humani ſimilitudine: undè illi nomen; ὄνυξ enim Latinè ſonat *unguis*. Braunius opinatur *ſchoham* eſſe *ſardonychem*, quæ mixtum nomen habet à *ſardio* & *onyche*. Sardius, ut vidimus, gemma eſt rubri coloris, ſive carnei coloris; ita, ut loquitur Plinius (*Lib.* 38. *cap.* 6.) *Sardonyches olim, ut ex ipſo nomine apparet intelligebantur candore in ſarda*, cujus mas dicitur ſardius, *hoc eſt veluti carnibus ungue hominis impoſito & utroque tranſlucido*. Ideò autem Braunius *ſchoham* pro *ſardoniche* habet, quia B. Joannes in Apolypſi numerat *ſardonichem*, qua voce videtur denotare noſtrum *ſchoham*, ſaltem ſi reſpexit ad duodecim gemmas Pectoralis: Objici poſſet *Schoham* haberi in ſacro Codice, ut in libro Job (*cap.* 28. *v.* 16.) & in Ezechiele (*cap.* 28. *v.* 13.) pro gemma pretioſa; Plinius autem docet ſardonichem non fuiſſe magni pretii. Sed præterquam raritas pretium addat rebus, & idcircò gemmæ certis temporibus fiant viliores quia minus raræ, conſtat veterum teſtimoniis quæ profert Braunius, inter gemmas pretioſas ſemper ſardonichem habitam.

XII. *Jaſpeh*. Septuaginta ſenes reddunt *onychem*, Vulgatus *beryllum*, Plinius & Solinus putant beryllum cum ſmaragdo communis naturæ eſſe colore ſurdo. Eſt & beryllus cærulei coloris, etiam violacei. Inter duodecim lapides qui erant fundamenta civitatis ſanctæ, juxta viſionem factam B. Joanni, numeratur beryllus, ſed non tacetur jaſpis; quàre miratur Braunius cur gemmam *Jaſpeh*, quæ duodecima erat in Pectorali, non intellexerint interpretes eſſe *jaſpidem*, ſive *jaſpim*. Optima autem jaſpis viridis eſt, & ad ſmaragdum accedit: *Vires & ſæpè tranſlucet jaſpis*, ut Plinius (*Lib.* 37. *c.* 9.) loquitur; ſed non omnis

jaſpis

jaſpis viridis eſt; variis punctis, lineis & coloribus ſæpiſſimè notata reperitur. Forſan quia ſmaragdo ſimilis eſt *jaſpis*, & beryllo ſimilis ſit ſmaragdus, jaſpidem Vulgatus Interpres appellavit beryllum tum in Exodo (*cap.* 28. *v.* 13.) tum in Ezechiele, contra verò, ut vidimus, ſextum lapidem Pectoralis videlicet *Jahalon* interpretatus eſt *jaſpidem*. Eſt autem genus marmoris quod ſolet appellari *jaſpis*, ut puto, quia referat colorem gemmæ jaſpidis.

II.

De duodecim lapidibus pretioſis Apocalypſeos.

His ita poſitis, duodecim lapides Pectoralis ferè omnes Joannes in Apocalypſi expreſſit. Etenim vidimus lapidem, quem vocat *calchedonium*, eſſe ipſum *carbunculum*, qui olim dicebatur *carchedonius*. Quam gemmam Græci Interpretes & Latinus dicunt *achatem*, vidimus haberi poſſe pro *beryllo*. Reſtaret itaque, ſi B. Joannes voluerit complecti omnes duodecim lapides Pectoralis, ut gemma quæ in fonte Hebræo nominatur *Jahalon*, & quam Braunius habet pro adamante, ſit *chryſopraſus* Apocalypſeos. Undecim enim aliæ gemmæ memoratæ à Joanne reſpondent, ut vidimus, aliis undecim nominibus gemmarum quæ inſertæ erant Pectorali. Nullam autem *adamantis* mentionem facit Joannes; nec ejus nomen uſurpat. In verſione quidem Græca & in verſione Latina Bibliorum, non ſemel nominatur *adamas*, quo nomine redditur nomen Hebræum *ſamir*; ſed illud *ſamir*, undè factum nomen Græcum *σμίρις*, nihil aliud denotat quàm lapidem duriſſimum; nec in his locis ubi ponitur, indicat lapidem pretioſum, ut apud Zachariam (*cap.* 7. *v.* 12.) *& cor ſuum poſuerunt ut adamantem*; ſic in Vulgata, ſed in fonte

eſt *ut*

eſt *ut ſamir*. In aliis locis ubi vox illa occurrit, aliud non ſignificat. Pulvis autem in quem reducitur *ſmiris*, ex Dioſcoride, Heſychio, & aliis, adhibebatur à gemmariis ad gemmas expoliendas; unde factum ut *ſamir* potuerit haberi pro adamante, quia lapis pariter durus eſſet, quanquam non pretioſus.

Ut apertiora ſint quæ hactenus dicta ſunt, nec omnino ambiguum & incertum lectorem dimittam tum circa lapides faſciæ Pectoralis ſummi Pontificis, tum circa hos duodecim lapides pretioſos, quibus fundamenta cœleſtis Civitatis ornata fuiſſe dicit B. Joannes in Apocalypſi (*cap.* 21.) exprimam duodecim nominibus Hebræis hoc duodecim Joannis lapides, nimirùm dicam quibus lapidibus faſciæ Pectoralis reſponderent; ſaltem veriſimilius eſt reſpondiſſe, ut ex dictis colligimus. 1. Jaſpis eſt Hebræum *Jaſpeh*. 2. Sapphirus *Sapphir*. 3. Calcedonius, *Nophech*. 4. Smaragdus *Bareketh*. 5. Sardonix *Schoham*. 6. Sardius *Odem*. 7. Chryſolithus *Tarſchiſch*. 8. Beryllus *Schebo*. 9. Topazius *Pithad.* 10. Chryſopraſus *Jachalon*. 11. Hiacynthus *Leſchem*. 12. Amethyſtus *Achlama*.

III.

De Margaritis.

Matthæus, Paulus, Joannes, adeoque Chriſtus ipſe non ſemel meminit *margaritarum*. In vetuſtis autem verſionibus veteris fœderis nuſquam illæ nominantur; ſemel Verſio *margaritæ* nomen uſurpat. Proverb. cap. xxv. 12. pro quo in fonte eſt *Choli Ketem*, id eſt, *ornamentum aureum*, in genere, omne ornamentum. Mirum omnes Prophetas de re tam eximia ſiluiſſe, maximè cùm in novo Teſtamento celeberrimæ habeantur. Nemo neſcit *margaritas*, quæ gemmis

mis annumerantur, eſſe uniones, vernaculè *des perles*, *perle* nempe baccas candentes, quæ naſcuntur in conchis marinis. Illæ conchæ petuntur ex mari, præſertim ex illo quod Erithreum ſive Rubrum appellant; undè margaritæ appellantur *Erithreo-lapilli*. Tales verò lapillos non ignotos fuiſſe temporibus Prophetarum contendit Bochartus, & arguit Interpres quod margaritæ nomine non reddiderint nomina Hebræa, quæ aliis gemmis tribui non poſſunt, & conveniunt *margaritis*. Loca ſi requirantur, primus ſe offeret Moſes (*Gen.* 2. *v.* 12.) ubi voce *Bedolach*, cujus proventu celebratur regio Havila, nec bdellium nec cryſtallus videntur ſignificari, quomodo multi exponunt, ſed *margaritæ*, quæ in illis locis feliciùs proveniunt, quàm terrarum uſpiam. Eodem facit quod Num. (*cap.* 11. *v.* 7.) *Bedolach* confertur manna, quia erat album, & rotundum: quæ duo in margaritis ſunt maximè inſignia.

In libro Eſther (*cap.* 1. *v.* 6.) inter lapides pretioſos, quibus ſtratum fuiſſe legitur Aſſueri cœnaculum, nominatur in fonte Hebræo *dar*, & in paraphraſi Chaldæa *dura*. Bochartus opinatur *margaritam* ibi ſignificari à ſphærica forma ſic dictam; *dar* enim Arabibus eſt *unio*. Vulgò tamen *dar* Eſtheris habetur pro marmore pretioſo. In Jobo & in Proverbiis *Peninim* inter res pretioſas cenſetur aliquoties. Margaritas intelligit quoque Bochartus, & dicit nomen illud ſemper in plurali occurrere, quia margaritæ plures conſeri ſolent in armillis & monilibus. Quin & prolatis teſtimoniis docet *πινικὸν Pinicum*, quod ut liquet, derivatur à *Peninim*, in Græcis authoribus accipi pro margarita. Piſcatio *pinici* illis eſt extractio *margaritarum* è fundo maris. In libro Job (*Cap.* 26. *v.* 18.) ubi in Vulgato legimus: *Trahitur autem ſapientia de occultis*, fons habet, *extractio ſapientiæ præ Peninim*. Id eſt, melior quàm *Peninim*, ut liquet.

quet ex iis quæ præcedunt & ſubſequuntur. Cùm igitur ibi extractio ſapientiæ præfertur extractioni *Peninim*, quis non videt alludi ad modum quo margaritæ ex mari extrahuntur; neque enim lapides pretioſos reperias ex maris abyſſis ſimili modo extrahi. In re tam clara Interpretes ideò cæcutierunt, quia de Nazaræis dicitur in Lamentationibus (*Cap.* 4. *v.* 7.) *corpore rubuerunt pluſquam Peninim*, ubi Vulgatus dicit *rubicundiores ebore antiquo*, & alii Interpretes *rubebant corpore magis quàm carbunculi*. Indè ſcilicet collegerunt *Peninim* non eſſe margaritas, quæ à candore commendantur, ſed rubræ gemmæ aliquod genus. Verùm eo in loco verbum *Adam* non decebat accipere pro *rubere*, ſed pro *ſummo candore eſſe*; præcedit enim in eodem verſu, *nive puriores fuerunt & lacte candidiores*, quibus hæc non cohærebunt, *corpore rubuerunt pluſquam peninim*, niſi ad candorem referantur. Etenim idem corpus non poteſt candidum eſſe nivis & lactis inſtar, & ſimul in modum carbunculi rubere. Ne autem putes novum loquendi genus eſſe, ſcias verbum *Adam*, quod quidem *rubere* ſonat, quandoque uſurpari in alia ſignificatione. Expende quod dicitur in Levitico (*Cap.* 13. *verſ.* 19.) Lepra ibi deſcribitur in fonte alba ruberrima, id eſt, ut liquet, ſummè candida. Similiter in Canticis (*Cap.* 5. *v.* 10.) ſponſus legitur *candidus & rubicundus*, id eſt, eximiè candidus. Poetæ quoque purpurea vocant quæ ſunt ſummè candida; Horatius enim cygnos appellat purpureos. Bochartus inſuper notat verbo *Adam* in Arabica lingua, quæ Hebraicæ dialectus eſt, ſignificari *candidum eſſe*.

In loco Eſtheris *dar* habendum eſſe pro *margarita* idem Auctor evincit, quia redditur à Græco Interprete *πινικὸν*, qui Interpres, ut apertum eſt, reſpexit ad *Peninim* nomen margaritarum. Mirum autem eſſe non debet *margaritam* numerari inter lapides

des pavimento deſtinatos in Aſſueri regia, quaſi ſit res ſine exemplo, ut tam pretioſa merx ſubſternatur pedibus conculcanda. Ex Plinio diſcimus Pompeium habuiſſe muſæum ex margaritis. Queritur Seneca gemmas calcari.

Ni fallor, ſermone attigi omnes lapides pretioſos, de quibus loquitur Codex ſacer. Reſtat explicandum nomen Hebræum *chodchod*, quod legitur apud Ezechielem (*Cap.* 27. *v.* 16.) Græci Interpretes & Vulgatus intactum reliquerunt eo in loco; non illud interpretati ſunt. Apertum eſt ibi *chodchod* eſſe quampiam ex pretioſis mercibus, quas Tyrii mercatores adveherent. Sunt qui derivant ex *chidod*, quod eſt *ſcintilla ignis*; unde habent pro *pyropo*, lapide pretioſo qui videtur ſcintillare. Idem *chodchod* reperitur apud Iſaiam (*Cap.* 54. *v.* 12.) ubi à Septuaginta Interpretibus redditur *jaſpis*, à Vulgato *ſapphirus*.

Vice appendicis adtexam gemmis olim mulieres caput exornaſſe. *Inaures* Hebraicè *neſamim* & *niſme* nimirùm gemmæ ab auribus earum dependebant. Juvat hic afferre quod dicit B. Hieronymus in caput XVI. Ezechielis. *Verbum Hebraicum* neſem, *excepto Symmacho, qui interpretatus eſt* ἐπίῤῥινον, *omnes* inaurem *tranſtulerunt, non quòd* inaures *ponantur naribus, quæ ex eo quòd de auribus pendeant* inaures *vocantur; ſed quòd circulus in ſimilitudinem factus inaurium, eodem vocabulo nuncupetur. Et uſque hodie inter cetera ornamenta mulierum ſolent aurei circuli in os ex fronte pendere, & imminere naribus.* Sic gemmis & aureis circulis ornatas olim mulierum nares diſcimus ex his Ezechielis (*Cap.* 12. *verſ.* 16.) verbis, *& dedi inaurem ſuper os tuum, & circulos auribus tuis*, &c. Videtur nomen *neſamin* fuiſſe commune omnibus gemmis, quibus tum omnis facies ornabatur. Facies autem interdum deſignatur nomine *narium*; ut per gemmas intelligi poſſint illæ gemmæ quibuſcum-

que facies exornatur. Id moris fuit potiſſimum Mauris, ut adſtruit B. Auguſtinus, apud quos fœminæ ſic faciem exornare ſolitæ, ut ſuper illam ex ſuperiori capite dependerent gemmæ, quæ ornamenta dici poſſunt inaures, ut pyxis aurea dicitur, quanquam propriè ſit vaſculum ex buxo.

CAPUT V.

De cæteris rebus naturalibus, quæ cœlo & terra continentur; de cœlo, de metallis; de re veſtiaria & cibaria; de aromatibus; quorum omnium prænotionem aliquam habere utile eſt ad ſacras Scripturas intelligendas.

I.

De Cœlo.

JUvat hoc-ce capite complecti cæteras res naturales, de quibus hactenus mentionem non fecimus; quas tamen non ignoraſſe utile erit huic qui ſe accingit ad lectionem ſacrorum Codicum. Initium ſumere lubet ab ipſo cœlo, quo omnia continentur. Primùm hoc cum cæteris quæ complectitur è nihilo eductum fuiſſe, eo tempore quod Scriptura adſtruit, non ſuſcipimus comprobandum. Etenim omnium ſcriptorum & monumentorum auctoritas evincit cæpiſſe, nec ab æterno conditum, ut contendebat Ariſtoteles, non diffitens in eo ſe ab omnium fide diſſentire. Nempe ſua ætate vulgaris erat opinio non à compluribus annis ortum accepiſſe. Vulgò quidem opinabantur Philoſophi *è nihilo nihil gigni* nimirum conſiderabant hominis poteſtatem; ſed cùm Deus omnia poſſit, & ejus virtute ſit quòd omnia corpora actu ſunt, ad imperium ſuum è nihilo oriri potuerunt. Mundus, inquam, opus eſt Dei, quod exponit Geneſeos

ſeſeos liber: ſic dictus ille liber, quia generationes cœli & terræ explicat. Non autem expectanda diligentior expoſitio rerum Phyſicarum; à qua etiam nos ſancti Patres revocant. *Multi enim*, inquit B. Auguſtinus (*Lib. 11. de Geneſi ad litt. cap. 9.*) *diſputant de iis rebus, quas majore prudentia noſtri auctores omiſerunt, ad beatam vitam non profuturas diſcentibus, & occupantes; quod pejus eſt, multùm pretioſa, & rebus ſalubribus impendenda temporum ſpatia.*

Animadvertendum ſacros Scriptores in iis quæ non erant de inſtituto ſuo, & in quibus error non præcavendus viro qui id unum ſatagit ut à virtutis via non aberret: Animadvertendum, inquam, ſacros Scriptores eas opiniones ſequi, quas primus rerum conſpectus ingerit animis, & ideò quas vulgus probat. Scilicet ſæpiùs loquuntur de rebus naturalibus prout apparent, non prout ſunt, quia non ſuſcipiebant patefaciendas, & ab inſtituto alienum eſſet hiſce explicandis immorari. Ita ſol & luna appellantur duo luminaria magna, quanquam conſtet lunam magnitudine ſua eſſe minorem pluribus ſtellis & planetis; ſed judicio oculorum major eſt: ideò & primis temporibus non aliter ſentiebatur; quam ſententiam tunc Scriptores ſacri ſecuti ſunt. Etenim, ut ait B. Hieronymus in caput 28. Hieremiæ: *Multa in Scripturis ſanctis dicuntur juxta opinionem illius temporis quo geſta referuntur, & non juxta quod rei veritas continebat.*

Invictis argumentis evinci poteſt cœlos, ſive ſpatium illud quo planetæ & cometæ divagantur, eſſe liberum; alioquin motus ſuos obire non poſſent: neque enim materiem cœlorum, ſi illa eſſet ſolida, penetrare poſſent, quæ moventur & tranſeunt è cœlo in cœlum. Non ideò minùs dicitur in libro Job (*cap. 37. v. 18.*) *Tu forſan cum eo fabricatus es cœlos, qui ſolidiſſimi quaſi ære fulſi ſunt.* Aut ut fons

reddi poteſt: *An expanderes cum eo cælos, junctos ſuperioribus nubibus, firmos ut ſpeculum fuſum.* Antiquitùs non alia erant ſpecula, quam quæ fierent ex ære terſo & polito. Cœlum quod ſupra nubes eſt, oculis apparet quaſi ſphæra concava. Quanquam enim non iiſdem intervallis ſidera quæ dicuntur fixa & errantia, ſive planetæ à terra diſtent; tamen videntur veluti uni ſphæræ concavæ affixa; quæ ſphæra ſit terſa & polita, inſtar ſpeculi ænei & ſplendentis.

Quin & ipſi primi Interpretes, nempè ſeptuaginta ſenes, qui fontes Græcè reddiderunt, ex vulgi opinione illos interpretati ſunt. Cùm enim veluti pro ſpeculo æneo & concavo haberent cœlos, id quod Hebræi appellant *expanſum*, ſive *expanſionem*, nempe cœlum illud diffuſum quod omnia complectitur: Cœlum, inquam, cogitantes firmum quaſi æneum, ſemper vocem Hebræam *Rakia*, id eſt, *expanſionem* reddunt στερέωμα, & Latinus Interpretes Græcos ſequens, *firmamentum*; undè facta vox Gallica *le firmament*, *& Ital. firmamento*, pro cœlo cui ſidera videntur inhærere, ſive pro extremo illo ambitu cælorum quem oculi noſtri attingunt. Nomen autem Hebræum ſignificat tantum *expanſionem*, id eſt, quaſi magni velaminis ſive tapetis expanſi. Itaque ex eo quod dicitur in Eccleſiaſte: *Terra autem in æternum ſtat: oritur ſol & occidit;* non concluditur quies vel motus terræ. Si oculorum judicio ſtamus, terra ſtat, ſol movetur: An reipſa, & non ſolum ſecundùm apparentiam, Scriptores ſacri non dijudicant.

Eos ex oculorum ſenſu loqui indicat quod dicunt aquas ſupra cœlos eſſe. Imbres certè defluunt cœlo... Sed notum è terra humenti & tepenti aquas reſolutas in vapores aſcendere, ex quibus, cùm coguntur, nubes fiunt, & dum liqueſcunt, effundunt imbres. Regius Pſaltes (*Pſal.* 103. *v.* 3.) mentes imbuere doctrina non ambiebat, unum ſollicitus in Deum cor

amore

amore incendere, dum canebat deſcribens Dei opera prout illa conſpicua ſunt. *Extendens cœlum ſicut pellem: qui tegis aquis ſuperiora ejus.* Quaſi imbrium ſcaturigo eſſet in ipſis cœlis. Sed qualiſcumque ſit illa ſcaturigo, imbres cœlo decidunt, & hoc ex Dei diſpoſitione: quæ licet minùs nota ſit, conſtat tamen Deum mirum eſſe artificem. Dum reciprocos maris fluxus advertimus certis & perpetuis legibus aſtrictos, non ideò incerta eſt nobis Dei poteſtas, quia fieri poteſt ut hactenus naturalis cauſa reciprocationis hujus ignota fuerit.

Scriptura ſacra non ſolis ſapientibus parata eſt, iis nempè qui artes profitentur, & ſtudio litterarum dediti ſunt, ſed tenuioribus, nec acuto ingenio præditis. Scriptores ſacri ſe illis attemperant, nec res ſubjiciunt niſi eo modo quo captui erant idoneæ. Ergo, ut verbis magni Auguſtini utar, cùm omnibus ferè ea ſit conſuetudo intelligendi, quæ illis cernendi eſt; & ideò oratores res omnes quas deſcribunt, rebus notis & expertis aſſimilent: pariter ſacri Scriptores quandò de rerum natura ſermonem faciunt, eam etiam ſimilem faciunt operibus artis. Ita Deus exhibetur in libro Job (*cap.* 38.) terram condens quaſi artifex, qui ædes fabricaturus, primùm fundamenta locat. Ne longum faciam, ſermo ſacri Codicis, ut linguæ populi qui compellatur, ſic opinioni convenit. Scilicet in iis quæ ſpectant res phyſicas, puta in ſyſtemate mundi (qualecumque ſit verum ſyſtema) quia ſol videtur moveri, non eſt hujus loci definire an ſtet. Quia, inquam, ſermo quotidianus accommodatus eſt noſtris ſenſibus, decuit ſacros Scriptores, qui ſibi non propoſuerant differere de rebus aſtronomicis, loqui de ſole tanquam de gigante qui viam initam celeriter emetiretur. Etiam jure dixit Joſue, *ſta ſol*, *ne movearis*, cùm colligendæ victoriæ opus haberet longiori die. Neque enim Joſue aliter locutus eſſet, quanquam re-

ipſa non eſſet certum terram ſtare; etenim ipſi etiam qui impugnant quietem terræ, aliter non loquerentur.

Utrum verò verè ſol ſteterit, ſive ſol, ſive terra, plerique quærunt. Modò enim complendæ victoriæ ſuffecerit tempus, ſunt qui putant non opus fuiſſe tanto miraculo, quo rerum vices ceſſaſſent, & tota natura fuiſſet perturbata. Non tanti erat, aiunt, à Joſue una die vinci Amorrhæos, quos poſtea poterat delere. Verùm & pariter dici poſſet quòd tranſitus Jordanis ſiccati, & caſus murorum Jericho ad ſonitum buccinæ omnino non erant neceſſarii, placuerit autem Deo ſic demonſtrare potentiam ſuam, & favorem erga Iſraelitas, quos cum tantis portentis volebat inducere in terram quam patribus eorum promiſerat. Si dies victoriæ hujus ideò cenſeretur productus, quia de loco certaminis non defecerit inſolitus ſplendor, certè aut ipſe Joſue deluſus eſſet, aut nos luderet; loquitur enim de reali ſtatione ſolis. Dixit ille: *Sol contra Gabaon ne movearis, & luna contra vallem Ajalon. Steteruntque ſol & luna donec ulciſceretur ſe gens de inimicis ſuis. Nonne ſcriptum eſt hoc in libro Juſtorum? Stetit itaque ſol in medio cœli, & non feſtinavit occumbere ſpatio unius diei. Non fuit antea nec poſtea tam longa dies, obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Iſrael.* Quomodo id factum ſit ſi à me requiratur, reſpondebo id factum volente Domino qui fecit ſolem & lunam: qui omnia de nihilo fecit, & de omnibus facit quæcunque vult.

Ut revertar ad id quod dicebam, non pertinere ad religionem opiniones phyſicas, obſervabo ſive ſtet ſol, & moveatur terra, ſol vero giret circa eam; cùm utriuſque ſtatus firmus ſit & hactenus perſeveret, meritò ſupremus artifex laudandus ob ſummam potentiam & conſtantiam.

Non

Non autem mirum videri debet ſi interpres Latinus ſtellas cæli deſignet nominibus, quorum Gentiles authores ſunt, hanc *arcturum*, illam *oriona* appellans; neque enim aliis nominibus uti potuit quàm notis, & uſitatis. Piſces videtur ille Interpres locare ſub terra, in illo Deuteronomii (*cap. 4.*) *ſive piſcium qui ſub terra moventur in aquis*. Sed liquet aquas piſcium habitaculum dici ſub terra, quia aquæ depreſſiores ſunt. Nemo eſt adeò oratoriæ artis neſcius, qui non advertat facundiam & energiam ſacrorum Scriptorum, maximè in Pſalmis. Haud carent illo decore poetico, quo excultus ſermo jucundior eſt, & magis aptus ciendis affectibus. Gentium poetæ falsò fingunt Neptunum regem ventorum, quos ille clauſtris & carcere coerceret. Verius & elegantiùs Deum ventis imperantem cecinit Pſaltes regius: *qui educit ventos de theſauris ſuis*. Quia quæ vivunt magis nos commovent, ideò ut vividior ſit ſermo, ipſis inanimis rebus vitam tribuunt Poetæ & Oratores. Sic in ſacra Scriptura animalia cognitione prædita dicuntur: bos dicitur *cognoſcere Dominum ſuum*: mare & venti dicuntur Deo obedire, quanquam obedientia ſit virtus creaturæ quæ cognitione prædita eſt. Sanguis dicitur anima viventium, quia potiſſimùm vita conſtat ſanguine: anima autem idem ſæpius ſonat in ſacro Codice quod vita, ita de animalibus non aliud innuit hic Codex, niſi vitam in illis eſſe motum ſanguinis.

In genere multa dicuntur de animalibus, quæ illis tribuuntur, tanquam ſymbolis. Verbi cauſa, ſerpens ante lapſum hominis ventre ſerpebat; poſteà ex quo diabolus delituit ſub forma ejus, dicitur cœpiſſe ſerpere, quia quod à rerum initio natura ejus erat, poſtea ſymbolum fieri potuit animalis maledicti à Deo; ſicut iris erat in cœlo ante diluvium: neceſſe eſt enim ut appareat arcus ille, qnoties nubes roſcida opponi-

tur radiis ſolis: ſed poſt diluvium, pro ſigno conſtitutus eſt, quòd Deus non ampliùs obrueret aquis diluvii omnem creaturam. De hoc-ce arcu Scriptor ſacer loquitur, quaſi poſitus ſit poſt diluvium. Vir peritus advertit arcum illum per ſe ſignum eſſe quòd ea die qua apparet, non debeat timeri diluvium. Etenim ut fiat iris neceſſe eſt huic partem oppoſitam cœli eſſe ſerenam, quam ſolis radii penetrare poſſint uſque ad nubem in qua arcus formandus eſt; itaque totus aer non ſatis nubibus denſatur, ut fiat aquarum diluvium. Arcus, inquam, ille denuntiat ſerenum tempus.

Pertineret ad hunc locum quærere quomodo in horologio Achaz ſol regreſſus ſit decem gradibus, ſive lineis, ut hoc portento Iſaias confirmaret Ezechiam regem de veritate promiſſi quod ei nomine Dei faciebat, convaliturum ex morbo quo decumbebat, & de manu regis Aſſyriorum liberatum iri (4. *Reg. cap.* 33.) Portentum eſt, ſive miraculum, cujus nulla ratio reddi poteſt, niſi abſoluta poteſtas, cujus in virtute Iſaias operabatur; ſive potiùs ipſe Deus, qui ergo omne id quod perturbaret rerum naturam facilè ipſe impediebat.

Ad rem non pertinet expendere, an illud artificium quo, prout lubebat Jacobo, oves pariebant agnos varios, ſive maculatos, fuerit omnino naturale. Deus quidem potuit artem Jacobi etiam divinitùs ſecundare; ſed certum eſt magnam eſſe vim facultatis ejus, qua in cerebro variæ delineantur formæ. Pars matris eſt proles dum in utero ejus concluditur, & cum cerebro ejus colligatur. Ideò videmus tùm formam tùm colorem in prole referri rerum quarum imagine mater vehementer commota fuerit. Ergo cùm his ce temporibus, quibus fœtus conciperent & prægnarent oves, in canalibus, ubi adaquabantur, Jacob diſponeret virgas diverſi coloris, non mirum eſt ſi fœtus

variis diſtincti maculis naſceretur. Revocabo ad pauca capita quæ prænotanda ſuperſunt circa res naturales, de quibus ſit aliquis ſermo in ſacro Codice.

II.

De Metallis.

De metallis differentes conſiderabimus in genere opera ex illis fieri ope mallei, vel admoto igne quo liqueſcunt. Etenim non ſic cohærent eorum partes, ut malleo non poſſint extendi, & ex illis tenuia fila deduci. Ars autem artificum potiſſimùm animadvertenda eſt, qua portione qualibet metalli norunt res planas, cavas, gibbas, rotundas, patulas facere repetitis mallei ictibus, contrahentes, aperientes, ut videre eſt in hujus artis operibus. Illa opera ſolent dici facta ex metallo ductili; cùm verò conflatur metallum, ſive fuſum liqueſcit, & infunditur in typum, formam hujus recipit. Candelabrum Moſis factum eſt ex auro ductili: mare æneum ex ære fuſum eſt.

Omnium metallorum præſtantiſſimum eſt aurum. Varia auri genera memorantur in Scripturis, ſive ſint quæpiam diverſa genera, ſive varia ejus nomina, à natura, à colore, à loco unde eruitur. 1. Dicitur *Tob*, id eſt, ***bonum***, quia revera bonum eſt & utile. 2. *Thaor*, id eſt, puriſſimum, quando ſcilicet nihil admixtum habet. 3. in lib. 3. Reg. (*Cap.* 10. *v.* 17.) nominatur aurum *Sagur*, à verbo Hebræo quod ſonat *claudere*, quia aurum claudatur ob pretium. Septuaginta interpretati ſunt ***aurum purum*** (3. *Reg. cap.* 10.) 4. Aurum appellatur ***mupaz***, à quodam loco dicto *Uphes*, vel quia eſt inſtar *Paz*, id eſt, quia micat; *Pazaz* enim Hebraicè eſt *ſubſilire*. Septuaginta interpretantur ***aurum probatum*** (*Jer. c.* 10. *v.* 9.) 5. *Meſukak*

ſukak quia hoc auro obducuntur parietes, inquiunt Judæi. Septuaginta appellant aurum de *mophaz*, & Latinus de *Oppaz*, quod 1. Paralipom. (*Cap.* 28. *v.* 18.) appellant *aurum purum probatum*. 6. *Schachut*, quia netur inſtar fili, vel quia ducitur inſtar ceræ. Latinus Interpres appellat *aurum probatum* (3. *Reg. c.* 10 *v.* 17.) Septuaginta verò *aurum ductile*. 7. nominatur aurum *Parvain*: Latinus Interpres iterùm reddit *aurum probatum* (2. *Paral. cap.* 3.) Græci verò locum eſſe aliquem putaverunt, undè aurum adveheretur, puta à *Taprobane* inſula quæ videtur derivare ſuum nomen à *Taph*, id eſt, littus & *Parvain*, quaſi dicas *littus Parvain*. Alibi dictum etiam de Ophir adductum aurum, quæ regio Ophir forſan non alia quàm Taprobane, quæ nunc *Sumatra* dicitur auro feraciſſima.

In Scripturis, ut in Apocalypſi, opera quæ Hebræus & Græcus codex dicunt facta ex ære polito ſive purgato, hæc Latinus interpres dicit facta ex aurichalco. Sunt autem qui diſtinguant *auricalchum* ab *oricalcho*. Vulgò creditur *oricalchum* dici illud æs quod foditur in montibus; undè quod Latinus Interpres appellat in Apocalypſi *aurichalcum*, in fonte Græco dicitur *χαλκολίβανος*, quaſi ibi fieret ſermo de ære effoſſo in monte Libani. Verùm certis veterum teſtimoniis conſtat *orichalcum* eſſe quidem genus aliquod æris, ſed quod fiat quadam admixtione album. Itaque Bocharto *χαλκολίβανος* non eſt *æs montis Libani*, ſed æs album; *Lebana* enim Hebraicè idem ſonat quod *album*. *Aurichalcum* autem, ut nominis origo aperta indicat, eſt metallum mixtione auri & æris conflatum. Olim ex auro, quod certa portione cum argento permiſcebatur, fiebat ἤλεκτρον *electrum*. Nomen quidem illud, ſolet tribui ſuccino, & cryſtallo; verùm capite 1. v. 4. verſionis Græcæ Ezechielis, ubi ponitur pro verbo Hebræo *Haſmal*,

mal, interpretandum eſt de aliquo metallo; neque enim ibi *electrum* poteſt ſumi pro ſuccino & cryſtallo. Non etenim ſuccinus & cryſtallus ſplendeſcunt, quod Ezechiel dicit de *Haſmal*, cùm ponuntur in igne. Succinus in reſinam liqueſcit, cryſtallus verò amittit ſplendorem ſuum. *Haſmal* non fuiſſe electrum, prout nomen illud ſignificat metallum partim aureum, partim argenteum, ſentit Bochartus, ſed potius aurichalcum. Probat etymologia nominis *Haſmal*, quod acceſſit ex Chaldæa lingua, in qua *melal* eſt *aurum*, & in lingua Hebræa *Nechas* eſt *æs*. Ex *Nechaſmelal* fieri poteſt per apocopem *Haſmal*. Præterea allegat vetuſtos teſtes, qui ſcripſere apud Babylonios fuiſſe æs lucidum & purum, rubiginis expers, quod colore ab auro non dignoſceretur, ideòque aurichalcum ſive æs aureum dici potuerit.

III.

De Stibio & Nitro.

Non ſemel in Vulgata noſtra fit mentio ſtibii, quo videre eſt olim Iſraelitidas mulieres colorem vultus fucaſſe. Græcè dicitur *φῦκος*, quod nomen reſpondet Hebræo *Phuch*, quod *fucus* eſt. Stibium autem, ſive *στίμμι*, ſive *στίβι*, utrumque habent Septuaginta, lapis eſt candicans & nitens, qui in argenti metallis invenitur, vulgò *antimoine*, *antimonio*, quo mulieres utebantur in vultu pingendo: non ut candidiores apparerent; imò ut fuſcarent oculos. Vetuſta lexica docent *ſtibium* eſſe colorem metallicum & nigrum. Fucabant ſe olim mulieres purpuriſſo ut conciliarent genis & labiis ruborem, ceruſſa candorem ori & collo, & ſtibio nigrorem oculis; quos B. Hieronymus in Epiſtola ad Furiam *appellat orbes ſtibio fuliginatos*. Una ex filiabus Jobi (*Cap.* 42. *v.* 14.) nomi-

nominata fuerat *cornuſtibium*, in fonte *Kerenhapuch.* Nomen Hebræum *Puch* idem ſonat ac Latinum *fucus*; ſed & vertitur *ſtibium*: nomen *Keren* radium & cornu ſignificat; *Karan*, radios ſplendoris inſtar cornu emittere. Filia illa Jobi *Cornuſtibium* nigris oculis forſan ſpectanda erat.

Nitrum Hebraicè dicitur *Nether*. Conſtat ex Jeremia (*Cap.* 2. *v.* 21.) fuiſſe rem aptam ſordibus abſtergendis: *ſi laveris te nitro*. Græci Interpretes & Latinus noſter illud non vertunt. Quæritur an illud nitrum habendum ſit pro noſtrate nitro, quod ſalpetra dicitur *du ſalpetre*, *ſalnitro*. Peritiores volunt aliud eſſe genus ſalis; & ſalem petræ ignotum veteribus, novitiumque inventum ad bellicorum tormentorum uſum.

IV.

De re veſtiaria.

Suo loco diſſeruimus de veſtitu Sacerdotum; tum & de iis quæ in veſtitu omnium Judæorum attinebant ad religionem, ſive quæ præcipiebantur legibus obſervanda. Sermo ergo ille quem ſuſcipimus, ſpectat primùm diverſa opera quibus conficiebantur veſtes & ornabantur. Eſt opus *Taſchbetz* aut *Miſchbezeth*, quod *teſſellatum*, vel *ſcutatum*, vel denique *reticulatum* dicere poſſis; cùm ſcilicet ſic texitur pannus, ut diſtinctus ſit variis maculis, vel orbiculis, quaſi totidem oculis. Hoc-ce opus appellatur *ocellatura*. Ocelli illi erant quaſi foſſæ quæ fiunt in annulis aureis, quibus inſiguntur lapides pretioſi. In Pſal. 44. v. 14. Sponſa Chriſti dicitur veſtita *in fimbriis aureis*. Fons benè vertitur *in fundis aureis*, quatenus nomen illud *funda* denotat partem annuli, quo gemmæ nectuntur. Scilicet veſtis illa ſponſæ erat

ocella-

ocellata ſive *reticulata*, diſtincta talibus *fundis aureis*. Tales veſtes rigentes auro vix poterant transfigi. In ſecundo Regum (*Cap. 1. v. 9.*) ubi Saul queritur non poſſe ſibi necem inferre, & ab Amalecita auxilium ad id poſtulat: *tenent me anguſtiæ*, inquit, *& adhuc tota anima mea in me eſt*. Senſus fontis videtur talis eſſe: *tunica illa ocellata*, facta opere de quo quæſtio, *me retinet* vel *impedit* quominùs poſſim me transfigere gladio.

Eſt aliud opus dictum *Choſcheb*, quod ut etymologia nominis indicat, eſt opus artificioſiſſimum, quod ingeniosè excogitatum eſt, à verbo *Chaſchab*, quod eſt *cogitavit*, ſive quod multa indiget cogitatione. Conſiſtebat autem in certis quibuſdam figuris & varietate colorum, quare veſtes hoc opere confectæ dicebantur *variæ*. Vulgatus illas appellat *polymitas*, id eſt, plurimis liciis textas, ut nomen illud quòd Græcum eſt, notat: *μίτος* eſt filamentum; ſed & ſignificat veſtes pluribus coloribus & grata aliqua varietate colorum atque figurarum diſtinctas & ornatas. Tale opus & *plumarium* vocat idem Vulgatus, quod nomen ſignificat id quod varium eſt. *Plumare* eſt *ποικίλλειν*, nempe *variare*.

Opus *Rokem*, undè *Rekamet*, Vulgatus Interpres pariter interpretatur *opus plumarium*. Ex voce Hebræa Itali formarunt ſuum *recamare*, pro *acu pingere*. Differunt tamen *Choſcheb* & *Rochem*, inquiunt, quod *Choſcheb* textum ſit nulla adhibita acu; *Rokem* verò acu pictum ſit, quod opus *Phrygionicum* dicitur; quia hujus Phryges inventores creduntur. Quæ pectine fiunt opera, difficiliora ſunt acu pictis; ideò opera *Choſcheb* cenſentur, id eſt, artificis excogitantis, nimirùm qui non vulgarem ſolertiam adhibet. Antequam ultra progrediar, obſervabo veſtem, quam Hebræi nominant *Paſſim*, qualis fuit Joſephi, (quam Vulgatus appellat *polymitam*) fuiſſe ex diver-

ſis fru-

ſis fruſtis, ſive portiunculis, quod indicat nomen Hebræum, contextam. Scilicet variata erat tunica Joſephi, & multis coloribus diſtincta, quales erant hotum Gallorum veſtes, quos Virgilium (*Æneid. Lib.* 8. *v.* 660.) dicebat *lucere virgatis ſagulis*: Nempe ſagula eorum habebant in virgarum morem deductas vias. Ad hæc ornamenta alludebat Tibullus dum lib. 2. eleg. 3. canit.

Illa gerat veſtes tenues, quas fœmina Coa
Texuit, aratas diſpoſuitque vias.

Indè lucem accerſo obſcuro loco Canticorum (*cap* 8. *v.* 5.) ubi deſcribitur decor Sponſæ: *Coma capitis tui ſicut purpura regis vincta canalibus*. Scilicet capilli tui implexi, vernacule *les treſſes*, *le treccie*, non minus placent, quam viæ quæ ſunt in purpurea veſte regis. Verbum fontis *Rehatim* indicat ambulacra, canales, vias per quas diſcurritur.

Eſt quartum opus, quod fons Hebræus appellat *Scheſch mazſchar*. Vulgatus Interpres accipit *Scheſch* pro byſſo; *Mazſchar* verò intelligit filum retortum; ideò reddit *byſſum retortam*. Sed *Scheſch* eſt etiam nomen numeri *ſex*; ideò volunt quæ opere illo contexta eſſent velamina, facta eſſe ex ſex filamentis retortis, ſive ex ſextuplici filo.

Sola quæ difficilia ſunt attingimus, & quæ circa materiam veſtium minùs nota. Ergo non opus eſt dicere primum homines foliis, deinde pellibus, ſive animalium exuviis ſe induiſſe. Pelles erant veſtimentum Prophetarum, ut indicat Epiſtola ad Hebræos (*cap.* 11. *v.* 37.) *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis*. Ex Suida melote μηλωτὴ eſt ovina pellis, vel pera confecta ex ovina pelle. Nulla res alia majorem uſum unquam habuit in veſtimentis, quàm lana & linum, quibus terra Iſraelis abundabat. Linum à cannabo differt. Linum notatur in fonte hoc-ce nomine *Schech* vel illo *Bad*. In Græca verſione

Digitized by Google

ſione appellatur *βύσσος*; in Latina ſæpiùs *byſſus*, quandoque *linum*.

Non una ſpecies eſt lini; præterquàm certis regionibus linum pretioſius naſcitur. *Goſſipium* vernaculè *coton*, ital. *bambagia*, etiam appellatur *linum Xilinum*, quatenus ex frutice venit, qui poma fert, quibus continetur goſſipium. Frutex ille non viti diſſimilis eſt; unde goſſipium appellatur *lanea vitis*. Jam ſuprà de hoc ce genere lini mentionem feceramus.

Certis pinnis ſive cochleis marinis innaſcitur ſpecies lanæ quæ appellatur *byſſus*. Hoc-ce nomine etiam appellatur linum illud quod Indi ex arboribus legunt. Quæritur ergo utrum Hebræum *Schesch* ſive *Bad*, ſive *byſſus* Græcæ verſionis, ſive *linum* volgati Interpretis ſit linum, quale eſt illud cui id nominis damus. Puto non aliud fuiſſe, adductus hoc argumento, quod linum noſtrum, ex quo fiunt retia & funes validiores, dicatur ab Hebræis *Piſchthim*, quo nomine *Schesch* & *Bad* intelliguntur. Certum eſt autem non ex goſſipio funes fieri. Ex cannabo quidem etiam torquentur funes; ſed veſtes lineæ Sacerdotum ex pretioſiori materia fuiſſe confectas veriſimile eſt.

Et capræ miniſtrabant pilos, ex quibus veſtes conficiebantur; ut diſcimus ex Varrone. In Cilicia tondebantur, ut oves apud alias gentes. Indè ſunt qui putant cilicia ſive ſaccos quos viri pii induebant, ex caprarum pilis fuiſſe factos, non quidem ex tenuioribus ſed craſſioribus; quales illi ſunt quibus mercatores ſolet involvere ſuas merces. Nigri erant illi ſacci; etenim pili candidi in majori pretio erant: indè dicitur in Scriptura cælum indui nigredine & ſacco ſive cilicio, cùm nubibus atris obducitur. *Cilicium* eſt veſtis rudior & vilis; undè induebatur in ſignum luctus. Ex villis capræ videtur Michol paraſſe capillitium, quo ſimulavit Davidem ægrum decumbere in lecto.

lecto. Legerant Græci Interpretes (1. *Reg.* 19. *v.* 13.) *Caved*, id eſt, *jecur*; undè ſic interpretati ſunt hunc locum quaſi Michol jecur recens capræ exemptum ſuppoſuerit ſtragulis; cujus, ut dicit Joſephus, palpitatione viderentur illa moveri. Sic creditum quòd verè in lecto David decumberet. Fons verò hodiernus ſicut & tempore B. Hieronymi habebat *Cabir*, id eſt, *magnum*, *validum*, *multum*. Sic ergo in vulgata noſtra legimus: *Tulit autem Michol ſtatuam* imaginem, *& poſuit eam ſuper lectum, & pellem piloſam caprarum.* Cappillitium nempe ex magnis & multis villis capræ, *poſuit ad caput ejus & operuit eam veſtimentis.*

Veſtium ſericarum uſum ignotum fuiſſe tempore Moyſis conſtare debet, cùm apud Romanos nec ſericum cœperit innoteſcere niſi ſub Auguſto. Apud Ezechielem (*cap.* 16. *v.* 10.) legitur vox illa *Meſchi*, quam nonnulli interpretantur *ſericum*; verùm Propheta indicat tantummodo veſtimentum aliquod ſubtile & pretioſum. Etiam vocem *Schericboth* apud Iſaiam (*cap.* 16. *v.* 8.) aliqui habent pro veſte ſerica; ſed & illa vox derivari poteſt à verbo Hebræo *Sarach*, quod idem ſonat ac *pectere*, ut *Schericboth* ſint lina benè pexa, quod probat Braunius in docto opere de veſtitu Sacerdotum Hebræorum. Inter pretioſas veſtes Scriptura ſacra ſolùm numerat byſſum & purpuram. Quid ſit purpura dicturus ſum.

Lana, prout diverſimodè tincta erat, dicebatur Hebræis vel *Thechelet*, vel *Argaman* vel *Tholaat ſchani*. Conſtat *Thechelet* eſſe hiacynthum, nempe colorem violaceum ſive cæruleum, qui color eſt cœli ſereni, & maris, & æeris nigricantis, quem Galli vocamus *bleu-mourant*, Itali *azzurro*. Sunt qui contendunt colorem *Thechelet* non alium eſſe à conchylio, nempè à ſanguine conchyliorum, quo conchyliatæ veſtes inficiebantur. Purpura autem nomen eſt com-

mune

mune non uni pretioſo colori. Erat quippe purpura violacea apud veteres; ut purpura ſit omnis veſtis coloris pretioſi; undè, ut jam obſervatum eſt, *byſſus & purpura indumenta ejus*, id eſt, pretioſa ſunt ejus indumenta. Attamen purpura ſæpiùs ſumitur pro rubro colore; undè ſanguis dicitur purpureus. Nomen Hebræum *Argaman* redditur à Græcis *purpura;* ita *Argaman* decet intelligere fuiſſe rubrum colorem, qualis eſt in roſa nigricante, aut in ſanguine concreto. Purpuræ quæ dicebatur *Tholaat ſchani*, erat quidam color rubeus, ſed rubedine florida, & acuto lumine ſplendens inſtar micantis roſæ ſine nigritia & ſaturitate. Græci *Tholat ſchani* interpretantur colorem coccineum, cui ineſt igneus fulgor, Gallicè *rouge cramoiſy*, Ital. *chermiſi*. Vidimus *ſchani* eſſe fruticem, in cujus ſanie panni tincti dicuntur habere colorem coccineum; qui ideò dicitur vermiculus, undè Gallicè *vermillon*, Italicè *vermiglio*. Arabes animal quod in cocco reperitur appellant *Kermes*; undè procul dubio factum nomen Gallicum *cramoiſy*.

Dum loqueremur de cocco frutice, vidimus illum ab Hebræis dici *Schani*, quod nomen datur colori qui educitur è cocco. Quia autem vox Hebræa non multùm differt à *Scheni*, quòd idem ſonat ac *ſecundus* vel *duplex*, ideo Latinus Interpres cum Græcis in Proverbiis (*cap.* 31. *v.* 21.) intelligit veſtem *Schani* eſſe veſtem duplicem, cùm ſit veſtis coccinea. Etiam obſervatum eſt veſtem *Tholaat* ſonare Hebræis quod *vermis* Latinis, & *Tholaat Schani* eſſe vermiculum fruticis hujus qui *Schani* dicitur, cujus ſanie tingebantur veſtes coccineæ; ut hodie color, quem vernaculè appellamus *eſcarlate*, *chermiſi*, fit ex vermiculis ſive ex quadam ſpecie muſcarum, quæ materies, qualiſcumque ſit, nominatur vernaculè *cochenille conchiglia* : de illa enim materia tinctoria audio lites moveri.

Non prætermittendum eſt Judæos delectatos veſti-

Qq bus

Digitized by Google

bus laneis albi coloris; quæ veſtes cùm facilè ſordeſcant, ideo fullonibus crebro committendæ erant; quorum ars verſatur in lavandis & dealbandis laneis veſtibus creta, &, ut hodie fit, ſulphure. Indè apud Marcum (*cap. 9. v. 2.*) *& veſtimenta ejus facta ſunt ſplendentia, & candida nimis velut nix, qualia fullo non poteſt ſuper terram candida facere.* Cùm nobiles Hebræorum albas veſtes ſibi deligerent, ideò qui præclaro aliquo ſtemmate erant inſignes vocabantur *chorim*, quaſi dicas *albatos*; illi autem qui obſcuro loco editi erant, *Chaſchuchim*, id eſt, *obfuſcati*, *obſcuri*. Parantur veſtes, quibus corpus adversùs frigus & aeris injurias præcingatur; ideò illæ dicuntur *περιζώματα perizomata*, id eſt, *ſuccinctoria*, quæ Adam & Eva ſibi fecerunt ad tegendam nuditatem (*Gen. cap. 3. v. 7.*) Veſtis totum corpus tegebat, ſed *ſemicintium* partem. Nimirum pannus erat, quod partem anteriorem corporis à cingulo ad pedes præcingebant pauperiores qui forſan ex inopia tunicam integram non habebant.

Penula erat veſtimenti genus, quo iter facientes & nebuloſo ſeu pluvioſo tempore utebantur antiqui. Talis erat *penula* quam Paulus Troade reliquerat apud Carpum. Non dicam fuiſſe veſtes proprias gaudio, luctui, conviviis, nuptiis: alias talares, laxas, quæ ideo dum fieret iter, altè accingendæ erant. Locus autem Levitici (*cap. 19. v. 19.*) exponendus eſt: *Veſte quæ ex duobus texta eſt, non indueris*, nempe ex lino & lana. Hac lege, ut alibi diximus, Deus ab omni mala permixtione revocabat Iſraelitas. In illorum gratiam patraverat inſigne miraculum, quod Moyſes eis in memoriam revocat in Deuteronomio VIII. 4. *Veſtimentum tuum quo operiebaris, nequaquam vetuſtate defecit, & pes tuus non eſt ſubtritus, en quadrageſimus annus eſt*. Quod & legimus in ſecundo Eſdræ IX. 21. *Quadraginta annis paviſti eos in de-*

in deſerto, nihilque eis defuit: veſtimenta eorum non inveteraverunt, & pedes eorum non ſunt attriti. Non ſolùm neceſſe fuerat ut in deſerto non veteraſcèrent eorum veſtimenta, ſed ut unà cum eorum ſtatura creſcerent; debebant enim ſucceſſivè parvulis & adultioribus viris quadrare, quod pro magno miraculo habendum eſt.

V.

De re cibaria.

Rem cibariam ordiamur ab eo pane cæleſti quo Deus pàvit Iſraelitas in deſerto, qui dictus eſt *Manna* aut *Man*, mellei ſaporis, & ſimilis *bdellio*, ut ait Scriptura. Vidimus autem de gemmis differentes ibi *bdellium* accipiendum pro *margaritis*, quarum ſimilitudinem tum candore, tum rotunditate ſua *Man* referebat; ut loquitur Vulgatus Interpres (*cap.* 16. *v.* 31.) *quod erat quaſi ſemen coriandri*, fons dicit, ut ſemen *Gad*, quod Græci reddunt κορίου: Omnes interpretes intellexerunt *coriandrum*, herbæ genus, cujus ſemen ſaccharo conveſtitum inter bellaria locum obtinet, ut ſuo loco diximus.

Salmaſius contendit nomen *Man* jam uſitatum fuiſſe Hebræis, antequam pane illo cœleſti nutrirentur. Scilicet jam hoc nomine appellabatur ros cœli pinguior, matutino tempore cœlo difluens, & herbis arboribuſque inſidens ac concreſcens. Igitur quo tempore primùm Iſraelitis in deſerto morantibus cœleſtis ille ros cœpit impluere, qui divino munere in alimentum eorum mittebatur, cùm ignorarent quid eſſet, ex ſimilitudine quam videbant habere cum *Manna* ſibi nota, dicebat alter ad alterum Mannam eſſe, *Man hou*, nimirum *Man hoc*, ſive *Man eſt*: grana enim erant rotunda, minuta, alba, quæ more pruinæ è cœlo deſcendebant matutinis temporibus, ſole

demum orto liqueſcebant evaneſcebantque. Non igitur Iſraelitæ quaſi quærentes & interrogantes *quid eſſet*, quæ communis etymologia eſt vocis *Man*, ſed *Man* eſſe verè pronuntiabant. Vox *Man* non ſonat *quid* ſed *quis*. Ut vulgata etymologia probari non poſſit. Ergo, inquiet aliquis, Manna illud Moyſis ſic deſcribitur, ut ſit ejuſdem prorſus coloris, ejuſdem figuræ, ejuſdem conſiſtentiæ, ejuſdemque ſaporis cum naturali *Manna*; eodem ipſo modo, iiſdemque horis ſtillet, eademque demum ratione ad ſolis radios evaneſcat; ex quibus ſequeretur Moyſis manna purè fuiſſe naturale, ſaltem quoad ſubſtantiam. Etſi conjectura Salmaſii vera eſſet, illud in manna Moyſis ſingulare erat ac mirabile, quod primùm tanta copia circa Iſraelitarum caſtra decideret, ut multis hominum myriadibus unoquoque die alendis ſufficeret. Secundò quòd ſingulis Sabbatis intermittenda, die proximè ſuperiori in duplum affluerct. Tertiò quòd hyberna pariter ac æſtiva tempeſtate allaberetur; & corpus nullo alio adhibito cibo ſuſtentaret. Quartò quòd ad ſolem liqueſcens non ſecus ac vulgaris manna, nihilominus tamen induraretur igni admota; adeo ut foret in mortario conterenda. Quintò denique ex uniuſcujuſque deſiderio, erat hujus vel alterius ſaporis, ut adſtruitur in libro Sapientiæ (*Cap.* 16. *verſ.* 20.) *Angelorum eſca nutriviſti populum tuum, & paratum panem de cœlo præſtitiſti illis ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuavitatem. Subſtantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, oſtendebat: & deſerviens uniuſcujuſque voluntati, ad quod quiſque volebat, convertebatur.* Ceſſavit manna cùm in terram promiſſam Iſraelitæ ingreſſi ſunt, & cœperunt comedere de frugibus ejus. Juſſus eſt Moyſes aſſervare in urna aurea, quam repoſuit in Sancto Sanctorum, manna ad memoriam tanti mira-

miraculi conſervandam; & hoc eſt manna quod in Apocalypſi 11. 17. JESUS CHRISTUS dicit ſe daturum vincentibus. *Vincenti dabo manna abſconditum*, hoc eſt, paſcha, verum manna, quale illud fuit quod abſcondidit Moyſes in urna aurea.

Pertinent ad rem cibariam, molendinæ. Primitùs fruges toſtæ in mortario terebantur; poſteà inventæ molæ verſatiles & truſatiles. Majores quidem circumagebantur à jumentis, aſinis, ideo dicebantur aſinariæ; minores ab hominibus & frequenter ſervis, qui flagitium aliquod commiſerant. Molas truſatiles habebant etiam Hebræi, quæ conſtabant lapide ſuperiori & inferiori. His utebantur etiam pauperiores; ut videre eſt in Deuteronomio (*Cap.* 24. *v.* 6.) *Non accipies loco pignoris inferiorem & ſuperiorem molam, quia animam ſuam oppoſuit tibi*: Sine illis non poteſt ſibi panem conficere; ergo nec vitam ſuſtinere.

Plura addere non opus eſt in hoc-ce ſermone de re cibaria. Neque enim, verbi cauſa, ignotum quid ſit panis *azymus*, hoc eſt, qui ſine fermento paratur. Nota vis fermenti, quò modico farina, cui immiſcetur, aceſcit & caleſcit. Indè tot petitæ à fermento comparationes. Cùm autem pane fermentando pluſculum temporis requiratur, ideo Dominus accelerans egreſſum Iſraelitarum ex Ægypto præcepit ut uterentur pane azymo, cujus uſus voluit ut retineretur, in rei memoriam; tum etiam ut intelligerent veri Iſraelitæ eſſe integram renovationem, quæ non fit in pane fermentato; fermentum enim fit ex veteri maſſa, quæ acida eſt. Panis ſubcineritius dicebatur, qui non in clibano coquebatur, ſed ſuper carbones, aut in foco ſub cineribus caleſcentibus; indè habet nomen. Tota res cibaria Hebræorum caret difficultate, quia parabili cibo utebantur. Nondum adinventa illa gulæ hodierna irritamenta, quæ vix explicari poſſunt.

Non indictum autem prætermittam nomen illud *butyrum*, quia video ambiguum eſſe. Nunc butyrum nobis eſt portio lactis pinguior, quæ frequenti agitatione à ſero ſeparatur. Verùm cùm Plinius (*Lib.* 18. *cap.* 9.) aſſerat barbararum Gentium cibum eſſe; & compertum nobis ſit in Italia, & ideo in Judæa talis butyri uſum tam ignotum fuiſſe quàm uſitatum eſt in regionibus ſeptentrionalibus, quæ frigidiores ſunt, cùm in ſacro Codice nominatur *butyrum*, accipi debet illud nomen in ſua propria ſignificatione, pro bubulo caſeo. Græcum nomen eſt hujuſce ſignificationis. Quod Hebræi *chemea* appellant à Græcis redditur *βούτυρον butyrum*. Itaque non aliud eſt quam ipſa pinguedo lactis, ex qua tum caſeus, tum id quod *butyrum* appellamus, conficitur, quam pinguedinem ſic appellant Hebræi, quia ſemper calet, & numquam congelatur.

Non alienum eſt ab hoc loco, in quo de re cibaria agimus, obſervare veteribus fuiſſe multiplicem morem triturationis frumentorum. Tribulis, hoc eſt, tabula clavis ferreis exaſperata & ponderoſa utebantur, quam ducerent boves ſupra ſegetem: ſic excutiebant grana ex palea. Lex autem vetabat ne bobus qui tunc tribula traherent, os alligaretur, ne poſſent deguſtare fruges quas terebant. Alibi greſſibus equorum, aut perticis, ſive flagellis exterebantur fruges. Ad triturandi modum alludit Michæas (*Cap.* 4. *v.* 13.) *Surge & tritura filia Sion, quia cornu tuum ponam ferreum, & ungulas tuas ponam æreas, & comminues populos multos*. Similiter Iſaias XXV. 10. *Et triturabitur Moab ſub eo, ſicut teruntur palea in plauſtro*. Ad quem locum Hieronymus. *Hoc juxta ritum loquitur Palæſtina, & multarum Orientis provinciarum, quæ ob pratorum & fœni penuriam paleas præparant eſui animantium. Sunt autem carpenta ferrata, rotis in ſarracorum modum revolventibus, quæ*

ſtipu-

ſtipulam conterunt & comminuunt. His tribulis ſtramen comminutum redigebatur in paleam, ut eſſet aptum pabulum jumentis. In hoc-ce articulo de re cibaria obſervabo olim militibus Romanis acetum in potum datum; undè his qui ſervabant cruces in monte Calvariæ, ſuppetiit acetum, quod Chriſto Domino obtulerunt eum felle mixtum. Temperabatur acetum alio aliquo liquore. Embamma condimentum quoddam erat, quo intingebantur opſonia.

VI.

De aromatibus.

De aromatibus ſive de unguentis, quorum mentio fit in Scriptura ſacra, dicturus admonebo nomen illud *unguentum* non eſſe medicamentum, ut vulgus exiſtimat, & tenacem illam compoſitionem, qua Chirurgi utuntur ad vulnera ſananda; ſed commixtionem diverſorum odorum, addito oleo, aut balſamo, aut alio aliquo pingui, ad ungenda corpora, deliciarum & luxuriæ cauſa, inventam. De unguentis loquor, quatenùs deſcribuntur in ſacro Codice. Etenim erat commixtio odorum à Deo præſcripta, ad ungendum Tabernaculum cum vaſis ejus; quæ & commixtio propria eſſet unctioni Summi Pontificis. Demùm alia erat aromatum compoſitio; quæ incendebatur in altari odoramentorum, ſive thymiamatis; de quibus commixtionibus ſive unguentis ſeorſim dicendum eſt.

Compoſitio unguenti, quo Tabernaculum cum vaſis ſuis ungendum erat, his verbis præſcribitur in Vulgata verſione Exod. (*Cap.* 31. *v.* 23.) *Sume tibi aromata*, id eſt, res boni odoris, *primæ myrrhæ & electæ quingentos ſiclos*. Hebræis *myrrha* dicitur *Mor*. Fons ſic reddi poteſt. *Accipe tibi aromatum caput*,

hoc eſt, quod præſtantiſſimum ſit, *myrrhæ ingenuæ quingentos ſiclos*. Quid autem ſit *myrrha* intellige. Arbuſcula eſt in Arabia præcipuè naſcens, cujus cortice inciſo defluit lacryma ſive *ſtacte*, id eſt, *gutta*, ſive ſtilla, viridis & amara, quæ eodem nomine vocatur *myrrha*. Ejus virtus eſt ut corpora imputribilia reddat: Pergit Deus præſcribere compoſitionem dicti unguenti: & *cinnamomi medium*, *id eſt*, *ducentos quinquaginta ſiclos*. Fons addit cinnamomum ſumendum, quod odoratum ſit. Nomen illud Latinum vix differt ab Hebræo, niſi forma characterum. *Cinnamomum* autem frutetum eſt naſcens in Æthiopia, cujus cortex odoratus eſt. Cinnamomi multæ ſpecies recenſentur, quarum unam vulgus appellat *canellam*, *de la canelle*, ut Galli loquimur, Itali *cannella*. *Calami ſimiliter ducentos quinquaginta*, in fonte, *& cannæ boni odoris*. Conſtat eſſe ſpeciem ſive *arundinis*, ſive *calami*, ſive *cannæ*, (idem enim ſignificant tria illa nomina) quæ ſpecies boni eſt odoris, locum in quo naſcitur ſuaviſſimo replens odore. Provenit in Arabia, India, & in Syria juxta Libanum montem. *Caſiæ autem quingentos ſiclos*. Hebraicè *caſia* dicitur *Kiddah*. Quod nomen redditur à Septuaginta Interpretibus *ἶρις*. Frutex eſt multis ſurculoſiſque brachiatus ramis, ſolo ſuo cortice commendatus. Hæc aromata miſcebantur cum oleo, ut ex his fieret unguentum inungendo Tabernaculo cum ſupellectili ſua. Quo & ungendus erat Aaron & filii ejus.

Alterum thymiama, ſive compoſitionem plurium aromatum, ſic ordinat Deus in eodem loco Exodi (*cap.* 38. *v.* 34.) Siccum erat illud alterum thymiama, quod parabatur incendendum in altari incenſorum; ideò appellabatur altare thymiamatis. *Sume tibi aromata*, *ſtactem*, *& onycha*, *galbanum boni odoris*, *& thus lucidiſſimum*: *æqualis ponderis erunt omnia*: *facieſ-*

Digitized by Google

facieſque thymiama. Hæc in pulverem contuſa incendebantur in dicto altari. Ibi autem *ſtacte* dicitur in fonte *Nathaph*, quod idem ſonat ac *ſtacte*. Etenim *Vathaph* Hebraicè dicit quod Græcum *ſtacte*, nimirùm ſtillam ſive guttam. Pinguedo eſt recentis myrrhæ, ſive ſtillæ quæ ex myrrha arbore ſponte defluunt. *Onyx* Latinus Interpres ſequens Septuaginta Interpretes reddit Hebræam vocem *Schechelet*, quæ eſt ſpecies aromatis. Cùm hæc ſemel nominata ſit in Scriptura, fides adhibenda Græcis Interpretibus, qui interpretati ſunt *onychem*. Onyx autem, ut diximus differentes de gemmis, lapis eſt pretioſus, ex quo antiqui vaſa unguentaria faciebant ad ornatum. Undè etiàm onyx pro eodem vaſe ſumi cœpit. Sed & onyx eſt concha cujuſdam conchylii, ex quo educitur purpura, quod reperitur in India in paludibus his quæ nardum ferunt. Itaque concha illa odores ſuaviſſimos afflat, quoniam conchylia quæ tegit, veſcantur nardo. Conchæ illæ ſive teſtæ dictæ ſunt *onyches*, Græcè ὄνυχες. id eſt, *ungues*, quia nihil in illis rugoſum, nihil aſperum; ſed omnia, ut in ungue, levia & polita. Ergo *onyx* aroma nihil aliud eſt quàm concha cujuſdam conchylii.

Galbanus, Hebræis *Chelbna* à *Cheleb*, quod eſt *pinguedo*, *adeps*. Nimirùm *galbanus* ſuccus eſt ſive lacryma ex ferula cujuſdam herbæ in Syria naſcentis. In lingua noſtra nomen ſuum retinet *du galbanum*, *galbano*.

Thus omnibus notum eſt.

Ad hæc omnia thymiamata alludebat Sapientia in Eccleſiaſtico ubi ſic loquitur in vulgata verſione (*cap.* 24. *v.* 21.) *Sicut cinnamomum & balſamum aromatizans odorem dedi, quaſi myrrha electa dedi ſuavitatem odoris, & quaſi ſtorax*. Hæc ſpectant primam illam commixtionem, qua fiebat unguentum unctionis Tabernaculi, nimirùm ex myrrha electa, ex ca-

ex calamo odorifero, ex caſia & oleo. Ponitque eodem in loco Vulgatus *balſamum aromatizans* & *ſtorax*, non nominatis *calamo*, *caſia*, & *oleo*. Sed advertendum eſt in fonte Græco non reperiri vocem *ſtorax*, ſicut nec *balſamum*. Sic Sapientia Græcè loquitur ὡς πάλαθος ἀρωμάτων, id eſt, *ut maſſa aromatum*. Scilicet non expreſſit omnia aromata quibus dictum thymiama componebatur. Quid ſit *ſtorax*, quid *balſamum* modò exponam. Quæ autem Sapientia addit, alterum thymiama ſpectant. *Et galbanus*; particula *quaſi* ſubintelligenda eſt. *Et ungula & gutta, & quaſi Libanus non inciſus vaporavi habitationem meam*, Fons Græcus multò limpidior eſt. ὡς χαλβάνη καὶ ὄνυξ καὶ στακτὴ καὶ ὡς λιβάνου ἀτμὸς ἐν σκηνῇ: id eſt, *quaſi galbanus & onyx & ſtacte & quaſi thuris vapor in Tabernaculo*. His omnibus aromatibus conſtabat thymiama quod adolebant in Tabernaculo, ut liquet ex dictis. Ibi Vulgatus *ungulam* appellat quod *onychen* dixerat, quia ὄνυξ eſt *unguis*; & *guttam* dicit quod in Exodo nominaverat *ſtacten*; utrumque autem nomen ejuſdem ſignificationis eſt. *Gutta* Latinum, *ſtacte* Græcum. Denique pro thure Vulgatus ponit *libanum*, quòd Hebræi & Græci *thus* ſic appellant.

Storax autem, cujus mentionem facit Vulgatus Interpres in dicto libro Eccleſiaſtici, eſt quædam ſpecies reſinæ. Reſina in genere humor eſt tenax ex arboribus defluens, aut ex ferulis quarundam herbarum. Ita diverſæ ſunt ſpecies reſinæ: aliæ aridæ; aliæ humidæ ſunt. Storax autem in vulgata verſione Geneſeos (*cap.* 43. *v.* 11.) reſpondet nomini Hebræo *Tſori*; quod Septuaginta Interpretes, & ſæpè Latinus reddunt *reſinam*; & reipſa ſtorax reſina eſt. Aquila Interpres Græcus *Tſori* reddidit *ſtoracem*, nec locus eſt dubitandi litterarum tranſpoſitione ex *Tſori* factum *Stori*, & deinde *Storacem*, ſive *Styracem*, ut hanc

reſi-

reſinam Plinius appellat, quam ſcribit gigni in Judæa; ideò Jacob inter munera terræ miſit *Tſori*, id eſt, *Styracem*, ſive *Storacem* ad Principem Ægypti. Reſina illa retinet nomen ſuum in noſtra lingua; *du ſtorax*, *ſtorace*, Reſina autem illa defluit ex arbore quæ cotoneæ malo ſimilis eſt, fructu majore quàm avellana, ſpecie candidi pruni. Reſina illa eſt perſeverantis odoris,

Animadverſione dignum eſt quòd in fonte Græco Eccleſiaſtici (*cap.* 24.) non legitur ut in Vulgato, *quaſi balſamum;* nec in fonte Hebræo Ezechielis (*cap.* 27. *v.* 17. ut in Græca verſione, Etenim tantùm legitur *oleum*. In eam opinionem adduco animum, ut credam quòd cùm balſamum ſuccus ſit ſuaviſſimi odoris, fluens ex arbuſcula, quæ in ſola Judæa creſceret, Vulgatus Interpres noluerit abeſſe à Scriptura *balſamum*, Nomen illud videtur ſignificare Hebraicè præcipuum odoramentum, ſeu princeps odoramentorum. Compoſitum eſt ex *Baal*, quòd eſt *Princeps*, *Dominus*, & *Schemen*, nimirum *unguentum*. Nec mirum eſt ſi in antiqui fœderis primis libris balſami non facta ſit mentio; Joſephus enim plantam, ex qua deflueret balſamum, numerat inter munera oblata Salomoni à Regina Saba. Ita primis temporibus Judæa non fuit balſami ferax.

Unum aroma de quo mentionem non fecimus. *Aloe* explicandum reſtat. Hoc-ce nomine Vulgatus reddit nomen Hebræum *Ahaloth*. Judæi vero volunt *Ahaloth* eſſe arbores præſtantiſſimas, quorum ligna ſiccata aut fructus ſunt odoris grati: *Santalum* appellant hanc arborum ſpeciem, ut vidimus, Idem Vulgatus (*in Pſ.* 44. *v.* 9.) *Ahaloth* interpretatur *guttam*. Scilicet *Ahaloth*, habet pro ſtilla defluente ex aliqua arbore. In hoc eodem Pſalmo legitur nomen *Kerſiot*, quod idem Vulgatus accipit pro *caſia*. *Myrrha & gutta, & caſia à veſtimentis tuis*. Quidquid

quid autem ſit *Ahaloth*, certum eſt *Aloen* quæ in Evangelio nominatur, eſſe ſpeciem aromatis. Herba hujus nominis habet ſuccum amariſſimum, quæ reſiſtit vermibus & putredini, ideò condiendis corporibus idonea.

CAPUT VI.

De morbis quorum mentio ſit in ſacro Codice.

PLuribus morbis homines ſubjacent, & his exercentur tanquam pœnis, quas ut peccatores merentur. Plurimorum ſit mentio in ſacro Codice. Quidam autem olim aeriùs & frequentiùs ſæviebant; nunc verò quaſi deferbuerunt, ita minùs noti. Morbi etiam vulgati poſſunt habere aliquid reconditi, quod ſoli medicorum diſcipuli retegere valent.

Quod medicorum eſt
Promittunt medici; tractant fabrilia fabri.

Idcirco non auſus eſſem artes inexpertas tractare, niſi res ipſa jam ex parte eſſet confecta à viris medicis, à Guillelmo Ader, qui de morbis Evangelicis elegantem libellum compoſuit; & à Thoma Bartolino, qui de biblicis morbis diſſeruit. Ex utriuſque ſcripto, tum ex alio penu licuit mihi excerpere quæ Apparatui noſtro conveniunt.

Nemo miſer niſi reus, & omnis pœna quæ juſta eſt, peccati alicujus pœna eſt. Ergo homo innocens neque morti, neque morbis quibus mors acceleratur, ſubditus fuiſſet. Ex Scriptura Deus plantaverat in medio Paradiſi lignum vitæ, quo veſcens Adam potuiſſent morbos, & mortem propellere. Quale ſit illud lignum, id eſt, quæ ſit illa arbor, non quæro anxius, nec qui fieri poſſit ut homo non moriatur; Deus enim qui ex nihilo hominem & totum mundum

dum eduxit, poteſt, ſi voluerit, nos ſervare ab interitu; ſicut veſtes & calceamenta Iſraelitarum in deſerto, ut dicam, non ſenuere, nec uſu detrita ſunt. Diu eſt quod didici occultiores cauſas operum Dei non tentandas eſſe; & eum poſſe omnia quæcumque vult. Cùm autem ſervare poſſit, non quærere decet an poſſit perdere. Certum eſt poſt lapſum Adæ, cùm cœpit ſoboles ejus in vitium ruere, tandem neceſſitatem lethi corripuiſſe gradum, & novam febrium, cæterorumque morborum cohortem terris incubuiſſe. Vidimus quædam peccatis irrogari ſupplicia per manum cæli, ut Doctores Judæorum loquuntur. Nempè ipſe Deus plerumque immiſit morbos, quibus peccata coercerentur. Sic ulturus peccatum quod David admiſerat, recenſens Iſraelitas & numerans eos, peſte populum afflixit. Sic videre eſt in Actis Apoſtolorum (*Cap.* 12. *verſ.* 23.) cùm Herodes oblatos à populo divinos honores non reſpueret; percuſſum ab Angelo, & conſumptum à vermibus expiraſſe. Simili morbo, ſed diuturniori conſumptus periit Joram (2. *Paralipom. cap.* 21. *verſ.* 18.) *Et ſuper hæc omnia percuſſit eum Dominus alvi languore inſanabili; cùmque diei ſuccederet dies, & temporum ſpatia volverentur, duorum annorum expletus eſt circulus: & ſic longa conſumptus tabe, ita ut egereret etiam viſcera ſua, languore pariter & vita caruit.*

Eo in ſenſu non eſt malum in civitate quod non fecerit Dominus, quia vel immittat morbos in pœnam peccati, vel permittat contingere etiam viris piis, qui pœnis revocandi ſunt ab illecebris mundi. *Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum quia caro eſt, eruntque dies illius centum viginti annorum.* Loquitur Deus *capite ſexto Geneſeos*: Nempe contraxit Deus annos vitæ noſtræ. Noluit ſpiritum vitæ, id eſt, flatum, ſive ſpiraculum vitæ indicium,

cium, quem infuderat Adæ, permanere cum homine per plures annos; quia caro eſt, videlicet quia pronus ad res corporeas & totus in illis. Ita fit ut ipſa ſenectus morbus ſit; *& vita noſtra ſit ſeptuaginta annorum: ſi autem in potentatibus octoginta anni*, ut canit Pſaltes (*Pſal.* 89. *verſ.* 10.) id eſt, vita diuturnior poteſt eſſe octoginta annorum, ſed poſtea acerba eſt. *Et ampliùs eorum labor & dolor*.

Utitur Deus malis Angelis, ut judex tortore, ad cruciandos malos. Tradit ergo, quòd olim frequentius erat, peccatores torquendos diabolo; qui ſæpiùs ſub morborum naturalium ſpecie latet. Etenim videre eſt pleroſque in Evangelio ægros tum à morbis, tum à dæmonibus qui corpora eorum captiva tenebant. Sed & ipſe Angelus Dei quandoque etiam bonos dolore affecit; nam in Geneſi (*Cap.* 32. *v.* 26.) juxta Vulgatum Interpretem & Joſephum hiſtoricum, Angelus tetigit nervum femoris Jacob, qui nervus ſtatim emarcuit. Juxta quidem Græcos interpretes percuſſa eſt latitudo femoris Patriarchæ; id eſt, ut plerique ſentiunt, percuſſum caput oſſis femoris, quod ſuo ſinu ſeu vaſto coxendicis acetabulo excidit. Etenim cui ſimilis caſus acciderit, licèt os illud non malè reponatur, tamen toto vitæ curſu claudicat. Hoc morbo laboravit, de quo Scriptura dicit: *ipſe verò claudicabat pede*. In piſcina probatica Angelus movebat aquas, iis vim ſanandi conferens. Sic utitur Deus ſive bonis ſive malis Angelis, & qualibet re, tum in pœnam, tum in ſalutem; ut oſtendat poteſtatem ſuam conſuetis naturæ legibus non coerceri. Anima cùm ſemel è corpore egreſſa eſt, non in illud revocari poteſt ulla arte; attamen Eliſæus fovens calore ſuo puerum mortuum, excitavit à morte (4. *Reg. cap.* 4.) Naaman Syrus, juſſu ejuſdem Prophetæ, corpus ſepties abluens in Jordane, mundatus eſt lepra ſua (*ibid. cap.* 5.) Quis cataplaſmati ex maſſa

ficorum

ficorum tantam vim conferat, ut illud appoſitum protinùs ſanare potuerit Ezechiam, ut legimus eum ſanatum ab Iſaia? (4. *Reg. c.* 20.) Medici quidem cataplaſmata parant abſceſſibus, qui non facilè maturi fiunt, ex ficubus coctis cum hordeacea & triticea farina; ſed morbus Ezechiæ videtur fuiſſe acutior & periculoſior, ut tam citò ſanari potuerit curatione naturali.

Lutum non aptum inungendis oculis, ut ſaniores ſint. Cæco tamen viſum reſtituit Dominus, luto illiniens oculos ejus: demonſtrans ſibi propriam poteſtatem competere faciendi quodcumque vult; neque enim ea fuit poteſtas luti, quo aperti ſunt oculi hominis cæci. Denique in utroque Teſtamento, ubi legimus à Deo vitæ redditos, aut à morbis liberatos, virtus divina ſe prodidit eo aperto indicio, quòd auxiliis ejus ſegnis mora non fuerit, ut contingit, quando medicina naturalis adhibetur. Protinus claudi ſaliebant, cæci videbant, audiebant ſurdi, loquebantur muti, leproſi mundabantur, mortui reſurgebant. Ut hæc tribui non poſſint alicui virtuti, quæ divina non eſſet. Hæc præmittenda putavi iis quæ habeo de morbis dicenda; quos ordine alphabetico exponam, quantùm neceſſe eſt ad elucidanda Scripturæ loca ubi de illis ſermo ſit.

Ariditas manus idem eſt quod macies manus. Fit autem manus arida & emaciata, defectu alimenti; cum ſcilicet exhauſtis ſenſim venis & arteriis defraudatur alimento; undè ob inanitionem ſiccata & arida facta, non poſſunt ejus nervi & muſculi contrahi & contendi. Ita ille cujus manus erat arida, nonniſi poſtquam à Chriſto mundatus eſt, potuit manum extendere (*Math. cap.* 12.)

Cæcitas. Nulla alia pars coporis magis quàm oculus poteſt morbis infeſtari & obſideri. Cæcitas multas cauſas habere poteſt, quas explicare non eſt de inſti-

inſtituto. Ideò autem cæcis quos ſanavit Chriſtus, viſus reſtitutus majus miraculum fuit, quod cæcitas exſuperet artem medicorum. Cùm venit ex ſuffuſione, quam vulgus Chirurgorum *cataractam* appellat, ſanari quidem poteſt, quando cataracta deprimitur chalibea acicula; ſed ſolo ſuo verbo, nec medicamentis adhibitis, JESUS CHRISTUS Dominus noſter aperuit oculos cæcorum. Si cataractæ depreſſæ liberos oculos reliquerunt, illæ verbo Domini paruerunt. Solius Dei verbum poteſt eſſe tam efficax.

Cancer, tumor durus, inæqualis, aſpectu teter, venis in ambitu turgentibus, colore liveſcens; cui niſi obſiſtatur, ſerpit longiùs.

Utque malum latè ſolet immedicabile cancer
Serpere, & illæſas vitiatis addere partes.

Undè factum ut pro eo quod Paulus ad Timotheum ſecundò ſcribens (*cap.* 2. *v.* 17.) dixit in fonte, ſermo hæreticorum *ut gangræna ſerpit*, poſuerit Interpres Latinus, *ut cancer*, ſenſum, non rem ſecutus; nam gangræna non idem morbus eſt ac cancer.

Cicatrix eſt ſignum quod ex vulnere vel ulcere remanet.

Circumciſio. Illa non fiebat ſine gravi dolore, quo & morbus excitabatur, maximè ſi fieret in ætate provecta. Etenim circumcidebatur ſive amputabatur pellicula, quæ tegit glandem partis corporis quam verecundia occultamus nec nominamus. Dolor autem qui ex illo vulnere naſcebatur, ſolebat eſſe intenſior ubi tertia dies advenerat; quod de omnibus eſt obſervatum vulneribus ab Hippocrate. *Tertio & quarto die*, inquit ille, *vulnera omnia minimè ſunt exagitanda. Et in ſumma dicam, ſpecilli*, vernaculè ſonde, italicè tenta, *quoque omnes admotiones vitandæ his diebus ſunt, omniaque alia quibus vulnera irritantur: in totum enim tertius & quartus dies in pleriſque vulneribus*

neribus exacerbationes parit, & quæ in inflammationes & ſordes incitantur, & quæcumque in febres tendunt. Id ignotum haud fuit fratribus Dinæ, qui tertio die ex quo Sichimitæ fuerant circumciſi, ferro eos invaſerunt, & facilem de illis victoriam reportarunt, ut narratur trigeſimo quarto capite Geneſeos.

Eunuchi. Horum alii fiebant exciſione teſtium; quidam veretri etiam cum teſtibus, qui mingebant fiſtula ænea. Alii teſticulorum attritione. Nimirum puello paulatim teſticuli atterebantur, uſque dum veluti diſſipati evaneſcerent. Contorquebantur, ut vena quæ alimentum illis defert, velut nodo interciperetur, atque ita illi tabeſcerent. Hæc obſervatio lucem affert nonnullis locis Scripturarum (*Levit. cap.* 22. *v.* 24.) *Omne animal quod vel contritis, vel tuſis, vel ſectis, ablatiſque teſticulis eſt, non offeretis Domino.* (*Deut. cap.* 23. *v.* 1.) *Non intrabit Eunuchus attritis vel amputatis teſticulis, & abſciſſo veretro, in Eccleſiam Domini*. Nomen Eunuchi non eſt ſemper vitii naturalis ſive morbi, ſed officii aulici, maximè apud Orientis principes.

Febris dicitur à fervore. Calor eſt immoderatus, præter naturam in corde exiſtens, & per arterias toti corpori communicatus.

Gangrena. Hujus morbi nomen occurrit in fonte Græco ſecundæ Epiſtolæ ad Timotheum (*cap.* 2. *v.* 17.) ut ſupra dixi, in voce *cancer*. Gangræna autem definitur incipiens partis affectæ corruptela, quæ latè ſerpit, & niſi compeſcatur, citò invadit præcordia.

Gonorrhœa. Morbus eſt, quem Vulgatus Interpres ſolet appellare *fluxum ſeminis;* quem qui paterentur lege Moyſis ut immundi arcebantur à Templo; eo nimirùm tempore quo fieret illud genitalis ſeminis profluvium.

Hæmorrhoides ſunt effluvium ſanguinis per venas

quæ in ano ſunt, dum illæ nimiùm dilatantur. Morbus ille vel apertus vel cæcus eſt. Nempe aliæ hæmorrhoides latent intinſecùs; ſcilicet venæ intra anum valdè tumentes dolorem ingentem excitant. In his quæ apertæ ſunt, tumor eſt conſpicuus. Hunc-ce morbum immiſerat Deus in Philiſtinos, Azotios, quos, ut dicitur in primo Regum cap. 5. Deus percuſſerat in ſecretiori parte natium. Sicut propter Hęmorragiam narium, cujus nulla eſt fœditas aut turpitudo; ita propter defluxum à venis hæmorroidalibus quæ ſedem perreptant, aliquos ſive viros ſive mulieres hominum conſortio exploſos fuiſſe non legimus in Scripturis: etenim hic defluxus non tanti eſt momenti, nec tam aſſuetus mulieribus aut importunus & meticuloſus quàm ab utero, quo ſolo defluxu mulier immunda cenſebatur. Igitur non veriſimile eſt mulierem, quæ in Evangelio dicitur *Hæmorroiſſa*, tali à venis hæmorroidalibus defluxu laboraſſe, cùm removeretur à conſortio hominum, ut circumſtantiæ docent. Nam extra urbem occurrit Domino, & oram veſtimenti ejus clam attigit, quia ſibi non id licitum eſſe conſcia erat. Nomen illud *Hæmorroiſſa* indicat tantùm quod hæc mulier profluvium pateretur ſanguinis; quod triplex eſt in mulieribus: unum menſtruum, in partu alterum, tertium inordinatum. Quodnam fuerit in muliere Evangelica ignoramus.

Hydrops aqua intercus eſt, ſive aquoſus humor, aut aquoſus languor. Hydropiſis non una ſpecies. Ille hydropicus, cui ſalutem à Domino redditam narrat B. Lucas (*cap.* 14.) ea procul dubio laborabat ſpecie quæ maximè oculis innoteſcit conſpicua; vel ea quæ dicitur *aſcites*, quæ aquis utris in modum inflat, aut flatu tympani more diſtendit & amplificat, tanta tenſione, ut ad ejus intuitum territi homines toto corpore perhorreſcant.

Inclinata mulier. Non definimus quo genere morbi ægra

bi ægra erat illa mulier de qua loquitur Beatus Lucas (*cap.* 15.) *quæ habebat ſpiritum infirmitatis annis octodecim, & erat inclinata, nec poterat ſurſum reſpicere.* Non, inquam, refero ad aliquòd morbi genus illam ægritudinem. Conſtat quidem quòd malus dæmon, velut immanis tortor, ſpinam ſuapte natura in muliere antea erectam contorqueret. Erat inclinata igitur, vel gibboſa ſimplici illa gibboſitate vulgari, quæ fit à ſemotione & luxatione vertebrarum dorſi. Utrumque enim vitium ſpinam dorſi inflectere & inclinare poteſt. Convulſio autem muſculorum affectio eſt, quæ non eſt interrupta motibus, nec acceſſionibus diſtincta, ut epilepſia, quæ corporis convulſio eſt non perpetua. Dictam autem mulierem convulſam fuiſſe id ſuadet quòd graviter afficeretur à morbo, angeretur cruciatibus & dolore, qui ſunt aſſidui veræ & primariæ convulſionis comites. Et ideò dicitur agitata à ſpiritu infirmitatis, id eſt, à doloris & morbi auctore dæmone. At illi qui ſimpliciter gibbi ſunt, non ita urgentur; in iis etenim ſpinæ dorſi in ſitu ſolùm & naturali poſitu afficiuntur, ſed muſculoſæ illorum partes non convelluntur cum dolore, quanquam non ritè ſuo fungantur officio & munere.

Lepra morbus eſt fœdiſſimus & turpiſſimus, quo affecti ab hominum cætu & neceſſitudine excludebantur. Lepræ autem nomen ἀπὸ τοῦ λεπρίνεσθαι, quod ſcabrum fieri & albeſcere ſignificat, aut ἀπὸ τῶν λεπίδων à ſquammis, quibus ſæpè corpus leproſum ſcatet. Morbus ille elephantiaſis etiam appellatur ab elephanto, ob cutis ſimilitudinem. Contagium habet lepra: leproſus alios attactu & reſpiratione olida inficere poteſt. *Ideò omni tempore quo leproſus eſt & immundus, ſolus habitabit extra caſtra*: ut præcipitur in Levitico (*cap.* 13. *v.* 46.) *Expulſi ſunt*, ait Joſephus, 3. Antiquit. (*cap.* 13.) *omni à civitate, cum nullo pe-*

nitùs convivantes, & nihil à mortuis diſſidentes. Notabantur leproſi proprio amictu, lacera veſte & pannoſa; inſuper nudato capite, os habentes veſte contectum incedebant juxta præceptum Moyſis (*Levit. cap.* 13. *cap.* 45.) Antequam ultra progrediamur, advertendum lepram alium morbum eſſe quàm impetiginem, Gallicè *ſeu volage*, Ital. *volatica*; alium quàm *Pſoram* ſive feram ſcabiem, *galle*, ou *maladie de S. Mein*, Italicè *ſcabbia*, *o rogna*; alium quàm pruriginem, *demangeaiſon*, *gratelle*, Ital. *prurito*, *pizzicore*; alium quàm vitiliginem, quæ cutis vitium eſt.

Pertinebat ad Sacerdotem diſcernere inter lepram & lepram, nimirùm ſtatuere quæ vera eſſet lepra diſtincta à ſimplici ſcabie. Nota autem lepræ lucidus candor, qualis cernitur in impetigine, ſive lichene, *ſeu volage*, *volatica*. Facies leproſorum quaſi furfure plena candeſcebat; ideò Giezi, quòd oblata à Naaman Syro dona non reſpuiſſet, dicitur exiiſſe leproſus quaſi nix (4. *Reg. cap.* 5. *v.* 27.) Pars quæ lepra afficiebatur, reliqua cute erat humilior. Etenim medici obſervant lepram naſci ex pituita ſalſa; ita pars morbo affecta ſiccior fit & candidior; & qui in ea creſcunt pili, fiunt ex nigris candidi. Præterea leproſi maculis diſtinguebantur; quæ enim lepra totam cutem occupabat, minùs periculoſa. Verùm non ſolam cutem inficiebat, ſed vivam carnem; ita ut transfixa cute ſanguis non exiret, aut fricata cute non appareret rubor. Cùm verò in cæteris partibus corporis malè affectis pili nigri mutarentur in albos, in capite & barba fiebant flavi & tenues; quod contingit iis qui tinea laborant, quorum ex ulceribus manat quidam ſuccus liquidiori melli non diſſimilis. Lepra, qui contagioſus eſſet morbus, veſtes & parietes ædium poterat inficere; ut in peſte accidit. Nec mirum eſt id ex indiciis agnoſci potuiſſe; veſtes enim ob ſaniem contractam poterant putreſcere, & putredinis maculis di-

lis diſtingui. Quin experimur vaporibus & exhalationibus etiam puriora vaſa argentea protinùs nigreſcere. Poterant ergo parietes mutare colorem ſuum infecto aere, quem leproſus halitu ſuo & fœtore corrumperet. Id nunc experiri non licet, quia morbo illo Deus nos liberavit; ſed nefas dubitare quin hiſce notis olim Sacerdotes in veteri Lege lepram à lepra diſtinguere potuerint, cùm liquidis verbis id dicat Scriptura. Videtur hic morbus ſpecialiter Judæis immiſſus, quos Deus vellet punire. Lepra enim ædium & veſtium, quidquid dicatur, præter naturam eſt.

Lunaticus eſt qui ſtatis lunæ temporibùs vexatur. Ille verò puer ſanatus à Domino qui dicitur Lunaticus (*Matth. cap.* 1.) procul dubio comitiali morbo ſive epilepſia laborabat. Etenim (*Marc.* 9. *Luc.* 9.) convellebatur, dentibus ſtridebat, cadebat frequenter, & interim ſpumabat ore; quæ ſymptomata epilepſiam conſequi medicis eſt in confeſſo. Lunaticus deinde factus fuerat puer ille; nimirùm ad lunæ motum compoſitus erat morbus ejus. Epilepſia lunæ certis temporibus eadem ſævitie, & ſtatis recurrit periodis. Corpora lunæ mutationibus obnoxia experimur, ſive diverſa pati, prout illa mutatur. Lunaticus Evangelii non ſimplici morbo laborabat: arreptitius erat, ſive occupabatur à maligno ſpiritu, qui prout ſæpiùs ab eo fit, ipſis naturalibus morbis, utitur, ut vim ſuam exerat vel abſcondat.

Lycanthropia. Quanquam hoc-ce nomen non legatur in Scripturis, quoniam occurrit res cui hoc nomen convenit, juvat explicare quis ſit morbus lycanthropiæ dictus. Lycanthropos vernaculè appellamus, *des Loups garoux*, italice *malinconici*. Hi mania melancholica afficiuntur, ſive atra bili, quæ intus in corpore pererrans, cancros occultos excitat, & dolores implacabiles, mentem excruciat, oſſa exedit;

exteriùs totam faciem deturpat, exulcerat, tumefacit eum deformitate, & quod magis calamitoſum, mentem hominis tranſverſam agit, uno verbo ex homine belluam facit. Hoc morbo, ut videtur, correptus eſt Nabuchodonoſor, quem Daniel (*cap.* 4.) dicit ex hominum abjectum conſortio comediſſe fœnum more bovis, in ſylvis degentem cum feris. Non fera, non canis, non lupus factus erat, ſed vitam agebat in ſylvis, & herbis veſcebatur. Dæmoniacus ille homo, quem Lucas (*cap.* 8.) dicit vinctum catenas dirupiſſe, erat lycanthropicus; ſed & altero morbo afficiebatur, nempè obſidione dæmonis. Qui effera mania arrepti ſunt, dicuntur lycanthropi, quia aliquando reperti ſunt, quorum atra bilis phantaſiam affecerat, ut ſe in lupos converſos imaginarentur. Illi noctu domo egreſſi lupos in omnibus imitantur, & donec dies illuſceſcat, circa defunctorum monumenta vagantur, lupina inſania, ut dicitur, laborantes.

Menſtrua. Muliebre eſt profluvium menſibus recurrens. Ea eſt mulierum conſtitutio, ut plurimo abundent ſanguine, cùm & fœtum in utero conceptum fovere, & natum enutrire debeant. Quapropter vetulæ, quæ generationi non ampliùs idonea eſt, menſtrua fluere deſinunt. Eo ergo genio mulierum corpus natura compoſuit non perſpirabile, ut detentus ſanguis in uterum conflueret, futura fœtus alimonia; quæ edito fœtu ad mammas reflueret eoſdem in uſus, eſſetque ſummo naturæ beneficio nutrix illa, quæ mater fuit, ſcilicet ne advena & alienigena nutrix dulciſſimum matris nomen ſibi arrogare poſſet. Ubi ergo mulier neç habet in utero, neç editi fœtus nutritioni incumbit, abundat ſanguine, qui ſtatis lunæ periodis ſingulisque menſibus per uteri venas delabitur, magnòque ſalutis commodo ſemel in menſe expellitur. Verùm ſi immoderatiùs id fiat, & extra conſtitutos naturæ limites tertium diem in viraginibus & ro-

& robuſtioribus, quintum in mollioribus excedat, fluxus inordinatus fit, qui morbus eſt: quali forſan ægrotabat mulier hæmorroiſſa Evangelii. Toto eo tempore quo menſtrua fluerent illis, mulieres erant immundæ, ut jam dictum eſt. Abſtinebant Templo, & ab illarum concubitu mariti. Etenim mulieres in profluvio ſanguinis polluebant quicquid attingerent; indè grande piaculum ad illas accedere.

Muti. De mutis & ſurdis id unum obſervare juvat, quod ea aurium & linguæ ſit affinitas & ſocietas, ut qui ſurdi naſcuntur, ſimul & muti ſint. Etenim ſic à natura facti ſumus, ut non ſolùm quos videmus affectus induamus, ſed & motus facilè exprimamus. Sic, inquam, diſponitur & movetur lingua, ut ſine multo negotio exprimat ſive edat ſonum, quo aures afficiuntur. Itaque ubi illæ impediuntur, nec afficiuntur ſono, lingua non movetur, ut aerem qui ex pulmonibus erumpit, id eſt, vocem fingat in ſermonem. Ideò videre eſt in Evangelio hunc qui ſurdus ſit, pariter & mutum eſſe; & in eo poteſtatem Chriſti elucere, quod cujus aperiret aures, ſimul & loqueretur; nam fieri non poterat ut protinùs lingua, quod conſuetudine non didicerat, efformaret ſermonem. Poteſt quidem fieri ut lingua quibuſdam vinculis impediatur, & organa vocis non aptè ſint diſpoſita. Hoc quidem linguæ impedimentum non naſcitur ex ſurditate.

Paralyſis eſt nervorum reſolutio. Anima quaſi nervorum habenis movet & flectit ſui corporis membra, & percipit quæcumque illi accidunt; Paralytici autem nec movere partes affectas, nec ſentire poſſunt. Igitur Paralyſis definitur motus & ſenſus privatio partium corporis infra caput, à craſſo & frigido humore muſculos imbuente & obſtruente. Itaque verè paralyticus erat ille qui à triginta & octo annis jacebat juxta Probaticam piſcinam, expectans à quo dimitteretur in

hanc piſcinam; quippè qui plantis ſuis inſiſtere & movere pedes non poterat, omninò paralyticus. Similiter & paralyticus erat qui in lecto à quatuor viris demiſſus eſt per tegulas in domum ubi Jeſus-Chriſtus Dominus noſter verſabatur, cùm porta à turbis aſtantibus obſideretur.

Quæritur autem an ille puer Centurionis, de quo dicebat ille Centurio (*Math.* 8.) *Domine puer meus jacet in domo paralyticus, & malè torquetur*, reipſa paralyticus erat; obſervant enim medici paralyſim eſſe affectionem ſine ſenſu & ſine motu. Potiùs ergo convulſione conflictabatur, in qua motus non aboleri, ſed depravari certum eſt. Etenim convulſio eſt nervorum, rigor importunus & acutus, qui modò mentum pectori annectit, modò rectam & immobilem cervicem intendit. Convulſionis comes eſt inflammatio principii nervorum, cerebri videlicet aut ſpinalis medullæ; undè tantus dolor. Nervi enim dum præter naturam contorquentur, aut diſtenduntur, graviſſimos ſanè excitant dolores. Hæc vera eſſe poſſunt; ſed cùm mos uſitatus loquendi dicat paralyticos quoſcumque qui motu capti ſunt, quod accidit in convulſionibus, Centurio dixit puerum ſuum paralyticum eſſe, cum vellet ſignificare ad Dominum non poſſe accedere cauſa petendæ ſalutis.

Podagra. Ideo non pretermitto hunc-ce morbum, quia in ſecundo Paralipomenorum (*cap.* 16. *v.* 12.) dicitur rex Aſa ægrotaſſe vehementiſſimo dolore pedum, & obiiſſe. Ποδάγρα nihil aliud eſt quàm arthritis pedum. Cùm enim pedum tantùm articulos noxius humor infeſtat, articularis quidem morbus fit, ſed qui nomen ab affecta parte accipiat. Sic ſi manuum articulos idem morbus occupet, χειράγρα vocatur.

Sterilitas inter morbos numerari poteſt. Olim opprobrium erat non poſſe augere aliqua prole populum Dei.

Stigma

Stigma eſt nota qua quis inuritur, ſive pungitur in carne. Stigmata notæ erant infames, quales inurebantur ſervis, ex quibus cujus eſſent agnoſcebantur. Paulus Apoſtolus Epiſt. ad Gal. (*cap. 6. v.* 17.) dicit portare in corpore ſuo ſtigmata Chriſti. Sic vocat res omnes ſuas adverſas, quas religionis ergo pertulerat; & quibus agnoſci poterat illum eſſe Chriſti ſervum. Hæc ſtigmata ſive notas opponit circumciſionis cicatrici.

Tabes, idem morbus ac *Phthiſis*, id eſt, conſumptio ſive corruptio. Totum corpus tabeſcendo conſumitur, & tandem deficit; neque enim protinùs mors accidit: quo morbi genere periit impius Joram, quem ſupra vidimus percuſſum à Domino. Morbus ejus haud dubiè fuit *Diarrhœa* ſeu alvi profluvium, adeò diuturnum & malignum, ut ad tabem & ad mortem deduxerit virum Deo exoſum.

Vermes inter genera morborum jure recenſemus à quibus eroſus Herodes Agrippa obiit, maximis obortis torminibus, ut notat Joſephus. Hunc vidimus ab Angelo Domini percuſſum. Mortuus eſt σκωληκόβρωτος id eſt à vermibus eroſus; tum extra, tum intra; patiebatur enim tormina. In ipſo ſanguine putridarum febrium ſæpius medici obſervaverunt vermes: Hinc corrupto ſanguine & verminoſo, non mirum ſi totum corpus fiat verminoſum. Vermes autem aliud ſunt morbi genus, quam pediculi erumpentes acervatim per cutem; cujus non in ſuperficie tantùm, ut furfures, ſed in ejus profundo naſcuntur. Morbus ille dicitur Græcis φθειρίασις. Hujus pedicularis morbi ſicut & verminantis occurrunt exempla. Herodem enim avum Herodis Agrippæ, alii vermibus ex inguine prorumpentibus, alii pediculari morbo exceſſiſſe ferunt.

Morbus Jobi. Quis ille fuerit quærunt Interpretes. Sentiunt plerique eam intemperiem à malo dæmone indu-

inductam in ejus carnem, ut ei omnia acciderint mala, quæ in omni lue etiam pudenda deprehenduntur; nec mirum, ſi quidem datam à Deo poteſtatem dæmon exercebat, ut magis patientia Jobi cerneretur, quo erat miſerior. (*Job.* 11. 7.) *Ulcus erat*, ut dicit Scriptura, *à planta pedis uſque ad verticem ejus: qui teſta ſaniem radebat ſedens in ſterquilinio*. In fonte Hebræo nominatur *Schechin* à verbo *Schichan*, Chaldeis *calere*. Ita morbus erat inflammatio. Percuſſum, inquam, erat corpus Jobi ſicca ardentique prurigine, atque odore intolerabili, ut ungues ſcabendo non ſufficerent, ſed teſta ſe ſcaberet. Hoc-ce morbo (*Exod.* 9. 8.) percuſſit Deus Ægyptios, cùm juſſit Moyſem cinerem de camino ſpargere in cœlum, qui pervolavit ſuper viros & animantia; *factaque ſunt ulcera veſicarum turgentium in hominibus & jumentis*. Ægyptii vexati ſunt intolerabili pruritu & intolerabili dolore: pruritu impellente eos ad ſcabendum, prohibente autem ulcerum dolore.

Morbus Judæ. Ambigitur quis fuerit. Laqueo ſe ſuſpendiſſe dicit Matthæus; ſed & in Actis adſtruitur quod *pronus factus crepuerit medius*. Quidam, ut concilient Matthæum cum Actuum ſcriptore volunt abrupto laqueo cecidiſſe in petram, qua cùm percusſus fuiſſet venter, effuſa ſunt viſcera ejus. Alii verò illa ſic atra bile efferbuiſſe, ut diſruptus ſit venter, qui intra paucas horas intumuit; & hac diſruptione ſonus editus eſt; *crepuit* enim *medius*, quod verbum Græcum λακεῖν denotat. Diſtentus in hydrope venter vel membrana veſica inflata ſic disrumpi poteſt; quod & fit atra bili, ut dicit illud Virgilianum carmen:

Invidia rumpantur ut ilia Codro.

Tremor numeratur inter varia morborum genera, quo qui corripiuntur, tremuli ſunt: agitantur: commoventur motibus haud ſpontaneis. Cauſa tremoris plerum-

plerumque eſt pavor, ardens febris, facultatis motricis imbecillitas. Deus poſuit Cain ſignum (*Gen.* 4. *v.* 15.) ut non interficeret eum omnis qui inveniſſet eum. Signum illud fuit totius corporis tremor. In noſtra Vulgata dicitur: ***Egreſſusque Cain à facie Domini habitavit profugus in terra.*** Septuaginta Interpretes tranſtulerunt *& habitavit in terra Naid*. In fonte Hebræo *Nod*, quod verbum idem ſonat quod *σαλευόμενος*, id eſt fluctuans & inſtabilis ac ſedis incertæ. *Non eſt igitur*, inquit Hieronymus, *Terra Naid, ut vulgatus noſtrum putat: ſed expletur ſententia Dei, quod huc atque illuc vagus & profugus oberravit.*

C A P U T VII.

De Theatris, ludis Gentilium, de re Gymnaſtica, ſive Athletica, Athletarum moribus, exercitiis, undè crebræ comparationes petuntur in ſacro Codice. Nonnulla etiam de veteri militia & de re novali.

NIhil magis alienum videtur ab Iſraelitarum & Chriſtianorum inſtitutis, quàm theatra, ludi & illa gymnaſia, in quibus certabatur à viris nudis cum periculo vitæ, ut turbam ſpectantem oblectarent. Attamen cùm in ſacro Codice occurrant indè petitæ comparationes, & id crebrò, de præſenti inſtituto eſt ſaltem eos vetuſtos Gentium ritus perſtringere; & eò magis, quia minùs apud nos uſitati ſunt. Etenim his prorſus ignoratis, comparationes quas de re gymnaſtica accerſunt Scriptores ſacri, utpote è tenebris erutæ, non poſſunt niſi tenebroſæ eſſe.

Primo ergo animadvertendum eſt ludis exercendis fuiſſe loca deſtinata, quæ theatra dicebantur: Ea forma, ut omnis multitudo ludos ſpectaret. Cùm his delecta-

lectarentur Gentiles, idcirco frequentia erant; etiam in Judæa, ex quo alienigenis principibus ſubdita fuerat. Videre eſt in Actis Cap. XIX. 29. raptos Pauli comites Epheſi in Theatrum, cohibitum verò illum ab amicis ne ſe daret in Theatrum, concitatam turbam ſedaturus. In Epiſt. 1. ad Corinth. (*cap.* 4. *v.* 9.) ubi in Codice Latino dicit: *Puto enim quòd Deus nos Apoſtolos noviſſimos oſtendit tanquam morti deſtinatos; quia ſpectaculum facti ſumus mundo & Angelis & hominibus*: In Græco fonte uſurpat vocem *θέατρον Theatrum*, pro quo Latinus interpres poſuit *ſpectaculum*. Hoc-ce ſenſu in Epiſtola ad Hebræos ſcribit capite X. 33. *Et in altero quidem, opprobriis & tribulationibus ſpectaculum facti*, in fonte *θεατριζόμενοι*, id eſt, expoſiti quaſi in Theatro, ut eſſemus ludibrio, & pateremur omnes dolores in omnium conſpectu; ſicut plebis oblectandæ cauſa rei ad mortem deſtinati prodibant in theatra, ut eam certando ſubirent.

Theatrum in genere ſpectandi locus eſt. Nunc apud nos nomen illud accipitur pro loco in quo aguntur dramata, hoc eſt, tragœdiæ, comœdiæ; qui Græcis & Latinis dicebatur ſcena, ſive umbraculum ſub quo agebant hiſtriones. Præter carminum recitationem erant multa alia ludicra, quæ hoc-ce nomen *Pentathlum* comprehendit, hoc eſt, quinque exercitia, quæ conſtabant his quinque artibus jactu diſci, curſu, ſaltu, jaculatione, luctatione. His-ce quinque exercitiis quandoque erant diſtincta loca. In ſtadiis velocitate pedum contendebatur, in hippodromis equorum celeritate, in circo agilitate curruum, in Xiſtis fiebat lucta, tum & in theatris & in amphitheatris, ubi pugnæ edebantur gladiatorum; ſed in his diverſorum nominum locis diverſa peragebantur. In ſtadiis enim equi homineſve currebant. Xiſtus erat porticus, in qua Athletæ per hyberna tempora exercebantur. Hippodromus erat diſpoſitus ad cur-

ad curſus equorum, in quem qui intraret, totus ſimul offerebatur oculis ejus, ut currentes equos intueri poſſet, & judicare de celeritate eorum. Circus omne eſt ſpatium quod circuire equi ſolent: ſic ergo dictus circus à circuitu equorum, eo inquam quòd ibi circum metas equi currerent. In circo igitur contentio erat & de pernicitate equorum, tum & de induſtria aurigarum, qui circa metas impunè flectebant. Amphitheatra diſtinguebantur à theatris forma quæ omnino rotunda. Conſtabant amphitheatra velut duobus theatris.

Nudi Athletæ pugnabant; indè dicta *gymnaſia* ædificia in quibus aut ſe accingebant ad exercitia, aut jam exerciti depugnabant. Græcis *γυμνὸς* ſonat quod Latinis *nudus:* indè *γυμνάζω exerceo*, quia primitùs fiebant exercitia à viris nudis: indè *gymnaſium* pro loco exercitationis; & *ars gymnaſtica*, quæ pertineret ad exercitationem maximè palæſtricam ſive luctatoriam. Antiochus Epiphanes, ut narratur in libro 1. Macchab. Græcos mores induxerat in Judæam, cogebatque Judæos ut ephebos ſive juniores, qui eſſent valido & præſtanti corpore, imbuerent arte gymnaſtica. In illis gymnaſiis cum exuerent veſtes conſpiciebantur: pudebat autem eos apparere circumciſos; quaproter præputium adducebant, nempe arte medica ſatagebant ut pellis quam amputaverant, renaſceretur. Hoc adſtruit ſcriptor Macchabæorum (*Lib.* 1. *cap.* 1.)

XV. *Et ædificaverunt gymnaſium in Jeroſolymis ſecundùm leges nationum.*

XVI. *Et fecerunt ſibi preputia, & receſſerunt à teſtamento ſancto, & juncti ſunt nationibus, & venundati ſunt ut facerent malum.*

Adeò erat Solemne pugilibus in lucta veſtes exuere, ut verbum illud *exuere*, ubi de lucta ſermo eſt, idem ſit ac *exerceri*. Undè Tacitus in libro XIV. Cap. 20.

Cap. 20. Cùm refert quàm varia fama exceptum ſit quinquennale ludricum, quod Nero Romæ inſtituit, ad morem Græci certaminis. Hæc, inquam, queritur Tacitus: *Cæterùm abolitos paulatim patrios mores, funditùs everti per accitam laſciviam, ut quod uſquam corrumpi & corrumpere queat, in urbe viſatur, degeneretque ſtudiis externis juventus, Gymnaſia & otia, & turpes amores exercendo, principe & ſenatoribus auctoribus; qui non modò licentiam vitiis permiſerint; ſed vim adhibeant: proceres Romani ſpecie orationum & carminum ſcena polluantur. Quid ſupereſſe, niſi ut corpora quoquè nudent, & ceſtus aſſumant, eaſque pugnas pro militia & armis meditentur.*

Poſtrema verba Taciti potiſſimùm animadvertenda ſunt. Illa indicant morem vetuſtum pugilùm, luctatorum, curſorum, & forſan omnium qui in Gymnaſiis ſeſe exercebant; ad quem inhoneſtum morem Paulus alludere potuit, & ex eo petere comparationem, ſicut ipſe Dominus parabolam à villico iniquitatis apud Lucam Cap. XVI. Sic Hebræos compellat Paulus capite XII. *Deponentes omne pondus & circumſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum certamen.* Comparat vitam Chriſtianam Paulus huicce certamini, quo contendebatur de pernicitate pedum in ſtadio. In fonte Græco eſt τρέχωμεν τὸν προκείμενον ἡμῖν ἀγῶνα *curramus propoſitum nobis certamen*, quaſi diceret: curſum curramus, certemus certamen; ideò, ut curramus expediti, omne deponamus pondus ὄγκον carnis obeſitatem, ſcilicet *circumſtans nos peccatum*, veluti laciniosam & talarem veſtem, quæ currentis cruribus circumplicatur.

Ad Artem Gymnaſticam liquidò alludit Paulus in prima Epiſtola ad Corinthios capite nono v. 24. *Neſcitis quod ii qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed unus accipit bravium? Sic currite ut comprehendatis.* Diximus ſtadia fuiſſe curricula, in quibus

equi

equi homines-ve currerent, dicta à ſtatione, quia Hercules poſt confectum uno ſpiritu tale ſpatium, conſtitiſſet. Qui hoc-ce ſtadium emenſus erat velociori greſſu, emerebatur palmam, coronam, præmium, quod Græci appellabant *βραβεῖον*. Interpres Latinus tantum expreſſit Latinis literis Græcam vocem, qua intelligendam eſſe coronam indicant ſequentia.

XXV. *Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet: & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiat, nos autem incorruptam.* Illud *in agone* oſtendit ſermonem fieri de certaminibus publicis veluti palæſtra, lucta, aut curſu; in quibus qui ſe exercerent, certa victus ratione utebantur, & corpus variis exercitiis ad certamen præparabant, ut aſſerit Horatius:

Qui ſtudet optatam curſu contingere Metam:
Multa tulit, fecitque puer, ſudavit & alſit,
Abſtinuit venere, & baccho.

Inde & argumentum ſumebat Tertullianus ſcribens ad Martyres. *Nempè enim*, aiebat, *& athletæ ſegregantur ad ſtrictiorem diſciplinam, ut robori ædificando vacent: continentur à luxuria, à cibis lætioribus, à potu jucundiore: cruciantur, fatigantur*. Proſequamur quæ dicit Paulus, alludens ad morem Athletarum qui contendebant de velocitate curſus, de robore, de induſtria; hæc enim quæ ſequuntur & pugilatum reſpiciunt.

XXVI. *Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum: ſic pugno non quaſi aerem verberans.*

Prima pars hujus commatis ſpectat curſus certamen; in quo proponebatur meta; ad quam curſores dirigerent curſum; nempè in quam quaſi in ſcopum collimarent, non currentes via incerta. Hoc eſt quod dicit Apoſtolus *curro non quaſi in incertum ὡς οὐκ ἀδήλως*. Etenim mihi propoſita eſt meta quam intueor, ad quam dirigo curſum, ſcilicet omnia ad Deum referens. Quæ ſequuntur attinent ad pugilatum. *Sic pugno*,

gno, in fonte πυκτεύω, id eſt, ſic pugilem ago, cæſtibus depugno, *non quaſi aerem verberans* irrito conatu verbera intentans, aut ictibus oberrans, ut qui pugnæ imperiti ſunt, aut qui tantùm ſeſe parant. Reipſa faciebat Paulus quod pugiles ſeriò in certamine; ut de Darete pugile canit poeta:

Alternaque jactat
Brachia protendens, & verberat ictibus auras.

Paulus loquitur. 27. *Sed caſtigo corpus meum & in ſervitutem redigo: ne fortè cùm aliis prædicavero, ipſe reprobus efficiar.*

Qui crudo cæſtu pugnabant, contundebant plagis adverſarios; ita corpus eorum lividum reddebant, vibicibus ex plaga relictis. Paulus cùm dixiſſet pugnam à ſe committi, & innuiſſet aliquem adverſarium, declarat quis ille ſit, nempè propriam carnem, quippe quæ adverſetur ſpiritui. Dicit, inquam, acriter pugnare cum corpore ſuo; *caſtigo corpus meum*: In fonte Græco, ὑπωπιάζω; quod verbum idem eſt ac Latinum *contundo*, *ſugillo*, *lividum facio ſanguinis nota*. ὑπώπια ſunt vibices, tumores orti ex plagis. Sic ſubdebat ſibi corpus ſuum Apoſtolus, ne rebellaret adversùs ſpiritum.

Obverſabatur etiam animo Pauli ſtadium, ſive potiùs ſubibat cogitationem illius quod audierat de curſu in ſtadiis, dum ſic ſcriberet ad Philipenſes III. capite.

11. *Si quommodo occurram ad reſurrectionem, quæ eſt ex mortuis.*

Omnia ſe perferre ſignificat, ut perveniat ad metam, quæ illi propoſita eſt, ſcilicet reſurrectio.

12. *Non quòd jam acceperim, aut jam perfectus ſim: ſequor autem, ſi quo modo comprehendam in quo & comprehenſus ſum à Chriſto Jeſu.*

Quaſi dicat Paulus: nondum enim implevi curſum: non attigi metam, ut præmium acciperem. *Aut*

Aut jam perfectus ſim, nempè quaſi jam conſummaverim curſum. *Sequor autem*, nempè pergo currere, *διώκω*, id eſt, proſequor, non deficio, ut tandem comprehendam præmium, aſſequar Jeſum Chriſtum, quem accipiam ut præmium, ſive ipſe me accipiat, qui me vocans ad currendum, adſcripſit Catalogo eorum qui contenderent de præmio.

13. *Fratres, ego me non arbitror comprehendiſſe. Unum autem quæ quidem retrò ſunt obliviſcens, ad ea verò quæ ſunt priora extendens meipſum.*

Perſiſtit in metaphora curſorum, qui aliquò uſque progreſſi ſunt, ſed nondum metam attigerunt, qui non obſervantes paſſus quos fecerunt, totos ſe protendunt ad anteriora, ſive ad illud quod reſtat conficiendum.

14. *Ad deſtinatum perſequor, ad bravium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Jeſu.*

Curſus quem decurrebat Paulus *bravium*, id eſt præmium, non alius erat quam Jeſus Chriſtus.

Non ſemel alluſit Paulus ad *agones* illos, id eſt, certamina quibus contendebatur in ſtadiis de præmio curſus velocioris. Hos intuens agones dicebat iterùm ſcribens Timotheo capite IV.

7. *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi.*

8. *In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quàm reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex.*

In illa die quæ finis erit vitæ meæ, tanquam meta curſus mei. Agonothetæ, ſive judices certaminum, palmam adjudicabant victoribus. Ita Paulus perſeverans in metaphora Deum conſiderat quaſi agonothetam, qui illi adjudicabit palmam quam meretur. Dum de athletis ſermo eſt, non prætermittendum eos corpus unxiſſe oleo, cum ſui roboris periculum eſſent facturi: ideò in ſymbolum roboris ſpiritualis in agone mortis, cùm quis infirmaretur,

 voluit

voluit Deus presbyteros ungere Chriſtianum, qui tunc luctabatur cum Dæmone. Tota vita hominis perpetuus eſt *agon*, id eſt certamen; ideò Paulus ſe habet pro athleta, in fonte Græco ſcribens Philippenſibus cap. IV.

3. *Etiam rogo & te, germane compar, adjuva illas quæ mecum laboraverunt in Evangelio.*

In fonte Græco συνήθλησαν, *ſimul decertaverunt.*

Sæpiùs etiam ad militiam Paulus alludit. Flavius Vegetius Leges militiæ explicat. Chriſtianus & pius Lector perleget cum voluptate quæ ille Scriptor de Romanis militibus dicit. *Milites Romani*, ait, *nullis voluptatibus, nullis deliciis frangebantur. Sudorem curſu & campeſtri exercitio collectum nando juventus abluebat in Tyberi. Idem bellator, idem agricola, genera tantùm mutabat armorum. Quod uſque adeò verum eſt, ut aranti Quintio Cincinnato, viro optimo, dictaturam conſtet oblatam. Ex agris ergo ſupplendum robur præcipuè videtur exercitus. Neſcio enim quomodo minùs mortem timet, qui minùs deliciarum novit in vita.*

Ex Legibus militiæ deducebat Apoſtolus, eum qui ſe Chriſto addixiſſet, decere ut mentem omninò avocaret à curis terrenis. Ita compellat Timotheum in ſecunda Epiſtola capite XI.

3. *Labora ſicut bonus miles Chriſti Jeſu.*

4. *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus, ut ei placeat, cui ſe probavit.*

Ut placeat huic à quo in Catalogum militum adſcriptus eſt, ϛρατολογήσαντι, ut fons Græcus habet, quod Interpres vulgatus reddit *cui ſe probavit*. Hanc autem legem adſtruit Flavius Vegetius in libro II. cap. XIX. *Nec aliquibus milites inſtituti deputabantur obſequiis, nec privata iiſdem negotia mandabantur.* Hanc legem confirmavit Leo Imperator. *Milites qui à republica armantur & aluntur, ſolis debent*

bent utilitatibus publicis occupari, nec agrorum cultui, & cuſtodiæ animalium, vel mercimoniorum quæſtui, ſed propriè munus inſudare militiæ. Quin & nubere, prolemque ſuſcipere vetabantur milites, ut in voto pro pace evincit Grotius; allegans Dionem Caſſium in libro LX. & quod dixit Tacitus in XIV. Annalium, veteranos nequè conjugiis ſuſcipiendis, nequè alendis liberis ſuetos. Tertullianus reſpondebat his qui matrimonio opus eſſe dicebant ad domos regendas; ut loquitur in libro de exhortatione ad caſtitatem: *ſcio quibus cauſationibus coloremus inſatiabilem carnis cupiditatem: prætendimus neceſſitates adminiculorum, domum adminiſtrandam, familiam regendam; loculos; claves cuſtodiendas, lanificium diſpenſandum, victum procurandum; curas communiendas. Scilicet ſolis maritorum domibus benè eſt. Perierunt cœlibum familiæ, res ſpadonum, fortunæ militum, aut peregrinantium ſine uxoribus.*

Id omne quod militibus dabatur pro ſalario, appellabatur Latinè *ſtipendium*, Græce ὀψώνιον; quod ita conſtabat tum cibario tum pecunia. Indè factum ut ſalarium quod debetur miniſtris Eccleſiæ, qui nempè militant Deo, ſit appellatum ſtipendium. Qui militant ſub principibus, ſtipendia ab illis accipiunt; indè Apoſtolus dicebat eos qui peccato deſervirent, etiam recepiſſe ſtipendia, ſed heu qualia! ſi quidem peccati ſtipendium mors, ut ait Apoſtolus ad Rom. VI. 23. *ſtipendia enim peccati mors*. Et 1. Corinth. cap. IX. 7. *quis militat ſuis ſtipendiis?* alitur enim miles publico ſumptu, quo & miniſtri Eccleſiæ alendi ſunt.

Paulus in Epiſtola ad Epheſios capite VI. admonet virum Chriſtianum decere ut exhibeat ſe verum militem, qui armis induitur & rebus ad præliandum idoneis.

13. *Propterea accipite armaturam Dei, ut poſſitis re-*

tis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare.

Non eſt nobis colluctatio adversùs carnem & ſanguinem, dixerat ſuprà Paulus, nempè homines qui caro ſunt & ſanguis, ſed adversùs ſpirituales nequitias, nempè adversùs dæmones malos Angelos. Quapropter, inquit Paulus, accipite, aſſumite πανοπλίαν τοῦ θεοῦ, omne armaturæ genus, ut poſſitis in tentationum periculis ſuſtinere hoſtium impetum.

Veſtes veterum erant laxæ, ne eſſent impedimento, parabant ſe certamini, has accingendo, & induentes arma. Ad quod alludens Paulus ait:

14. *State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induti loricam juſtitiæ.*

Nempè ſic inſtituendo vitam, ut argui non poſſitis alicujus mendacii, nec cujuſcumque vitii.

15. *Et calceati pedes, in præparatione Evangelii pacis.*

Ὑποδησάμενοι, calceos habentes vinculis colligatos, ne pedes in illis vacillarent. Milites ocreis pedes & tibias muniebant, tum adversùs ictus hoſtiles, tum adversùs incommoda viæ aſperæ, confragoſæ, ſpinis horridæ. *In præparatione*, ut ſitis parati ad ſuſcipiendum iter, per dura & per aſpera Evangelium annuntietis. *Evangelii pacis*. Quaſi dicat: ut ad bellum eſtote parati; ſed quo reconciliemur Deo, & cum eo pacem habeamus.

16. *In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere.*

Scuto milites excipiebant tela immiſſa ab hoſtibus & repellebant. *Tela nequiſſimi* τοῦ πονηροῦ, nempè diaboli, qui appellatur πονηρὸς, ſpiritus nequam. Scuto non extinguebantur tela ignita; ſed quia ſermo eſt de telis diaboli, quibus homines vel ad libidinem vel ad iram accendit, benè dicuntur illa tela extingui, quando ſuperantur tentationes.

17. *Et*

17. *Et galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei.*

Galea tuetur caput; ideò verè eſt ſalutaris: Chriſtus autem verè ſalus eſt noſtra; in quo omnis ſpes noſtra ponenda eſt. *Et gladium ſpiritus.* Finiens hanc armaturam militarem, Paulus admonet pugnandum eſſe verbo Dei. Non alio armaturæ genere decet Evangeliſtam uti.

De militia addam, quòd exercitus in Scripturâ appellantur *Tſabaoth*, quæ vox dicit ordinem; undè egregia cœlorum & ſtellarum diſpoſitio appellatur *Tſabaoth*; & ipſe Deus Cœlorum, Deus *Tſabaoth*. In exercitibus omnia ordine diſponuntur: agmina conſtant certo numero militum; ut cùm dicitur, vel quinos vel quinquagenos iter habuiſſe, intelligendi ſint more militum ſive in exercitu inceſſiſſe. Ita in Exodo (*Cap.* 13. *v.* 18.) *armati* aſcenderunt filii Iſrael de terra Ægypti, in fonte *quini* vel *quinquageni*, id eſt, ordine militari aſcendebant. Goliath in capite XVII. Samuelis in fonte vocatur *vir medietatum*, id eſt, quaſi ſequeſter & duellio, pugnam monomachia diremprurus.

Attingam brevi ſermone rem navalem, ex qua cognita lux accedit Sacris Scripturis, quæ de navibus & de navigatione non ſemel loquuntur. Naves conſtant prora & puppi. Hæc pars eſt navis quaſi poſtica, prora verò antica, ubi roſtrum eſt ſive pars navis acuminata, qua ſulcat aquas. Puppis quaſi obeſa eſt & latior, ut excipiat impetum ventorum, à quibus impellitur. Extat aquis puppis magis quàm cæteræ partes navis, & in ea ad clavum, ſive ad gubernaculum ſedet nauclerus, & dirigit curſum navis, prout torquet gubernaculum. Cùm enim illa ſit in æquilibrio, innatans aquis quas ſulcat, vel minimo motu dirigitur ad quem locum voluerit nauclerus, ut dicit B. Jacobus 11. 14. *Ecce*, inquit, *& na-*

 ves

vès cùm magnæ ſint, & à ventis validis minentur, circumferuntur à modico gubernaculo ubi impetus dirigentis voluerit.

In puppis ſummitate pictura erat, quæ repræſentabat numen in cujus tutela erat navis, vel inſigne quodcumque quo internoſci illa poterat & diſtingui. Græci appellant *παράσημον*, id eſt, *inſigne*, quo ſignificabatur, ut ita dicam, quæ eſſet navis. Aliis pro inſigni erat aquila, aliis equus marinus. Apud Ethnicos vulgò inſignia navium ſive tutela erat quiſpiam Deus; ſicut apud Chriſtianos aliquis è numero ſanctorum, Navi Alexandrinæ, quam D. Paulus conſcenderat Romam petens, in Actis Apoſtolorum cap. XXVIII. ubi navigatio ejus deſcribitur, *erat inſigne Caſtorum παρασήμῳ Διοσκύροις*, nempè Caſtor & Pollux, quos Ethnici filios Jovis faciunt.

Per latera navis, inter quæ dicitur Jonas deſcendiſſe, cùm orta tempeſtate timuit, intelligendæ ſunt partes, interiora navis, alvus, carina. Naves conſtratæ ſive tectæ erant. Cataſtromata, ſive conſtrata navium nobis dicuntur, *le tillac du vaiſſeau*, *les ponts*, Italis *la coverta*, *o il palco della nave*. In fundo navis ſentina eſt, in quam ut in partes imas confluunt omnes ſordes, & aquæ quæ per rimas perfluere poſſunt: undè neceſſe eſt continuò exhauriri ſentina; faceret enim neglecta quod fluctus irruens, ut loquitur Auguſtinus. Ad hoc faciunt antliæ. Non vacat omnes partes navium enumerare & uſum explicare. Vix ſufficeret complurium paginarum liber. Annotanda Bolis, qua cognoſcitur profundum maris, in quo navis deprehenditur. Ita nautæ cum quibus vehebatur Paulus in Actis XXVII. 28. *ſummittentes bolidem invenerunt paſſus viginti.*

In primis neceſſariæ ſunt anchoræ adversùs vim ventorum, ne navis abripiatur in loca aſpera, & illidat cautibus, & conteratur. Undè ſpei ſymbolum

eſt, ut

eſt, ut videre eſt in Epiſtola ad Hebræos, ubi ſermo eſt de ſpe. VI. 19. *quam*, inquit Paulus, *ſicùt anchoram habemus animæ tutam ac firmam*. Plures anchoræ neceſſariæ ſunt. Nam vi tempeſtatis funes quibus illigantur ſæpiùs rampuntur; prætereà quò plures ſunt anchoræ, minùs vi ventorum concutiuntur naves. In navigatione Pauli quæ in Actis XXVII. deſcribitur, nautæ *timentes autem ne in aſpera loca incideremus, de puppi mittentes anchoras quatuor, optabant diem fieri*.

Subjicit Actuum Scriptor: *Nautis verò quærentibus fugere de navi, cùm miſiſſent ſcapham in mare, ſub obtentu quaſi inciperent à prora anchoras extendere*. Scapha exiguum eſt & leve navigium in navi paratum, quo, dum illa eſt in alto, nautæ ad quæcumque littora impunè accedant, quod impunè non poſſent ipſa navi; nam pondere ſolo magnitudinis ſuæ multum demergitur ut fluitare non poſſit, ubi non multa aquæ copia eſt. Miſerunt ergo nautæ ſcapham in mare; ſpecie fingentes ſe in ſcapham deſcendere, non fugiendi cauſa, ſed velut anchoras à prora extenſuri, ſive ut anchoras longius à prora figerent, fune eò uſquè prolato; ita navis longiùs removeretur à terra.

Vento vel remis naves feruntur; ſed modò pondus oneris earum infra ſit pondus aquæ, cujus occupant ſpatium, ſive volumen, in æquilibrio ſunt immotæ, niſi vento moveantur, aut proprio aliquo motu aquæ intra quam ſunt, vel denique remis qui inſtar pedum ſunt. Remiges dum incumbunt remis, quos in aquas immittunt, & illæ reſiſtunt, navis repellitur & movetur in partem oppoſitam. Naves verò quarum latera celſiora ſunt, *les vaiſſeaux de haut bord, le navi d' alto bordo*, non poſſunt impelli remis, quia illi ſubjectas aquas attingere non poſſunt, niſi ob longitudinem ponderoſiores evadant. Vento

autem id genus navium movetur; præterquam enim aqua multùm extent, & ſic vento exponantur, aſſurgunt in illis arbores proceræ, nempè malus, cui adhæret antenna, ex qua vela pendent. Antenna autem non immobilis, ſed attolli & torqueri poteſt, ut vento, quo nihil mobilius eſt, & mutationi magis obnoxium vela ſemper opponantur.

Verùm cùm validior eſt ventus, quàm curſus navis regi poſſit, tunc vela colligenda ſunt, nempe ſubducenda tempeſtati: dimittendæ antennæ; & cædendus malus, ut nulla res reſtet, in quam ventis agere liceat; quod factum eſt in navigatione Pauli, quæ deſcribitur Actuum capite XXVII. *Cùmque arrepta eſſet navis, & non poſſet conari in ventum, data navi flatibus, ferebamur.* Id eſt, cum abrepta eſſet navis à loco quò tendebamus; & non poſſet conari: in fonte *ἀντοφθαλμεῖν*, propriè eſt *contrà tueri*, impropriè *obniti*, reſiſtere vento, cui cedere coacti ſumus, & ſequi ejus impetum.

16. *In inſulam autem quandam decurrentes, quæ vocatur cauda, potuimus vix obtinere ſcapham.*

Scaphæ vix compotes fieri, vel ſcapham ex mari in navem attollere; cùm eam demiſiſſent in mare, cauſa alicujus neceſſitatis.

17. *Qua ſublata, adjutoriis utebantur, accingentes navem, timentes ne in Syrtim inciderent, ſummiſſo vaſe ſic ferebantur.*

Adjutoria ſunt funes, catenæ, unci, inſtrumenta. Intelligendi etiam milites, qui adjuvabant nautas; qui timentes ne ventus navim abriperet in Syrtim, id eſt, in locum vadoſum & arenoſum, *ſummiſſo vaſe*, *χαλάσαντες τὸ σκεῦος* (malus, antennæ, vela intelligi poſſunt: *σκεῦος* enim in genere quodvis utenſile ſignificat) omnia tempeſtati ſubduxerunt, ne aliqua parte ventus navem urgeret, ſic ferebantur ſine malo, ſine velis. Illud autem *accingentes ὑποζωννῦντες*, ſive

ſive *ſuccingentes* indicat nautas funibus utrinque ſub fundum navis adductis latera ejus conſtrinxiſſe, ne vi ventorum & fluctuum diſſiliret.

18. *Valida autem nobis tempeſtate jactatis, ſequenti die jactum fecerunt.*

Jactum fecerunt nempe mercium & ſarcinarum in mare, levandæ navis gratia. Primùm jaciuntur merces; deindè armamenta, ut ſtatim ſequitur; poſtremo & cibaria, ut infra ſatiati cibo jactaverunt triticum in mare.

19. *Et tertia die ſuis manibus armamenta navis* projecerunt.

Τὴν σκευὴν, nempè id omne quo inſtruebatur navis. Quoniam jam projecta erant inſtrumenta navis, intelligenda ſunt illa armamenta, ſive inſtrumenta, quæ ſervantur in ſupplementum *les agrez de rechange, arneſi di riſerva.*

Artem nauticam docere non ſuſcepi; ideo breviter de ventis loquar. *Veteres quatuor omnino ſervavere*, inquit Plinius libro II. cap. XLVII. *per totidem mundi partes. Sequuta ætas octo addidit, nimis ſubtili & concisa ratione. Proximis inter utramque media placuit, ad brevem ex numeroſa additis quatuor. Sunt ergo bini in quatuor cæli partibus, ab oriente æquinoctiali ſubſolanus, ab oriente brumali Vulturnus; illum Apeliotem, hunc Eurum Græci appellant. A meridie Auſter, & ab occaſu brumali Africus, Noton & liba nominant. Ab occaſu æquinoctiali Favonius: Ab occaſu ſolſtitiali Corus: Zephirum & Argeſtem vocant. A ſeptemtrionibus, ſeptemtrio; interque eum & exortum ſolſtitialem Aquilo: Aparctias & Boreas dicti.* Jam diu eſt quod nautæ numerant triginta duos ventos. In navigatione Pauli nominantur Λὶψ Africus & Corus, qui duo venti ſunt occidentales, Africus ab occaſu brumali, corus ab æſtivo aut ſolſtitiali. In loco Actuum (*v.*14.) circa

circa quem potiſſimùm nunc verſamur, ventus nominatur Typhonicus, nempè ſecum omnia rapiens, *qui vocatur Euro-aquilo*, ait Vulgatus Interpres. In fonte Εὐροκλύδων, id eſt, tempeſtates ciens. Euro-aquilo ventus eſt flans ab Oriente & ab Aquilone.

In veteri navigatione, cùm nondum pixis nautica nota eſſet, ubi neque ſol neque ſidera apparebant, & imminebat periculum gravioris tempeſtatis, navium curſus ſiſtendus erat; quod in navigatione Pauli contigit. 20. *Neque autem ſole, neque ſideribus apparentibus per plures dies, & tempeſtate non exigua imminente, jam ablata erat ſpes omnis ſalutis noſtræ*. Olim nautæ legebant littora, & ex cognitione horum littorum dirigebant curſus navis. Subdit Actuum ſcriptor 39. *Cùm autem dies factus eſſet, terram non agnoſcebant: ſinum verò quemdam conſiderabant habentem littus, in quem cogitabant ſi poſſent ejicere navem*. Neſciebant an terra eſſet continens, an inſula; aut potiùs quæ eſſet iſta terra. Olim, ut dixi, legebantur littora quæ nota eſſent. Adverterunt autem ſinum, *une baye où il y avoit un rivage, un golfo dov' eravi una ſpiaggia*, ſcilicet non ibi profundum mare: huc ergo navem, quæ ejectis armamentis & mercibus non onerata appellere poterat, cogitabant ejicere, ut Gallicè loquimur, *le faire èchouer dans ce lieu*, Italicè *farla rompere in queſto luogo*.

40. *Et cùm anchoras ſuſtuliſſent, committebant ſe mari, ſimul laxantes juncturas gubernaculorum, & levato artemone ſecundùm auræ flatum tendebant ad littus*. Sublatis è mari anchoris ſe huic commiſerunt. Sinebant ſe ferri motu aquarum. In antiquis navibus quandoque erant duo gubernacula ad utrumque latus puppis. Laxant autem nautæ juncturas Gubernaculorum ζευκτηρίας, id eſt vincula, quando nolunt navem gubernaculo regere, ſed permittunt mari, ven-

ri, ventis, quibus laxata gubernacula non obſiſtunt, Artemon ſive artimon hodiernæ artis nauticæ vocabulum eſt uſitatum. Quid verò ſignificet apud antiquos incertum eſt. Aliis malus eſt in poſtica parte navis, aliis velum eſt; quòd cùm modicum ſupereſſet, tamen ſuſtulerunt ad flatum, ut propelleretur navis versùs littus. Etenim jam ſubmiſerant malum, & omnia armamenta in mare projecerant. Vento ergo quocumque impulſa navis, ſatagebant ut ad terram accedere poſſet.

41. *Et cùm incidiſſemus in locum dithalaſſum, impegerunt navem, & prora quidem fixa manebat immobilis, puppis verò ſolvebatur à vi maris.* Locus διθάλασσος *bimaris*, qui utrinque mari alluitur, iſthmus. Intelligendæ ſunt tæniæ, quales multæ ſolent eſſe non procul à littore, ita tamen ut inter eas & littus mare interluat. Tæniæ propriè dicuntur faſciæ *des bandelettes longues & etroites*, Italicè *benda, o faſcia, che s' avvolge al capo, più ſtretta, che lunga*; ſed & lapides ſub aquis candicantes, in longum porrecti à faſciatum ſimilitudine, qui territabant nautas. Attamen in tales tænias impegerunt navem, cujus prora arenoſo loco impacta manebat immota; puppis verò, quæ reſtabat in mari, quia ſubvehi non poterat in terram, ſolvebatur à fluctibus. Ita non appulerat navis ad littus, ſed ad locum vadoſum, ex quo enatandum erat ad terram.

42. *Militum autem*, à quibus ſervabatur Paulus, *conſilium fuit ut cuſtodias* τοὺς δεσμώτας *les priſonniers, i prigioni*, vinctos occiderent, ne quis cùm enataſſet, effugeret.

43. *Centurio autem volens ſervare Paulum, prohibuit fieri*: juſſitque eos qui poſſent natare, emittere ſe primos evadere & ad terram exire.

44. *Et cæteros alios in tabulis ferebant*: hoc eſt, permiſit Centurio cæteros hos in tabulis ferri, *quoſdam*

dam ſuper ea quæ de navi erant, nempe in fragmentis navis. *Et ſic factum eſt ut omnes animæ evaderent ad terram.* Hæc de re navali placuit perſtringere, ut pertinentia ad Biblicum apparatum.

CAPUT VIII.

Exponuntur pleraque nomina, quorum etymum ſive veram originem ſcrutari intereſt, ad rerum ſacrarum veritatem cognoſcendam.

CONgeſſimus in hunc-ce Apparatum ea omnia quæ ſaltem delibaſſe debet Lector, quem tenet ſtudium ſacrarum litterarum, ut pleno earum hauſtu poſſit ſe proluere. Collecta & parata ſunt quibus indigeat, viam per illas decurrens; modo codices eos ſumat qui ſermone ſibi noto ſint exarati; neque enim ſuſcepimus eum imbuere cognitione omnium linguarum, tum earum quibus primitùs Codices illi olim exarati ſunt, tum aliarum quibus poſtea redditi. Non agimus Grammaticos.

Juvabit autem te, quiſquis es, de fontibus ipſis potare. Quin & religionis partem aliquam putaverunt viri pii ediſcere linguam Hebræam, qua Deus olim in veteri Teſtamento uti voluit quos afflabat, tum & Græcam, qua Evangeliſtæ & Apoſtoli novum Teſtamentum expreſſerunt. Lingua Latina notior. Etenim vicinia quaſi conjungitur cum Gallica, ut non pariter neceſſarium ſit differere de idiotiſmis ſive proprietatibus ejus, in gratiam eorum qui ſacras Litteras vernaculè redditas legunt. Ne te longo ſermone morer, Lector, de noſtro inſtituto non eſt Grammaticas Hebræas, Græcas, Latinas ſtruere, condere harum linguarum lexica. Quid ergo huic-ce Apparatui noſtro jam deeſſe poteſt, quod ſpectet tres illas linguas, quas in crucis titulo poſſumus dicere ſancti-

fica-

ficatas, niſi quaſdam voces minùs uſitatas exponere; quæ peregrina veſte adhuc ſunt indutæ, hoc eſt, non fuere expreſſæ notis vocibus, ſic ſoni ſunt inanes, licèt illis myſteria ſubſint? Verbi cauſa, nullius eſt ſignificationis vox illa *Michael*, cùm advertitur à Gallo ſolus hujus nominis Hebraici ſonus. In Hebræo idiomate nobile indicatur facinus; & hoc-ce nomen inſtar eſt complurium verborum. Nomen, inquam, hujus eſt Angeli, qui his obſiſtens malis angelis, qui in Deum rebellaverant, & ambiverant huic eſſe ſimiles, hoc-ce ſermone coercuit: *quis ut Deus*? indè dictus *Michael*, idem Hebraicè ſonans. Nomina pleraque vel Latina vel Gallica, ſive perſonarum ſive rerum, vulgò ſunt impoſita temerè, & nullius ex ſe ſignificationis. Sed non ita de multis Hebræis Græciſque nominibus. Habent ex ſe congruas aptaſque ſignificationes: ſoni ſunt, ſed qui deſerviunt aptè deſignandis perſonis & rebus; ſicut nomen illud *Michael*, cùm tribuitur dicto Angelo.

Pleraque nomina huc afferam & exponam: ſed primùm audiendus B. Hieronymus, cujus hæc præmonitio nunc temporis nobis neceſſaria eſt. Sic ille loquitur in præfatione libri de Interpretatione nominum Hebraicorum. *Non ſtatim ubicumque ex A littera quæ apud Hebræos dicitur Aleph, ponuntur nomina, æſtimandum eſt ipſam ſolam eſſe quæ ponitur. Nam interdum ex Ain, ſæpè ex He, nonnunquam ex Heth litteris, quæ aſpirationes ſuas voceſque commutant, habent exordium.* Quin pleræque litteræ Hebræorum, ut jam diximus, diverſimodè efferuntur. Eadem enim littera *Ain* aliis *a*, aliis *o*, aliis *gna* ſonat. In quibuſdam Græcis & Latinis nominibus hæc littera ſonat *e*. Idem eſt de littera *heeth*, quæ aliis eſt *cheth*. Undè apud interpretes non eodem modo ſcribuntur nomina Hebræa. Quibuſdam *jeſchahija* dicicitur, qui in Vulgata noſtra Iſaias eſt: *Chizkija*, qui

Eze-

Ezechias. Sic pro *Hieruſalem* dicunt aſperiore ſono *jeruſchalaima*. Advertendum etiam eadem littera Latina nos compelli exprimere diverſas litteras Hebræas, licèt figura & ſono diverſas, ſed diverſitate, quam nobis non licet exprimere. Tales ſunt litteræ *caph*, *coph*, etiam plerumque *cheth*. Has tres litteras eodem elemento C exprimimus. Sæpiùs etiam littera *gimel* aut *ghimel* & *ain* ſive *gnain* elemento noſtro G notantur. Elementum S ſervit latinè ſcribendis his tribus litteris Hebraicis *ſamech*, *tzade*, *ſchin* & *ſcin*. Tum etiam in pleriſque nominibus quæ in interpretatione à T incipiunt, habere poſſunt initio vel litteram *teth* vel litteram *thau*. Quod animadvertendum erat, ne diverſitas qua nomina Hebræa redduntur, perturbaret.

Quorumdam nominum, quæ frequentiora ſunt in ſacro Codice, etymologias Hebraicas & Græcas proponam; undè cæteris lux affulgeat, primùm indagans origines ex quibus nomina frequentiùs derivantur. Nomen quandoque proprium perſonæ augetur adjuncto alio nomine, ſive coaleſcit ex duobus vel tribus nominibus; quorum unum crebrò divinum eſt, nimirum unum ex divinis nominibus. Illa ſunt decem numero, ut dictum eſt; non ſingula autem pariter in compoſitionem nominum veniunt. *Jah* eſt diminutivum nomen à *Jehova*. Addebatur pleriſque nominibus, ut *Iſaias*, id eſt, *ſalus jah*, id eſt, *ſalus Dei*. Sed præ cæteris uſurpabatur nomen *el*; undè factum *Michael* quis ut Deus. *Gabriel* fortis Dei, & alia complura nomina, quæ modò recenſebimus. Et Deus vocatur *Adonai*; undè factum *Adonias* dominator ſive Dominus. Sed pleriſque aliis nominibus quam Dei augebantur nomina perſonarum; maximè illis: *ab*, quod Hebraicè ſonat *pater*; undè *Abram* pater excelſus, & *Abraham* pater multitudinis, ſive pater multi populi. *Abda* ſervus; ut *Abdias*

dias ſervus Domini: *Ben*, id eſt, filius; ex quo *Banaias*, filius Domini: *Bar* idem etiam ſonat quòd *Ben* filius; indè *Barjona* filius columbæ. Nominibus locorum adjungebatur *Beth*, id eſt, domus. *Bethaven* domus iniquitatis. Hebræis *Cariath* eſt *civitas*; hujus-ce nominis additamento quædam loca diſtinguebantur. Et in nominum compoſitione non rarò advertuntur voces illæ, *iſch*, id eſt, vir, *Iſcariothes* vir vici Carioth: *melech* rex; undè *Abimelech* pater rex: *Nathan* donum, undè *Nathanael* donum Dei.

Sufficiat hæc in genere advertiſſe; celebriorum autem nominum etymologias, ordine alphabetico proferam; eas nempe quas animadvertere operæ pretium eſt. Sed & in genere circa etymologias conſiderandum eſt pleraſque litteras Hebraicas, licèt pariter Græcis & Latinis idem ſonent, figura & poteſtate diverſas eſſe. Nam, verbi cauſa, *Abel*, cùm prima littera eſt *aleph* ſive A, ſignificat *luctum*; & nomen eſt *Abelis* quem Adamus ſuſceperat ex Eva: cùm autem prima littera eſt *he*, ſignificat *vanitatem*. Ita Amos, ſi prima littera ejus eſt *aleph*, idem ſonat quod fortis: ſi verò *ain*, idem quod *manipulus*. Hæc littera quandoque efertur *am*; & non aliter ſonat quàm A Latinorum. Sic appellatur Hebraicè *populus*; ex quo factum *Aminadab*, populus ſpontaneus, *Ammon* populus ejus; ſed *Ammon*, quando in principio eſt littera *aleph*, reddendum eſt *fidelis* aut *verax*. Littera Hebræa, quam alii *Heeth*, alii *cheth* appellant, & quæ in gutture formatur, eodem noſtro elemento *a* exprimitur in pleriſque nominibus. Nam *Anna* ſonat idem quod gratioſa, à *channan* ſive *Annam*, Hebraicè *gratiam fecit*, *miſericors*, *gratioſus fuit*. Ita nomina ejuſdem ſoni non ideò habent eaſdem origines ſive ſignificationes, quia non iiſdem ſignis ſive litteris in fonte Hebræo exprimuntur.

Abel

Abel per aleph appellatus eſt, quia futurus erat luctui. Pater enim ejus Adam eum luxit interfectum à Cain fratre. Sic non rarò nomina omen & vaticinium erant rerum futurarum.

Ab id eſt, *pater*. Ex *Ab* factum *Abba*, quod erat nomen honoris; unde filiis ſervorum non licebat patres ſuos hac voce compellare. Patrem-familias potiſſimum deſignabat; unde Paulus ad Epheſios (*cap.* 5.) dicit de Deo patre: *ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur*. A quo non ſolùm Judæi, ſed omnes homines ortum ducunt; ut omnium ſit caput. Judæis *Ab* dicitur quod in omni re præcipuum eſt, principale, generale, alias ſpecies ſub ſe complectens. Ita dum loquuntur de prohibitis operibus die ſabbati, vocant prima opera expreſſa in lege, quaſi patres, quæ comprehendunt omnia etiam minutiſſima opera, quæ in ſabbato prohibita ſunt.

Nomen *Ab* pluribus nominibus præponitur. *Abia* pater Domini: *Abeſſalon* pater pacis aut pater retributionis. *Abiathar* pater excellens: *Abram* pater excelſus, *Abraham* pater multorum populorum: quo videre eſt non temerè impoſita nomina huic Patriarchæ. Antequam vocaretur à Deo erat quidem pater excelſus, ſive vir magni nominis; poſtquam autem Deo obediens patriam deſeruit, & in terram Chanaan tranſivit meruit ut fieret pater numeroſæ prolis, *pater multi populi*.

Abaddon in Apocalypſi (*cap.* 9. *v.* 11.) ſic Angelus exterminans Hebraicè appellatur à verbo quod ſignificat perdidit; ejuſdem ſignificationis ac Græcum apollyon, quo ibi Græcè appellari dicitur.

Achab ſonat idem quod frater; & pleriſque nominibus aſſuitur: ita *Achab* eſt frater patris: *Achia* frater Domini: *Achimelech* frater meus rex.

Adam, id eſt, ruber. Sic vocatus eſt primus homo, quia de terra rubra ſumptus.

Ado-

Adonibezech Domini fulgur,

Anna, id eſt, gratioſa.

Annas nomen eſt ferè ejuſdem ſoni ac Anna; ſed habet in principio litteram *ain*, & ſonat reſpondens, affligens. *Ania* eſt reſponſio Domini aut afflictio Domini.

Ariel: ſic appellabatur altare, id eſt, leo Dei, quia igne ſuo devoraret oblatas victimas.

Armagedon. Nomen eſt Hebræum, quo in Apocalypſi (*cap. 16. v. 16.*) appellatur quidam locus; etymum ejus incertum. Deduci poteſt ex *Ar* mons & *Chorema* internecio, quaſi mons internecionis, perditionis. *Azarias* auxilium Dei.

Baal idolum. Sonat hoc-ce nomen dominans aut poſſidens. Addebantur huic-ce nomini alia nomina, quibus diſtinguebantur idola diverſa. *Baalgad* idolum fortunæ. *Baal-hamon* idolum populi: *Baali* idolum meum: *Baal-meon* idolum habitaculi vel idolum ex peccato; & alia pleraque. Nomen *Baal* & ſæpiùs effertur Beel, Belus; indè *Beelzebub* idolum muſcæ, & alia.

Bala inveterata ſive defluens. Indè *Balaan* vetuſtas populi, ſive abſque populo. Indè idolum *Bel* ſic dictum, quaſi defluens ſive nihil. Idola dicebantur *nihila*. Vox *Beli* Hebraicè ſignificat *abſque* & contermina eſt voci *Balah*. Nomen *Belial* ſonat *abſque jugo*, filius perverſus.

Banaias, filius Domini. Vox *Ben* filius reperitur conjuncta cum multis aliis nominibus; ſicut & *Bar*, filius: *Barjona* filius columbæ. *Barrabas* filius patris: *Barnabas* filius prophetæ: *Bartholomæus* filius ſuſpendentis aquas. *Ben* pronuntiatur etiam *Bon*: indè *Boanerges* filius tonitrui. *Beniamin* filius dexteræ; & alia plura nomina.

Baruch, id eſt, benedictus. Hinc derivantur multa nomina ut *Barachias* benedicens Domino. *Barachel*

dicens Domino: *Berech* Hebraicè benedixit.

Beer Hebraicè eſt puteus, ex quo plurima nomina componuntur. *Beerelim*, id eſt, fors arietum vel fortium. *Berſabee* puteus fons-ve juramenti: appellatur ab Hebræis Batſeba; *Bath* autem eſt filia; ita *Bathſeba* eſt filia juramenti: uxor Uriæ quæ in vulgata *Berſabee* appellatur.

Beth domus multis nominibus loci adjungitur. *Bethabara* domus tranſitus; nempe locus ubi vadum in Jordane, & frequens erat trajectum *Bethel* domus Dei: *Beth-Dagon* domus frumenti: *Beth-lehem* domus panis.

Beth-ſames domus ſolis; & alia quàm plurima.

Cadem, id eſt, oriens; undè *Cadumin* antiqui, Orientales.

Cariath urbs; in pleriſque urbium nominibus occurrit: *Cariatharim* civitas civitatum. *Cariath-iarim* civitas ſylvarum.

Cephas nomen eſt Syrium, quod *petram* ſignificat; nomen principis Apoſtolorum.

Dan judicans; indè *Daniel*, judicans Deus.

David dilectus.

Dibon abundans; indè *Dibon-gad* abundantia filii felicis; & quæpiam alia.

Edom rufus.

Elcana Deus zelotes.

Eliezer Dei adiutorium.

El & *Jah* Dominus conjunguntur.

Eliſabeth, id eſt, Deus juramenti, vel ſaturitatis.

Eliſeus Dei ſalus vel Deus ſalvans.

Emanuel nobiſcum Deus.

En fons ſæpiùs nominibus locorum adjungitur.

Engaddi, id eſt, fons hœdi: *Endor* fons habitationis.

Engannim fons hortorum.

Eſa-

Eſaias ſalus Domini.

Eſau faciens vel operans.

Eſdras adjutor.

Eſther occulta.

Ezechias fortitudo Domini.

Gaba collis; quo quædam nomina locorum componuntur, *Gabata*, *Gabaon*.

Gabriel vir Dei; vel fortitudo Dei.

Gamaliel retributio Dei.

Geth torcular; & hoc nomine quædam nomina augentur: *Geth remmon* torcular mali punici: *Getſemani* eſt vallis pinguium ſive olei. Nam venire poteſt à *Gath*, quod eſt torcular, vel à *Ghe*, quod eſt vallis.

Hanan gratioſus, pius, miſericors, intrat in compoſitionem complurium nominum. *Hananias*, gratia Domini ſive miſericordia.

Hebræus, id eſt, tranſitor; à verbo *Avar* tranſivit. Sic Abraham & poſteri ejus videntur dicti Hebræi, quia Euphratem tranſierant venientes in terram Chananæam.

Hen Hebræis fons eſt; quod nomen multis aliis nominibus præponitur; ut illis: *Hendor* fons generationis: *Hen-gannim* fons hortorum: *Hen gadi* fons felicitatis.

Idumæi ab *Edom* quaſi *Edomæi*, id eſt, ruſi.

Jad manus; *Jada* confiteri. Ex his-ce nominibus alia componuntur: *Jeddu* manus ejus, vel confitemini.

Judæus, id eſt, confitens, laudans.

Jeruſalem viſio pacis.

Jeſus ſervator, quod nomen pronunciatum eſt diverſimodè, *Jeſue*, *Joſue*.

Jether excellens.

Joachim Domini præparatio: *Joacim* Domini reſurrectio.

Tt 2 *Job*

Job dolens.

Johannes gratia Dei.

Jordanes componitur ex *Jor* rivus & *Dan* nomen loci ex quo fluebat fluvius Jordanes.

Joſapha Domini judex.

Joſeph augmentum.

Joſue Dominus ſalvator.

Iſaac riſus. Sic appellatus eſt puer, quem Sara peperit; quem cùm illi promitteret Angelus, riſerat; quippe non putabat ſe idoneam partui, ob ætatem.

Iſmael exauditio Dei.

Iſrael prævalens Deo; quo nomine Deus ipſe appellavit Jacob, poſtquàm prævaluit, luctans cum Angelo ſuo.

Lazarus cui auxilio eſt Deus.

Libanus albus, candidus.

Maria amaritudinis mare, id eſt, amaritudo amariſſima.

Mathat donum; quod nomen frequens eſt in nominum compoſitione: *Mathanias* donum Dei: *Mattheus* donatus.

Melech rex; indè multa derivantur nomina.

Melchiſedech rex juſtitiæ.

Melchias rex Dominus: *Melchiel* rex meus Deus.

Melchom rex eorum, *Moloch* regnans.

Meſſias unctus, Græcè *Chriſtus.*

Nathanael donum Dei.

Nazaraus ſeparatus.

Obed ſervus, ſive *Ebed.* Hinc *Obadias* ſervus Domini.

Obededom ſervus hominis.

Ochoſias poſſeſſio Domini.

Phares diviſio; indè Phariſæi, quaſi diviſi ſive ſeparati.

Rab multus; undè *Rabbi* præcipuus doctor.

Ram

Ram excelſus; undè *Rama* excelſa: indè *Ramatha* urbs Syriæ in monte Ephraim.

Rapha medicina: *Raphael* medicina Dei.

Salem pax, perfectio, retributio; indè *Salomon* pacificus, perfectus, & pleraque alia nomina.

Samuel poſitus à Deo.

Sara Domina, princeps. *Sarai* domina mea.

Satan adverſarius.

Saul poſtulatus, commodatus. *Saulus* non aliud nomen eſt.

Sedechias juſtitia Domini.

Semei audiens, obediens. *Semeia* ſive *Semeias* audiens Dominum; indè & Simon audiens.

Thomas geminus; ideò & appellatus eſt *δίδυμος* quod nomen ejuſdem eſt ſignificationis.

Tob bonus; à quo *Tobias* bonus Dominus.

Urias ignis Domini.

Zacharias memoria Domini.

Omnium nominum quæ in ſacro Codice certis rebus & perſonis propria ſunt, origines non ſuſcepi omnes exponendas; ſed cùm ſint partes Biblici apparatus, volui aliquas perſtringere. Bibliæ vulgatæ ſubjicitur interpretatio Hebraicorum, Chaldæorum, Græcorum nominum; ſed origines illæ certò dignoſci non poſſunt niſi nativis Characteribus deſcriptæ. Nam, ut obſervatum eſt, plures litteræ Hebraicæ, licèt figura & poteſtate multùm differant, non poſſunt tamen niſi iiſdem latinis litteris exprimi; ita ut uno & eodem nomine exponantur plura nomina Hebraica diverſæ ſignificationis. Quapropter neceſſe eſt ut quem juvat propiùs introſpicere origines de quibus eſt ſermo, deguſtet Hebraicam linguam. Tunc adeat apparatum Bibliorum regiorum Antuerpenſium, in quo eſt catalogus nominum propriorum cum eorum origine. Nomina autem illa propriis ſuis characteribus ſcripta ſunt, Hebraica Hebraicè, Græca Græcè; quin &

Hebraica etiam Græcè, quia Latinus interpres ſequitur LXX. Interpretes Græcos, efferens illa nomina Hebraica. Igitur abſolutiſſimus eſt ille dictus catalogus. Subtexam interpretationem quarumdam vocum Hebraicarum, quæ uſurpabantur in rebus ſacris, & ideò frequenter occurrunt in ſacro Codice.

Amen vox Hebraica eſt, quam Græci retinuere, reddentes ἀμὴν. Hebræis ſonat idem quod *verè, certè, profectò, conſtanter*. Particula eſt aſſeverantis, aſſentientis, confirmantis; quaſi dicas *firmum eſto, verè fiat, ſit ita, ita mihi contingat*. In novo Teſtamento notat aſſeverationem & atteſtationem, jurijurando ratione veritatis & firmitudinis æquipollentem; ut ſæpiùs apud Joannem *amen amen dico vobis*. In fine orationis vox concluſiva eſt, & claudit vel precationem, vel gratiarum actionem, aut votum, aut confeſſionem, & quamcumque orationem. Videtur propriè eſſe adverbium affirmandi ab *Aman* fidelis, verax fuit. Chriſtus Dominus ea voce & ea repetita ſæpè utitur pro certa aſſeveratione, fermè jurandi loco. Paulus 2. Corinth. cap. 1. v. 20. dicit promiſſiones Dei eſſe *Na* & *Amen*, id eſt, certas & veras: ναὶ Græcum & *amen* Hebraicum idem ſignificant; ideò interpres Latinus uno verbo *eſt* utramque vocem reddidit. LXX. Græci interpretantur quandoque *fiat*; ita ſignaculum eſt affirmationis ſimul & voti, ſive optantis.

Alleluia ſive potiùs *Halleluia* vox crebra in Pſalmis, quam vulgata Verſio ſæpè retinuit. Crebrò erat in ore Iſraelitarum, qui ſeſe ad laudandum Deum invicem excitabant. *Laudate Dominum*, quæ eſt ſignificatio *Halleluia*.

Cherubim Joſepho ſunt ignota animalia; nempe forma compoſita ex multis animalibus, quæ vix repræſentari poteſt. *Cherubim* juſſu Dei appoſuit Moyſes propitiaculo ſive operculo Arcæ; quaſi illa Arca fuiſſet cur-

ſet currus, qui Hebraicè dicitur *Recabh*, cum particula ſimilitudinis Hebraica *caph*; ut *Cherubim* eſſent quaſi currus ſive vehiculum. Cherubim formam deſcribit Ezechiel compoſitam ex quatuor formis. Pleriſque videntur Cherubim habuiſſe formam puerorum, & indè nomen; nam Chaldaicè *Rub* ſive *Ravia*, cum particula ſervili ſive ſimilitudinis caph, redditur *ſicut pueri*. Cherubini appellantur Angeli, quales fuere cuſtodes Paradiſi, poſtquàm ex eo ejectus eſt Adam prohibentes ne in illum regrederetur. *Ejecitque Adam* Deus, *& collocavit ante paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ* (*Gen. cap.* 3. *v.* 24.)

Gehenna componitur ex *Ghe* vallis & *Hennon* nomen proprium viri qui vallem illam occupabat, in qua idolum Moloch colebatur, & Iſraelitæ filios ſuos diis adolebant. Indè factum ut acciperetur pro loco cruciandis in æternum reprobis deſtinato, atque adeò pro ipſo ſupplicio & cruciatu quo afficiuntur cum Satana & angelis ipſius.

Hoſanna, Hebraicè *Hoſchiana*, id eſt, o Deus ſerva ſive fer opem: frequentata exclamatio in diebus lætitiæ, cum cuipiam ut novo regi omnia fauſta adprecarentur populi. In Pſalmo 117. occurrit; repetita à Judæis etiam nunc in feſto Tabernaculorum: undè & ramus quem manu præferunt, appellatur ab eis *Hoſanna*. In hujus feſti lætitia recordantur liberationis Iſrael per Meſſiam, pro quo Jeſum habuere eo die quo Hieroſolymam ingreſſus eſt, eum excipientes cum ramis & acclamatione Hoſannæ.

Meſſias nomen illud venit ab Hebræo *Maſchah*, *unxit*. Sic appellatur ab ipſis Judæis, quem uncti Reges & Sacerdotes in veteri Teſtamento repræſentarunt. Sic pronuntiant Judæi illud nomen ſæpiùs cum hac additione *Melech Hamaſhiach*, id eſt, rex Meſſias. Græcis verò & Latinis, eliſo per ſyncopem

elemento *chet*, & addito ſigma formativo nominis, dicitur Μεσσίας *Meſſias*. χριστὸς ſive *Chriſtus* à χρίω, itidem *ungere* ſignificante. Jeſus Dominus noſter, natus ex Maria Virgine, ſe multis argumentis probavit eſſe Meſſiam, quem promiſerat Deus.

Paſcha. Origo hujus nominis eſt *Paſach*, id eſt, *tranſivit*. Nomen Hebræum *Peſah* à quibuſdam, ut à Theodotione, ſic exprimitur φασὲχ; quos Latinus Interpres ſequens ſæpiùs vertit *Phaſe*. Syri & Chaldæi more ſuo addentes *aleph* vertunt *Piſcha* vel *Paſcha*; quos LXX. Interpretes Græci ſequuntur, quia Judæi ex Babylonia ſervitute redeuntes ſic loquebantur. *Paſcha*. ſonat Hebræis *tranſitus*. Nimirùm, ut alibi dictum eſt, feſtum erat ſive recordatio tranſitus Angeli, qui tranſiens per domos Ægypti, his ſolis pepercit, quæ reſperſæ fuerant ſanguine agnorum, quos mandaverat Deus occidendos; qui agni ideò dicebantur *Paſcha*.

Raca vox Syra eſt à Rech, id eſt, vacuus, inanis, cerebro vacuus, mente & judicio carens, ita vox erat convitii.

Sabaoth ſive *Tſebaoth* à verbo *Tſaba* quod eſt *militavit*. Nomen *Tſaba* ſignificat militiam, congregationem populi, exercitum; indè per metaphoram, quæ ſunt ordinata, ut cœli ſidera, tanto cum decore.

Sabbaton venit à *Sabath* quievit, ceſſavit, deſtitit, non ſic quidem ab omnibus operibus, ut poſtea nihil prorsùs agatur; Indicat tantùm quietem & ceſſationem ab illo opere, quod antea agebatur.

Sela eſt ſymbolum ſeu memoriale non modò pauſæ muſicæ, ſed & attentionis, appoſitum ad excitandam devotionem, in locis Pſalmorum, quæ præ cæteris meliùs eſſent decantanda.

Seraphim nomen illud ſignificat quod ignitum eſt. Iſaias hoc-ce nomine deſignavit Angelos, qui carbone igneo

ne igneo os ejus tetigerunt. Appellavit eos *Seraphim* propter illud opus; vel ab aſpectus ſplendore, quia apparebant igniti.

Teraphim ſunt imagines, ſimulacra, idola domeſtica, quæ Ethnici appellabant deos *penates*, qui ad tuendam amplificandamque rem domeſticam colebantur.

Tranſeamus ad voces Græcas, quæ quanquam publico noſtro uſu terantur in Gallia, tamen peregrinæ ſunt & nullius ſenſus his qui etymologias earum non poſſunt accerſere ex lingua Græca, ſi eam non percalleant. Prodeſt autem nullam vocem ore & aure uſurpate, quæ cum ſuo ſono non ſimul inferat menti claram notionem. Græcà lingua cæteris linguis in eo præſtat, quòd nomina ejus non temerè ſed cum induſtria cuſa ſint. Non, inquam, voces ejus ſigna ſunt rerum, ſolummodò quia ſic placuit; ſed cauſa apparet cur unam præ altera primi linguæ conditores vocem delegerint: quapropter Græca lingua facta eſt ſignificantior. In gratiam eorum qui non delibaverunt hanc-ce linguam, explicabo voces, quas in ſua peregrina veſte interpretes reliquerunt; in quo peccaverunt, ut apud Ezechielem in cap. 46. v. 14. *Et faciet ſacrificium ſuper eo cata mane mane ſextam partem ephi, & de oleo tertiam partem hin, ut miſceatur ſimila ſacrificium Domino legitimum, juge atque perpetuum.* Ibi vox *cata* præpoſitio eſt Græca κατὰ, id eſt, *ſecundùm.* Præcipitur ſacrificium ſecundùm *mane mane*, nimirùm ſingulis diebus mane. Voces Græcas quæ ſine interpretatione in Bibliis occurrunt, exponam ordine ſuo.

Abyſſus. Nomen illud ſignificat immenſum quoddam aquarum profundum & voraginem: eo in ſenſu accipitur à Judæis, qui Græcè Biblia interpretati ſunt. ἄβυσσος infinitæ profunditatis vorago, ex alpha privativo & βυσσὸς pro βυθὸς *fundum.*

Apo-

Ακροβυςία *præputium* ex ἄκρος *extremum* & βύω *tego*: nempe præputium pellis eſt, quæ extremam pudendi partem tegit.

Anathema à verbo derivatur quod ſignificat ſepararare, devovere. Vocabulum denotat id quod ab uſu hominum eſt ſegregatum, Deoque conſecratum, cum adjuncta execratione in illos qui in proprium uſum rem eſſent converſuri, ut iram Dei vindicem experiantur. Apoſtolus optabat anathema eſſe à Chriſto pro fratribus, hoc eſt, ſe devovebat ut in ſe venirent pœnæ omnes, quæ alioquin in caput fratrum ſuorum immitti potuiſſent à Deo.

Angelus. Vox Græca eſt, nuntius, à verbo ἀγγέλλω *nuntio*: Hebraicè *maleach*. Significat autem miniſtros potentum, præſertim ad perferenda mandata & expedienda aliqua longiùs à ſuo Domino remota negotia miſſos. Miniſtri Dei, ſive quos de cœlo mittit in terras, ſive quos in terris præficit ſacris rebus, appellantur Angeli, quibus utitur tum ad benefaciendum tum ad puniendum. Inter autem illos Angelos alii rebellaverunt in Deum, & facti ſunt mali: alii perſtiterunt parentes Dei mandatis & huic miniſtrantes.

Anti-Chriſtus. Vocula *anti* Græca eſt, & vulgò indicat oppoſitionem, contrarietatem; ita ut *antichriſtus* ille cenſeatur qui contrarium & ſe inimicum gerit adversùs Chriſtum; qualis iſte deſcribitur qui ante poſtremum Chriſti adventum excitabit in terris atrox bellum adversùs omnes qui Chriſtianas leges ſervabunt.

Apocalypſis eſt patefactio, revelatio occultarum rerum. Nomen illud proprium libro Scripturæ qui continet multas revelationes Joanni Apoſtolo patefactas.

Apoſtata ille eſt qui deficit à vera fide. *Apoſtaſia* Latinè eſt *defectio*.

Apoſtolus. Vocabulum illud Græcum in genere ſigni-

gnifi-

ſignificat legatum quemdam ſeu internuntium; miſſum ad peragenda negotia Eccleſiæ aut Reipublicæ. Athenienſibus uſitatum in hoc ſenſu nomen illud. Chriſtianis denotat extraordinarios illos miniſtros, immediatè ab ipſo Chriſto vocatos.

Archiſynagogus. Nomen illud compoſitum eſt ex *archi* princeps. Nempe *archiſynagogus* erat princeps Synagogæ, primarius vir, caput; Sic Angeli principes appellantur *Archangeli*.

Architriclinus eſt princeps triclinii ſive loci in quo apparabatur convivium.

Areopagus locus erat magni Athenienſium conſeſſus.

Azymus, id eſt, infermentatus ex *zumos* fermentum, & alpha privativo, ut loquuntur Græci grammatici, locum tenente præpoſitionis *abſque*.

Baptiſmus lotio eſt & mundatio, à verbo quod ſignificat tingere, immergere in aqua; & quia qui ex aquis emergunt, loti & candidi & mundi apparent, ideò baptiſmus ſumitur pro lotione & mundatione.

Bravium nomen illud Græcum ſignificat præmium quod datur certantibus ac vincentibus, qui dicuntur meruiſſe palmam.

Cataractæ ſunt in domibus aperturæ ſive feneſtræ, quibus apertis quæ ſuperiore in loco ſunt dejiciuntur, aut effunduntur deorſum. Indè Scriptura utens ſermone humano dicit Deum cataractas cœli aperuiſſe, cùm effudit aquas de cœlis in terras.

Catecheſis. *Catechiſmus*. Nomina Græca ſunt, quorum origo eſt verbum quod ſignificat vivà voce inſtituere, inſonare auribus, reſonare tanquam echo.

Catechumeni ſunt illi quibus viva voce traduntur prima fidei elementa.

Catholicus idem ſonat Græcis quod Latinis univerſalis.

Chri-

Chriſtus, id eſt, unctus. Ita idem qui Judæis dicebatur *Meſſias* à Græcis appellatur *Chriſtus*.

Clerus propriè ſors eſt, ſive portio quæ ſorte obtigit; indè & pro hæreditate ſumitur. Nomen illud tribuitur his qui quaſi ſorte Deo obtigerunt, facti ſunt portio ejus; ſive potiùs quorum Deus factus eſt portio, hæreditas.

Conopeum erat velum quodpiam quod Alexandrini obtendebant lectis ſuis, ut ſe ſe defenderent à culicibus; qui Græcè *conopes* dicuntur. In Ægypto propter ſtagna & lacus plurimi ſunt culices. Qui Græcè ſcripſerunt hiſtoriam Judith, forſan more patrio dixerunt Holofernem dormiiſſe in conopæo ſuo; quia ſic ſolerent reges Ægypti propter culices moleſtos.

Dæmon Græcè ſignificat eum qui multa ſcit; ita in bonam & malam partem ſumitur. Homerus omnes ſuos Deos vocat dæmones; indè nomen illud datum malis angelis, qui conabantur ſuffurari divinos honores.

Deuteronomium, id eſt, ſecunda lex. Nomen libri in quo Moyſes jam expoſitam legem Dei iterat, ſive ſecundò proponit.

Diabolus eſt *calumniator*, ſive falſus accuſator. Apud Græcos diabolus dicitur de homine ſummopere impio; indè hoc nomen accommodatum eſt peſſimo Angelo.

Diaconus à verbo quod ſignificat miniſtrare. Ita idem eſt quod miniſter.

Diadema propriè ſignificat ſpiram contortam circa caput, qua contenti erant antiqui reges.

Eccleſia. Nomen illud apud Græcos uſurpabatur de hominum multitudine, quæ juſſu magiſtratus conveniebat vocata; indè cœtus ille univerſus ad vitam æternam vocatus nomen ſuum habet.

Eccleſiaſtes ille eſt qui in Eccleſia concionem habet ad populum.

Enca-

Encænia venit à verbo Græco quod propriè ſignificat innovare; quo verbo Græci Scripturarum Interpretes reddunt verbum Hebræum *chanak*, quod de quavis dedicatione, ſive prima, ſive inſtaurata uſurpatur.

Epiſcopus idem ſonat Græcis quod Latinis inſpector, qui ſuperintendit, ſupervigilat.

Ethnicus idem eſt quod Gentilis. Judæi ſolebant ſe dicere populum Dei; alios omnes appellabant *Goim*, id eſt Gentes; inde Gentiles, Græcè *Ethnici*. Hoc nomine appellati ſunt qui colebant idola, & ignorabant verum Deum, quippe qui in ſola Judæa notus erat.

Evangelium eſt lætum, felix, fauſtum nuntium; quale fuit illud quo nuntiavere Angeli natum eſſe JESUM CHRISTUM mundi ſervatorem.

Euchariſtia, id eſt, *gratiarum actio*.

Exodus eſt exitus. Hoc-ce nomine liber ſecundus Moyſis dictus eſt *Exodus*, quia ipſius prima materia eſt exitus Iſrael ex Ægypto.

Gazophylacium erat propriè locus in quo ſervabatur *gaza* ſive theſaurus Templi, à verbo Græco φυλάσσω cuſtodio, ſervo. Hoc etiam nomine appellabatur arca in quam dona mittebantur.

Genealogia ſermo eſt quo recenſentur & enumerantur majores, à quibus quiſpiam genus ſuum ducit.

Hæreſis. Ab initio nomen illud denotabat generaliter quamcumque opinionem ſive bonam ſive malam, quam quis ſequi eligeret. *Hæreſis* idem ſonabat ac *ſecta*. Poſtquam verò Apoſtoli formam doctrinæ tradiderunt, quam omnes qui Chriſto dabant nomen, amplexabantur; qui aliam doctrinam elegerunt, *hæretici* appellati ſunt, in diſcrimen eorum qui quod ſibi traditum erat ſive traditione erat inſtillatum tenebant. Indè nomen hæreſis ſumptum fuit in malam par-

partem, non tantùm pro ſecta, ſed pro rebellione adversùs Chriſti Eccleſiam.

Holocauſtum venit ex ὅλον omne & καίω *uro.* Nempe erat ſacrificium in quo tota victima Deo adolebatur: Hoc tamen nomine appellantur quædam ſacrificia, quibus pars victimæ cedebat miniſtris.

Idolum propriè *ſimulacrum* eſt ſive *imago;* ſed uſu tributum eſt illud nomen ſtatuis falſorum deorum, qui & ipſi dicuntur *idola*, quia nihil ſint quàm ſimulacrum aureum, argenteum, lapideum, ligneum. Non ſunt aliud quidquam. Ideò cùm nomen illud idolum ſumitur pro ipſo falſo Deo quod dicitur repræſentare, jure in Scriptura idola dicuntur nihilum. Deus unus & verus cenſetur eſſe: Dii Gentium non ſunt. Eo ſenſu ſcribebat Paulus: *Scimus quia idolum nihil eſt in mundo.* Ex idolo derivantur illa nomina, *idololatria*, id eſt, idolorum cultus: *idololatra*, qui colunt idola. *idolothyta*; Sic nominabantur carnes victimarum, quæ idolis mactabantur.

Iota nomen eſt litteræ Græci alphabeti, quæ exprimit litteram quam Hebræi appellant *jod*, quæ omnium minima, & quaſi dimidiata littera eſt. Ergo cùm dicit Dominus apud Matthæum (*cap.* 5. *v.* 18.) *Donec tranſeat cælum & terra, jota unum aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant*, alludebat ad jod Hebræum; quaſi diceret: nec dimidiata littera omittetur quin impleatur quod Scriptura prænuntiavit, ἢ μία κεραία *aut unus apex.* Intelligenda ſunt illa cornicula, apices, quibus litteræ Hebræorum diſtinguuntur; puta *daleth* ד & *reſch*, ר *nun* נ & *ghimel.* ג Sed quid ſint illa κεραία *illi apices*, viri docti diſputant. Sunt qui interpretantur *lineolas*, *inciſuras*: alii quædam ornamenta, quæ litteris ſcribæ appingebant.

Laici. λαὸς populus. Ita panes *laici* ſunt panes promiſcui, quos populo licebat edere.

Mar-

Martyr ſonat Græcis teſtis. Nomen illud dicitur de illo qui Chriſti doctrinam ſuo teſtimonio confirmavit, non oris modò confeſſione, ſed etiam ſuo ſanguine. Nemo velit mortem ſubire pro doctrina quam putaret falſam; ita Martyres veram credebant Chriſtianam doctrinam, quam ſuo ſignabant ſanguine.

Myſterium μυστήριον. Vox illa venit à verbo μύω claudo, occludo, comprimo. Myſteria ſunt res occultæ, quales ſunt ſacræ, & quæ non enuntiabantur in vulgus.

Neophytus νεόφυτος, nova planta. Ii dicebantur neophyti, qui quaſi recens plantati in Eccleſia erant; ideò nondum benè edocti omnem doctrinam.

Paradiſus Græcis eſt ſeptum, in quo voluptatis cauſa tum plantæ excoluntur, tum etiam vivæ feræ paſcuntur; nempe voluptuarii horti: quo ergo nomine Græci Interpretes vocarunt illum hortum in Eden plantatum, in quo locatus fuerat Adam ante peccatum. Factum indè ut beata illa gloriæ Dei ſedes hoc nomine appellata ſit.

Paraſceve eſt præparatio: nomen certi diei, nempe anteſabbati, quo edulia coquebantur & apparabantur ex lege.

Pentateuchus. Eo nomine quinque libri Moyſis appellantur ex *pente* quinque & *teuchos* volumen; ut Pentateuchus ſit quintuplex volumen, ſive conſtans quinque libris.

Pentecoſte eſt quinquageſima dies, quæ numerabatur à poſtridie Paſchatis; quæ quinquageſima dies erat feſtum ſolemne ab iſto numero quinquaginta dierum nomen accipiens; Latinè dici poſſet *quinquageſima*.

Peripſema. Nomen illud Græcum propriè denotat ſordes, ramentum, pulverem qui detergitur; ſed & apud Græcos piaculum erat; nimirum ille peri-

pſema

pſema dicebatur qui in piaculum addicebatur morti, immolabatur, dejiciebatur ex prærupto loco. Apoſtolus ſe dicit *Peripſema*, hoc eſt, ſe æquè contemptum & infenſum populo ac qui morti addicebantur, immolabantur per modum publicæ expiationis.

Phylacteria Græcè ſonant conſervatoria. Membranulæ erant, in quibus ſervabantur quædam verba legis. De his-ce phylacteriis copioſum fecimus ſermonem.

Presbyter πρεσβύτερος, id eſt, ſenior: eſt nomen quod tribuitur miniſtris Eccleſiæ, ſive quia olim miniſtri Eccleſiæ, plerumque, deligebantur, qui jam eſſent grandioris ætatis, ſive potiùs quia miniſtri Eccleſiæ moribus ſenes referre debent, iiſque honor debet tribui, ut ſolet tribui ſenibus. Eſt igitur nomen non ætatis, ſed officii & dignitatis.

Propheta, id eſt, *qui ante dicit*, nempe qui prædicit res futuras. Ea eſt vocis Græcæ ſignificatio; ſed Hebræis Græcè loquentibus idem ſonabat quod Latinis doctor, litteratus, etiam poeta; undè Paulus ſcribens ad Titum (*cap.* 1. *v.* 12.) de poeta Græco, qui dixerat Cretenſes mendaces eſſe, hac voce utitur *dixit quidam ex illis proprius ipſorum propheta*. Prophetæ nominantur, qui pſalmos, hymnos pangebant.

Proſelytus. Hoc-ce Græco vocabulo nuncupabantur qui relicta patria & ſuperſtitione; Judaiſmum erant amplexi; quaſi adventitios dicas. *Proſelytus* idem ſonat quod *advena*.

Pſeudo vox eſt Græca idem ſonans quod fallax ;. falſus. *Pſeudo-Apoſtoli*, id eſt, falſi Apoſtoli, ſive falſi doctores. *Pſeudo-Chriſti*, id eſt, falſi Chriſti. *Pſeudo propheta*, id eſt, falſi prophetæ.

Pythoniſſa, Mulier habens ſpiritum Pythonis, nempe hujus dæmonis qui ſub nomine Pithonis celebratur.

tur. Appellabatur Apollo Deus *Pytho*, quòd Pythium ſerpentem interfeciſſet. Sed hoc nomen veriùs deducitur à voce quæ & *ſerpentem* & *magum* ſignificat. *Nachaſch* Hebræis eſt augurari, conjectare; unde mulier quæ conjectationem, augurium, incantationem, magiam exercebat, dicitur *Pythoniſſa*.

Schiſma & ſchiſmatici à verbo quod ſignificat *ſciſſionem*. Schiſmatici ſunt qui ſe ſcindunt à cœtu fidelium.

Synagoga ſonat congregationem & cœtum, & congregationis locum, in quem conveniebant Judæi ad audiendum verbum Dei, à *ſynago*, quod eſt congrego.

Synedrium conſeſſus, ex illis duabus vocibus *ſyn* cum, & *edra* ſella, ſeſſio, ſedes. Propriè conſeſſus erat Judicum, ſive locus ubi illi conveniebant. De Judæorum Synedrio ſermonem fecimus cùm de Magiſtratibus loqueremur; & vidimus majoris ſynedrii locum fuiſſe in Templo.

Tetrarchia eſt quarta pars alicujus principatus, ut Tetrarcha eſſet penes quem eſſet quarta portio; ſed videtur fuiſſe potiùs quaſi dignitas, quæ eſſet in quarto gradu, Rege & Ethnarca inferior, ſed toparcha ſuperior.

Obſervandum eſt in ſacro Codice novi Teſtamenti quandoque adjungi interpretationem Græcam nominis Hebræi; ſic ubi nominatur *Thomas*, additur qui & Didymus dicebatur: nempe Thomas ſonabat Hebræis quod Græcis δίδυμος *didymus*, id eſt, gemellus. Sic idem Apoſtolus, qui *Cephas*, & dicitur *Petrus*; quo nomine ſignificatur Hebraicè & Græcè petra. Sic eadem mulier nominatur *Tabitha* & *Dorcas*, id eſt, Hebraicè & Græcè capra. Sic idem homo dicitur *Elymas* & *magus*: primum nomen Hebræum eſt, ſecundum eſt Græcum.

CAPUT IX.

De partitione Codicis ſacri, qua integer ex ordine legi poſſit ſpatio annuo.

VIro qui occupatur circa lautioris convivii apparatum, vix huic interdum vacat quidpiam ex hoc convivio deguſtare: melior eſt ſanè conditio eorum qui ad dapes paratas advocantur. Id mihi ex parte contigit; dum enim totus ſum in inſtruendo copioſo Apparatu, in conquirendis, in evolvendis, in exſcribendis libris, interea multùm temporis abiit, quod alii uberiori fructu, & ſuavibus magis deliciis impenderunt ſoli Codici ſacro. Verum neceſſe erat ab aliquo frangi nucem, ut omnes manderent nucleum, nempe quod tenerum in nuce includitur. Nam, ut ſpero, jam erit intellectu facilior Scriptura, & ideò lectu jucundior. Sumatur ergo in manus nunquam deponenda. Cùm ſemel percepta erit ejus ſuavitas, quiſpiam non ſinat lectionem ejus ullis terminis coerceri. Attamen quoniam omnia ex ordine fieri debent, & viris piis conſuetum ſit, ut ſe aſtringant certis Scripturarum particulis qualibet die perlegendis antequam operi coronidem apponam, quæram quis lectionis ſacræ ordo ſit ſanctior & idoneus magis ut totus codex Scripturarum intra annum evolvatur.

Ante omnia animadvertendum, quòd licèt omnis Scriptura divinitùs inſpirata ſit; ſicut in Templo ſancto erant receſſus, alii aliis ſanctiores, ita ſacrum Codicem habere quaſdam partes ſanctiores, quas qui frequentant id eſt, qui ſæpius perlegunt, ſanctiores ſiunt. Partem ſanctiſſimam Scripturarum reputo Evangelium, quo continentur verba Chriſti, & ſumma doctrinæ ejus, deinde libros Pſalmorum. Quotidiè vaca-

vacamus operibus, de quibus ſermo Evangelii, ut ſummus Magiſter præmonuit, judicabit. Ergo opera noſtra quotidie componenda cum Evangelio, ne imprudenter declinando aberremus. Artifex ſemper præ manibus habet normam qua opus dirigit. Singulis, inquam, diebus legendum Evangelium, ne ulla pars anni illo vacet, hoc eſt, ne ullum opus noſtrum diſtortum ſit.

Pariter in omnium ore Pſalmi verſari debent. Homo Deo colendo factus eſt. Ab eo creatus, ſanguine ejus emptus totum huic ſe debet. Non totum autem ſe redderet Deo, ſi vel unum diem elabi pateretur, in quo debitum cultum non ei perſolveret. Nullus cultus præſtantior eſt oratione; ſi tamen excipias ſacrificium, quo Chriſtus victima Patri offertur. Etenim oratio eſt colloquium cum Deo, quod fit, aut cùm Deum laudamus intuentes mirabilia opera ejus, aut preſſi inopia & deficientes viribus, opem ejus imploramus. Pauci ſunt qui norint Deum compellare aptis laudibus & votis. *Nam quid oremus ſicut oportet neſcimus; ſpiritus adjuvat infirmitatem noſtram*. Scilicet Spiritus Dei implevit mentem David, & movit linguam ejus, ut laudes Dei aptè concineret ab omnibus decantandas, & oraret Deum eo modo quo exorandus eſt.

Pſalmi ergo ſunt Dei encomia. Deus ubique Pſaltæ menti obverſatur cum virtutibus ſuis, magnificentia, poteſtate, ſanctitate, majeſtate. Pſaltes laudat Deum ab operibus ſuis, à condito mundo, à cœlorum ornatu, à ſplendore & motu ſolis, lunæ, & ſiderum, à ventorum vi, à tonitru, à procellis, à glacie, frigore, & calore. Prædicat Deum mundi opificem, rectorem, vindicem ſcelerum, remuneratorem bonorum. Enumerat beneficia ejus, quæ olim contulit, quæ confert qualibet die: quæ mirabilia fecit in terra, in mari: potiſſimum aſtruendo in libertatem Iſraelitas; & id

decore poetico, quo non vincitur à Græcis Latinis-ve poetis. Iſraelitarum hiſtoriam ſic texit, ut in ea appareant typi Meſſiæ. Quin & prophetam ejus agit; quaſi enim præſens mortem crucis deſcribit, ut carmina ejus non magis veteribus Iſraelitis quam nobis Chriſtianis, non minùs Eccleſiæ quam Synagogæ conveniant, ſuo legitimo ſenſu accepta.

Quæ ergo laudatio dignior Deo, quàm ipſæ laudes quibus ipſe laudari voluit à ſuo Pſalmiſta? ſive quis poſſit digniùs Deum laudare, quàm recitando laudes Dei, Deo inſpirante compoſitas, & animum occupando vivis illis imaginibus omnium Dei virtutum & operum, quas Pſalmi ingerunt? Nec poſſunt aliæ orationes cogitari, veniæ obtinendæ, impetrando auxilio magis idoneæ. Exoramus, cùm auxilio nos indigere, tum & quem advocamus auxiliaturum, id poſſe ſignificamus. Qui, inquam, miſerum ſe fatetur coram Deo, cui ſupplex procumbit, movet ad miſericordiam. An ullibi homo magis exhibetur miſer & auxilio indigus, quam in Pſalmis? An aliquis eſt ad Deum aditus, ut flecti poſſit impervius Pſaltæ? *propter nomen tuum propitiaberis peccato meo*, canit ille Deum compellans. Scilicet ſe indignum reputat qui adjuvetur; & ideò adjutorium Dei magis potentiam ſuam & miſericordiam indicabit impiis, qui bonis illudebant quos putabant à Deo deſertos. *Propter gloriam nominis tui Domine libera nos; & propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum: ne fortè dicant in Gentibus, ubi eſt Deus eorum, &c.* (*Pſalm.* 78.)

Gentes Iſraelitis infenſæ typos gerebant dæmonum & peccatorum, quibuſcum bella gerenda ſunt nobis. Adversùs hos hoſtes egemus auxilio diurno, ſed & indulgentia, qui quotidie peccemus. Olim manibus Dei flagella excuſſerunt, qui de pœnitentia inſcribuntur Pſalmi hodie non minùs efficaces. Itaque non

ſolum

ſolum in hebdomade, qui fuit mos Eccleſiæ à primis temporibus, integrum Pſalterium eſſet recitandum; ſed ſingulis diebus ædes publicæ & privatæ, plateæ, urbes, campi à ſummo mane ad noctem, quin & nocte perſonare deberent divinis Pſalmis.

Igitur quatuor Evangelia & Pſalmorum libri demi debent de numero librorum, qui certis anni diebus legi debent: quo ordine, quærimus hoc-ce capite, ſive potiùs exponimus ordinem quem vir pius & eruditus ſequendum propoſuit. Modò meliores horæ collocentur in lectione ſacra, videtur non omninò referre, qui libri his vel illis temporibus perlegantur. Sunt qui, quantùm licèt à negotiis, certam partem diei Bibliis impendunt, nulla alia lege aſtricti, niſi ut poſteaquam incæptum curſum emenſi ſunt, novum ineant, quem annuo curriculo abſolvere conantur. Verùm cùm omnium Chriſtianorum cor unum eſſe debeat & una anima; & quæ fiunt à publico cœtu orationes, ſint quaſi facta conjuratio, qua vincitur Deus, ut votis annuat; quæ vis illi grata eſt, ut ait Tertullianus; decet nos, ſi id fieri poteſt, omnes iiſdem diebus eadem legere & orare.

Ex quo in cœtum coaluere Iſraelitæ, legem quæ illis data eſt, ex ordine legerunt in ſabbatis (*Act. cap.* 15. *verſ.* 21.) *Moyſes enim à temporibus habet in ſingulis civitatibus, qui eum prædicent in Synagogis, ubi per omne Sabbatum legitur*. In Kalendario Hebræorum quod ſupra propoſuimus, videre eſt quam partem Bibliorum legerent quoquo Sabbato. Diximus in hunc-ce finem Biblia Hebraica diviſa eſſe in diverſas ſectiones. Eccleſia ea in re Synagogam imitari ſtuduit. Olim de ipſo Codice Libri ſacri legebantur; nondum illi contracti, & quaſi mutilati, quales ſunt in Breviario. Integer, inquam, Bibliorum codex legebatur ſine ullius partis prætermiſſione. Nunc enim ſoli, ut ita dicam, quorumdam librorum tituli de-

libantur; quaſi ſufficeret totum Codicem perſtringere.

Quo revocetur antiqua illa conſuetudo annuo ſpatio evolvendi ſacrum Codicem, ſimul ut lectiones privatæ cum publicis Eccleſiæ conſentiant, vir pietate & doctrina inſignis novam Bibliorum diſpoſitionem propoſuerat in libello eleganti, quem Gallicè edidit anno 1669, typis Caroli Savreux. In hac nova diſpoſitione lectio privata cum publica lectione congruit, quantum fieri poterat. Proviſum autem eſt, ne quæpiam lectio oneri ſit; quia præ cæteris longior. Quin & diebus ſolemnibus nulla proponitur, quia tempus non vacat, ob publicas preces & conciones, quibus neceſſe eſt intereſſe. Nihilominùs tota Scriptura legitur, niſi quod quædam genealogiæ & enumerationes omitti poſſunt. Ut autem quiſquis uti poſſit illa nova diſpoſitione, primùm docendus eſt quædam ſpectantia formam anni civilis & Eccleſiaſtici. Auctor rem ab initio ſumit: ego verò paucis expediam; quia jam in majorem molem, quàm par erat, opus crevit.

Quemadmodum annus civilis conſtat certo dierum numero; ita Eccleſiaſticus hebdomadarum. Utque civilis eo anno qui biſſextilis appellatur, una die creſcit; ita quandoque Eccleſiaſticus una hebdomada; habet enim, ut plurimum, quinquaginta duas hebdomadas, aliquando quinquaginta tres. Civilis inchoatur prima die Januarii; Eccleſiaſticus dominica illa, quæ dicitur prima Adventus, ſemper proximior feſto Sancti Andreæ, quod incidit in dem trigeſimam Novembris. Ita Dominica prima Adventus nunquam inchoatur ante vigeſimam ſeptimam diem Novembris, nec poſt tertiam diem Decembris.

Quæ cùm ita ſint, quolibet anno facile eſt deprehendere initium anni Eccleſiaſtici. Cætera vero quæ ad annum Eccleſiaſticum pertinent, pendent ex die quo ſanctum Paſcha celebrandum eſt. Dies ille Paſcha-

chalis eſt Dominica, quæ prima contigit poſt decimam quartam diem lunæ, quam diem præcedit æquinoctium vernum, quatenus illud fixum eſt ab Eccleſia in die vigeſima prima Martii. Ita dies Paſchatis definiri non poteſt niſi à viris non imperitis Aſtronomiæ; ſed illa dies notatur in publicis Ephemeridibus, & in ordine recitandi Breviarii. Omnibus Breviariis præponuntur tabulæ, in quibus reperire eſt illum diem. Has tabulas ad calcem operis apponendas curavimus. Ubi notum eſt feſtum Paſchatis, cætera nota ſunt. Quinquageſimo enim die poſt Dominicam Paſchatis, agitur dies Penteeoſtes, qui pariter Dominicus eſt. Ab hoc feſto ad Dominicam primam Adventus ſaltem intercurrunt viginti quatuor dies Dominicales; quandoque enim augetur ille numerus. Etenim cùm Paſcha non iiſdem diebus recurrat; nunc in menſe Martio; nunc in Aprili celebretur, quia, ut dixi, id fieri debet Dominica die, quæ ſequitur decimam quartam diem lunæ, ſive poſt plenilunium illud quod proximè contingit poſt æquinoctium vernum: plenilunium autem illud, non iiſdem diebus fit per ſingulos annos; ergo cùm Paſcha citiùs occurrit, plures hebdomadæ inter Pentecoſtem & feſtum ſancti Andreæ interlabuntur.

Licèt Adventus non ſemper conſtet quatuor integris hebdomadibus, habet tamen quatuor Dominicas. Dies verò pœnitentiæ dicati in officio Eccleſiaſtico, ſunt ſeptem hebdomadarum, quæ finiuntur ante Dominicam Paſſionis. Harum hebdomadarum prima dicitur Septuageſima; quæ ſequitur, Sexageſima; deinde ex ordine Quinquageſima; poſt, Quadrageſima. Tempus autem quod interfluit inter Adventum & Septuageſimam, modò longius eſt, modò brevius, prout Paſcha ſeriùs ocyùs venit. Sed tempus illud non eſt infra tres Dominicas: ſicut plures quàm ſeptem Dominicas habere non poteſt. Ita ſpatium quod

elabitur à Pentecoſte ad Adventum, non excedit numerum viginti octo Dominicarum.

Quatuor autem Dominicæ Adventus, tres quæ ſemper occurrunt inter Adventum & Septuageſimam, ſeptem à Septuageſima ad Dominicam primam Paſſionis, duæ Dominicæ Paſſionis cum Paſchate, ſex aliæ poſt Paſcha uſque ad Pentecoſtem, & ipſa Pentecoſte, & viginti tres poſt Pentecoſtem: dicam poſteà cur ibi viginti trium Dominicarum mentionem faciam. Hæ, inquam, omnes Dominicæ efficiunt quadraginta ſeptem hebdomadas, quæ ideò fixæ dici poſſunt, quia ſemper eodem ordine ſe ſubſequuntur.

Quinque autem quæ ſuperſunt, annus enim Eccleſiaſticus habet, ut minimùm, quinquaginta duas hebdomadas, modò Adventum præcedunt, modò ſubſequuntur; ideò illæ Hebdomadæ dicuntur *errantes*. Modò ante Adventum numerantur tantummodo viginti quatuor Dominicæ, modò viginti octo; ſicut ante Septuageſimam ab Adventu modo tres, modò ſeptem.

Sola ergo difficultas in diſtribuendo ſacro Codice cuique parti anni Eccleſiaſtici, oritur ex feſtis quæ mobilia appellari ſolent, quia moventur loco, ſive non ſtant in iiſdem locis. Verùm huc redit iſta difficultas, ut lectiones quæ aſſignantur hebdomadibus erraticis, fiant vel poſt Adventum, vel ante Adventum, poſt Dominicam vigeſimam tertiam poſt Pentecoſtem. Dico poſt vigeſimam tertiam Dominicam, non poſt Dominicam vigeſimam quartam, cujus lectiones ſemper poſtremam hebdomadam occupant harum quæ à Pentecoſte ad Adventum labuntur. Ordo quem hic exponimus, multùm ſimplicior eſt illo ordine quem tenet Breviarium, in quo dum cuique Dominicæ harum quæ Pentecoſtem ſequuntur, & Adventum antecedunt, lectiones proprias aſſignat, non omnes illæ Dominicæ numerantur à Pentecoſte, ſed novus ſingulis menſibus numerus initur, cujus prima

cenſe-

cenſetur Dominica quæ proximior eſt Kalendis menſis præſentis: cùm autem juxta hanc regulam menſes quandoque quinque Dominicas habeant quandoque tantùm quatuor Dominicas, fit ut integri libri certis annis non legantur, quibus menſes carent ea Dominica, cui hi libri tribuebantur.

Ne hoc contingeret, viginti tribus Dominicis poſt Pentecoſtem aſſignantur propriæ lectiones, nulla menſium habita ratione. Et cùm Dominicæ plures ſunt, ſive plures quam viginti tres hebdomades, tunc addendæ, quas erraticæ habent lectiones. A prima Dominica Adventus annus Eccleſiaſticus inchoatur. Adventus habet quatuor Dominicas, licèt non conſtet quatuor hebdomadibus ſemper integris. Dies Dominica, quæ incidit in Octavam natalitiam Domini, appellatur Dominica natalitiorum. Omnibus annis ſemper tres dies Dominicæ poſt Dominicam illam Natalitiorum intercurrunt uſque ad Septuageſimam. Quæ plures Dominicæ ſive hebdomades certis annis recurrunt in hoc intervallo, accenſentur erraticis, quas quinque numeramus. Ergo cùm advenit Septuageſima, antequam omnes hebdomades erraticæ intercurrerint, quæ lectiones illis tribuuntur, nec hoc tempore leguntur, in aliud tempus differuntur, nempe poſt elapſam vigeſimam tertiam hebdomadam a Pentecoſte; eodem enim hebdomadarum numero creſcit illud intervallum, quo minuitur illud quod præcedit Septuageſimam.

Hæc annos ordinarios ſpectant. Vidimus annum Eccleſiaſticum interdum creſcere una hebdomade; hoc contingit quolibet quinto vel ſexto anno. Hæc hebdomas, quæ anni quinquageſima tertia dici poteſt, ſemper reputatur poſtrema occurrere; ita lectiones ejus hebdomadis extraordinariæ fieri debent ante Dominicam primam Adventus. Habet lectiones quidem proprias, ſed ex his-ce libris qui jam lecti ſunt; alioquin enim ſingulis annis tota Biblia non legerentur.

Ite-

Iterùm dicam, ne cui obſcura ſint quæ dicta ſunt, cùm poſt vigeſimam tertiam Dominicam poſt Pentecoſtem, plures hebdomadæ ſuperſunt uſque ad primam Adventus, accerſendæ totidem numero ſunt ex erraticis, ut impleatur ſpatium illud vacuum. Sic unus labor erit ſingulis annis ad lectiones ſacras aptè diſponendas, advertere numerum hebdomadarum erraticarum, ſive quæ poſt Dominicam tertiam Dominicarum menſis Januarii uſque ad ſeptuageſimam occurrunt; nam tres Dominicæ primæ quæ in menſe Januario contingunt, pro fixis habendæ. Tres illæ, inquam, Dominicæ ſemper præcedunt Dominicam quæ Septuageſima appellatur. Si duæ, verbi cauſa, tunc intercurrant hebdomades ex quinque erraticis; ergo poſt vigeſimam tertiam Dominicam à Pentecoſte, adjungendæ erunt tres reliquæ ex erraticis; ſive lectiones aſſumendæ erunt ex illis erraticis, niſi inſuper adjungenda quæ extraordinaria eſt hebdomas.

Plura dicere non opus eſt; etenim qui intelligere non poſſunt hæc quæ dicta ſunt, fuſiori ſermone potiùs turbarentur. Viva voce ſe tradant docendos his, qui in ſimilibus doctrinis percipiendis magis exercitati ſunt. Pius & eruditus auctor diſpoſitionis hujus quam exponimus rationem reddit, cur hanc aut alteram partem Scripturarum certis temporibus adſcribens, diverſos libros ſimul conjungat. Eccleſia tempore Adventùs proponit Iſaiam legendum, qui vaticiniis ſuis Adventum Chriſti celebravit. Deinde B. Paulum, cujus lectio in ea diſpoſitione incipit quarta Dominica Adventus. Connectit auctor cum Paulo librum Levitici, qui in Breviario Romano non legitur. Agit ille liber de ſacrificiis, quæ omnia typi fuere hujus in quod offerendum natus eſt Chriſtus. Hæc legi poſſunt in auctore circa novam ſuam ſacratum lectionum diſpoſitionem. Etiamſi non ille evincat aliam diſpoſitionem haud poſſe excogitari meliorem, attamen certum

certum

tum eſt quam proponit multa ſapientia doctrina, & pietate fuiſſe digeſtam. Non opus eſt ut ultra morer ſtudioſum lectorem; qui hactenus manu deductus ſacrum Codicem legendum ſumere in manu expetit. Ita finem dicendi faciam, cùm paucis docuero uſum ſequentium tabularum.

Supra quamque columnam harum tabularum cernere eſt anni tempora; & in margine columnæ Dominicas dies, & ex ordine ferias hebdomadis. In ipſa columna, è regione Dominicæ & feriarum ſubſequentium, diſpoſiti ſunt numeri, qui indicant quæ particulæ libri, cujus præfertur titulus, tunc legendæ ſint. Si verò occurrat ſub illis numeris, alios numeros minori charactere ſubnotari, quorum alter ſuperior, alter inferior eſt, & characteres inferioris numeri diſtinguuntur linea interpoſita; quales hi numeri 38. intelligendum eſt quod in trigeſimo octavo 9-21. capite à verſu nono tranſitur ad vigeſimum primum, mediis, ut lubet, prætermiſſis aut curſim perlectis. Si tales numeri plures ſuperponantur, ut in hoc caſu 36
quæ his-ce numeris velut parentheſi includuntur, 0-6
eſſe prætermittenda, cætera verò perlegenda. Ze- 9-0
ro autem poſitum ante lineam docet initia capitis prætermittenda, & illud inchoari à verſu quem ſubſequens numerus notat: exempli cauſa 0-27. inchoandum eſſe caput à 27. verſu: contra verò ſi zero ſubſequatur lineam 23-0. docet finiendum caput in 23. verſu.

In ordine numerorum quorum forma major, & quibus capita indicantur, cùm zero occurrit ſine ullo alio charactere, ſignum eſt aut prætermitti capita quæ non indicantur, verbi cauſa, caput duodecimum Iſaiæ, quod non legitur, qui canticum continet, quod feria ſecunda in laudibus canitur; aut hac-ce die de hoc-ce libro ſub quo zero ponitur, nullam partem legi.

F I N I S.

TA-

TABULÆ

In quibus exhibetur nova Codicis Sacri diſpoſitio.

Tempore Adventus.

		Iſaias.			Iſaias.	
I.			III.			
Domin.	I.	Cap. 1. 2. 3.	Domin.	I.	Cap. 45. 46. 47.	
Feria.	II.	4. 5. 6. 7.	Fer.	II.	48. 49. 50.	
	III.	8. 9. 10.		III.	51. 52. 53. 54.	
	IV.	11. 0. 13. 14.		IV.	55. 56. 57.	
	V.	15. 16. 17. 18.		V.	58. 59. 60.	
	VI.	19. 20. 21.		VI.	61. 62. 63.	
	Sab.	22. 23. 24.		Sab.	64. 65. 66.	
II.			IV.		S. Pau. Rom.	Levit.
Domin.	I.	25. 26. 27.	Domin.	I.	Cap. 1. 2.	Cap. 1.
Fer.	II.	28. 29.	Fer.	II.	3. 4.	2.
	III.	30. 31. 32.		III.	5. 6.	3
	IV.	33. 34. 35.		IV.	7. 8.	4
	V.	36. 37. 38.		V.	9. 10.	5.
		9. 21.		VI.	11. 12.	6.
	VI.	39. 40. 41.		Sab.	in die natali interpellatur divina, & conſueta Lectio; qui dies ſi ante hoc ſabbatum cõtingat, præcedentes Lectiones moventur ſuo loco, ut illud impleant. Si ſubſequens Dominica ſit dies natalis, Lectio quæ huic Dominicæ propria eſt, fit in eo Sabbato.	
	Sab.	42. 43. 44.				

Tempore Nativitatis.		ad Rom.	Lev.
1. Dom. Nativ.	I.	C. 13. 14.	C. 7.
Fer.	II.	15. 16.	8.
		1. Corin.	
	III.	1. 2.	9.
	IV.	3. 4.	10.
	V.	5. 6.	11.
	VI.	7. 8.	12.
	Sab.	9. 10.	13.
2. Dom. 1. Anni Civilis.	I.	11. 12.	14.
Fer.	II.	13. 14.	15.
	III.	15. 16.	16.
		2. Corinth.	
	IV.	1. 2.	17.
	V.	3. 4.	18.
	VI.	5. 6. 7.	19.
	Sab.	8. 9.	20.
3. Dom. 2. Anni Civilis.	I.	10. 11.	21.
Fer.	II.	12. 13.	22.
		ad Galat.	
	III.	1. 2. 3.	23.
	IV.	4. 5. 6.	24.
		ad Eph.	
	V.	1. 2.	25.
	VI.	3. 4.	26.
	Sab.	5. 6.	27.

Hebdomades erraticæ.			ad Philip.	Tobias.
1. Hebdomas.	Domin.	I.	cap. 1.	cap. 1. 2
	Fer.	II.	2.	3. 4.
		III.	3.	5. 6.
		IV.	4.	7. 8.
			ad Coloss.	
		V.	1.	9. 10.
		VI.	2.	11. 12.
		Sab.	3. 4.	13.
			1. Thes.	Judith.
2. Hebdomas.	Domin.	I.	ca. 1. 2.	ca. 1. 2.
	Fer.	II.	3.	3. 4.
		III.	4.	5. 6.
		IV.	5.	7. 8.
			2. Thes.	
		V.	1.	9. 10. 11.
		VI.	2.	12. 13.
		Sab.	3.	14. 15.
			1. Tim.	Esther.
3. Hebdomas.	Domin.	I.	cap. 1.	c. 1. 2.
	Fer.	II.	o.	3. 4. 5.
		III.	2.	6. 7.
		IV.	3.	8. 9.
		V.	4.	10. 11. 12.
		VI.	5.	13. 14.
		Sab.	6.	15. 16.

Hebdomades erraticæ.

		2.Tim.	Oſeas.
Domin.	I.	cap. 1.	ca. 1.2.
Fer.	I I.	2.	3.4.
	III.	3.	5. 6.
	I V.	4.	7. 8.
4. Hebdomas.		ad Tit.	
	V.	1.	9. 10.
	V I.	2. 3.	11. 12.
	Sab.	ad Phi-lem.	13. 14.

		ad Heb.	Joel.
Domin.	I.	ca. 1. 2.	cap. 1.
Fer.	I I.	3. 4.	2.
	III.	5. 6.	3.
5. Hebdomas.			Malac.
	I V.	7. 8.	1.
	V.	9. 10.	2.
	V I.	11.	3.
	Sab.	11. 13.	4.

Monitum.

Si citiùs Septuageſima occurrat, Lectiones aſſignatæ hebdomadis erraticis, quæ abſolutæ non fuerint, differentur poſt vigeſimamtertiam Dominicam, quæ Pentecoſtem ſubſequitur.

Tempore Septuageſimæ.

		Geneſis.
Domin. Septuag	I.	1. 2. 3.
Fer.	I I.	4. 5. 6.7.
	III.	8. 9. 10. 11.
		2-32.
	I V.	12.13.14.15.
	V.	16.17. 18.
	V I.	19.20.21.22.
	Sab.	23. 24. 25.
		2--5.
		13--19.
Domin. Sexageſ.	I.	26. 27.28.
Fer.	I I.	29. 30. 31.
	III.	32.33.34.35.
	I V.	36.37.38.39.
		o--6.
	V.	9.0.40.41.42.
	V I.	43.44.45.46.
		9.-26.
	Sab.	47.48.49.50.
		Exodus.
Domin. Quinq.	I.	Cap. 1. 2. 3.
Fer.	II.	4. 5. 6. 7.
		14- 26.
	III.	8. 9. 10. 11.
	I V.	12. 13. 14.
	V.	15.16.17.18.
		2-19.
	V I.	19.20.21.22.
	Sab.	23.24.25.

In Quadrageſima.		
		Exodus.
Domin.	I.	Cap. 26. 27. 28.
Fer.	II.	29. 30. 31.
	III.	32. 33. 34.
	IV.	35. 36. 37.
	V.	38. 39. 40.
quin-		Numeri.
que	VI.	1. 2. 3. 4.
plagæ.		5-44. 3-32. 18-32.
	Sab.	5. 6. 7. 8.
		18-84.
II.		9. 10. 11. 12.
Domin.	I.	14-29.
Fer.	II.	13. 14. 15. 16.
		5-18.
	III.	17. 18. 19. 20.
	IV.	21. 22. 23. 24.
	V.	25. 26. 27. 28.
		5-51.
	VI.	29. 30. 31. 32.
		uſque ad verſũ 8.
		deinde addũt. ver.
		12. 13. 17. 20. 23.
		26. 29. 32. 35. 39.
	Sab.	33. 34. 35. 36.
		7-37. 19-0.
		41-48.
		Deuteron.
III.	I.	1. 2. 3.
Domin.	II.	4. 5. 6.
Fer.	III.	7. 8. 9.
	IV.	10. 11. 12.
	V.	13. 14. 15.
	VI.	16. 17. 18.
	Sab.	19. 20. 21.

In Quadrageſ. & Paſſione.		
		Deuteronom.
IV.		
Domin.	I.	Cap. 22. 23. 24.
Fer.	II.	25. 26. 27.
	III.	28. 29. 30.
	IV.	31. 32. 33. 34.
		0-44.
		Jeremias.
	V.	1. 2. 3. 4.
	VI.	5. 6. 7. 8.
	Sab.	9. 10. 11. 12.
Domin.		
Paſſion.	I.	13. 14. 15. 16.
Fer.	II.	17. 18. 19. 20. 21.
	III.	22. 23. 24. 25.
	IV.	26. 27. 28. 29.
	V.	30. 31. 32.
		0-46.
	VI.	33. 34. 35.
	Sab.	36. 37. 38. 39.
Domin.		
Palma-		
rum.	I.	40. 41. 42.
Fer.	II.	43. 44. 45. 46. 47.
	III.	48. 49. 50.
	IV.	51. 52.
		Lamentationes
	V.	1. 2. 3.
	VI.	4. 5. Baruc. 1. 2. 3.
	Sab.	4. 5. 6.

Tempus Paſchatis.			
		Apoc.	Joſue.
Domin. Paſch.	I.	*Hæc die non alia fit Lectio, quàm quæ ſolemnis eſt in Eccleſia.*	
Fer.	II.	Cap. 1.	Cap. 1.
	III.	2.	2.
	IV.	3.	3.
	V.	4. 5.	4.
	VI.	6.	5.
	Sab.	7.	6.
I. Domin. in Alb.	I.	8.	7.
Fer.	II.	9.	8.
	III.	10. 11.	9.
	IV.	12.	10.
	V.	13.	11.
	VI.	14.	12.
	Sab.	15.	13.
II. Domin. poſt Paſcha.	I.	16.	14.
Fer.	II.	17.	15. 16.
	III.	18.	17.
	IV.	19.	18.
	V.	20.	19. 20.
	VI.	21.	21.
	Sab.	22.	22.

Tempus Paſchatis.			
		Actus.	Joſue.
III. Domin.	I.	Cap. 1.	Cap. 23.
Fer.	II.	2.	24.
			Judices.
	III.	3.	1.
	IV.	4.	2.
	V.	5.	3.
	VI.	6.	4.
	Sab.	7.	5.
IV. Domin.	I.	8.	6.
Fer.	II.	9.	7.
	III.	10.	8.
	IV.	11.	9.
	V.	12.	10.
	VI.	13.	11.
	Sab.	14.	12.
V. Domin.	I.	15.	13.
Fer.	II.	16.	14.
	III.	17.	15.
	IV.	18.	16.
Aſcenſ.	V.	19.	0.
	VI.	20.	17.
	Sab.	21.	18.

Tempus Aſcenſionis, & Pentecoſtes.			
VI.		Actus.	Joſue.
Domin.	I.	Cap. 22.	Cap. 19.
Fer.	II.	23.	20.
	III.	24.	21. Ruth
	IV.	25.	1.
	V.	26.	2.
	VI.	27.	3.
	Sab.	28.	4.
Domin. Pentec.	I.	Fit Lectio quæ ſolemnis eſt in Eccleſia. Epiſt. S. Jacobi.	
Fer.	II.	Cap.	1.
	III.		2. 3.
	IV.		4. 5.
	V.	I. Epiſt. S. Petr. 1.	
	VI.		2. 3.
	Sab.		4. 5.
I. Do. poſt Pent. Trinit.		1. Reg. 2. Ep. S. Pet	
	I.	Cap. 1. 2. o-11.	1.
Fer.	II.	3. 4. 5.	2. 3. I. S. Joa.
	III.	6. 7. 8.	1. 2. 3.
	IV.	9. 10.	4. 5.
F. Corp. Chriſti.	V.	Fit Lectio ſolemnis ex Breviario.	
	VI.	11. 12. 13.	2. & 3 Epiſt. S. Jo
	Sab.	14.	Epiſt. S. Judæ.

Poſt Pentecoſtem.			
II.		1. Reg.	Prov.
Domin.	I.	C. 15. 16.	1.
Fer.	II.	17. 18.	2.
	III.	19. 20.	3.
	IV.	21. 22.	4.
Octava	V.	23. 24.	0.
	VI.	25. 26.	5.
	Sab.	27. 38. 29.	6.
III. Domin.	I.	30. 31. 2. Reg.	7.
Fer.	II.	1. 2.	8.
	III.	3. 4.	9.
	IV.	5. 6.	10.
	V.	7. 8. 9.	11.
	VI.	10. 11.	12.
	Sab.	12. 13.	13.
IV. Domin.	I.	14. 15.	14.
Fer.	II.	16. 17.	15.
	III.	18. 19.	16.
	IV.	20. 21.	17.
	V.	22. 23. 24. 24-0. 3. Reg.	18.
	VI.	Cap. 1. 2.	19.
	Sab.	3. 4. 5. 0-21.	20.

Poſt Pentecoſtem.

		3. Reg.	Prov.
V. Domin.	I.	Cap.6.7.	C.21.
Fer.	II.	8.	22.
	III.	9.10.	23.
	IV.	11.12.	24.
	V.	13.14.	25.
	VI.	15.16.	26.
	Sab.	17.18.	27.
VI. Domin.	I.	19.20.	28.
Fer.	II.	21.22.	29.
		4. Reg.	
	III.	1.2.	30.
	IV.	3.4.	31.
			Eccl.
	V.	5.6.	1.
	VI.	7.8.	2.
	Sab.	9.10.	3.
VII. Domin.	I.	11.12.13.	4.
Fer.	II.	14.15.	5.
	III.	16.17.	6.
	IV.	18.19.	7.
	V.	20.21.	8.
	VI.	22.23.	9.
	Sab.	24.25.	10.

Poſt Pentecoſtem.

		1. Paralip.	Eccl.
VIII. Domin.	I.	C.10.11.12.	C.11.
		26-0.3-7.	
		9.14.	
		24.37.	
Fer.	II.	13.14.15.	12.
		5-11.	Sap.
	III.	16.17.18.	1.
		9.15.	
	IV.	19.20.21.	2.
	V.	22.23.24.	3.
		7.24.7-0.	
	VI.	0.28.29.	4.
		2. Paralip.	
	Sab.	1.3.3.	5.
IX. Domin.	I.	4.5.	6.
Fer.	II.	6.7.	7.
	III.	8.9.10.	8.
	IV.	11.12.13.	9.
	V.	14.15.16.	10.
	VI.	17.18.19.	11.
	Sab.	20.21.	12.
X. Domin.	I.	22.23.	13.
Fer.	II.	24.25.	14.
	III.	26.27.28.	15.
	IV.	29.30.	16.
	V.	31.32.	17.
	VI.	33.34.	18.
	Sab.	35.36.	19.
		22-0.	

Poſt Pentecoſtem.

		Daniel.
XI.		
Domin.	I.	Cap.1.13.
Fer.	II.	2.
		Ezechiel.
	III.	1.2.3.
	IV.	4.5.6.
	V.	7.8.9.
	VI.	10.11.12.
	Sab.	13.14.15.
XII.		
Domin.	I.	16.17.18.
Fer.	II.	19.20.21.
	III.	22.23.24.
	IV.	25.26.27.
	V.	28.29.30.
	VI.	31.32.33.
	Sab.	34.35.
XIII.		
Domin.	I.	36.37.
		Daniel.
Fer.	II.	3.
		57.88.
	III.	4.14.
	IV.	7.8.
	V.	5.9.
	VI.	6.10.
	Sab.	11.12.

Per Octavam Aſſumptionis in quamcumque Hebdomadam incidat, ſingulis diebus unum caput ex Cantico Canticorum legitor.

Poſt Pentecoſtem.

		Ezechiel.	Eccleſ.
XIV.			
Domin.	I.	Ca.38.39.	C. 1.2.
Feria.	II.	40.41.	3.
	III.	42.43.	4.5.
	IV.	44.45.	6.7.
	V.	46.47.48.	8.
		15.21.0.8.	
		Eſdras.	
	VI.	1.2.3.4.	9.
		3.59.	
	Sab.	5.6.7.	10.
XV.			
Domin.	I.	8.9.10.	11.
		2-15.20 0.	
		Nehem.	
Fer.	II.	1.2.	12.13.
	III.	3.4.	14.15.
	IV.	5.6.	16.
	V.	7.8.	17.18.
		8-63.	
	VI.	9.10.11.	19.
		2-28.4-0	
	Sab.	12.13.	20.21.
		2 27.	
		33-36.	
XVI.		Job.	
Domin	I.	1.2.3.	
Fer.	II.	4.5.6.	
	III.	7.8.9.	
	IV.	10.11.12.	
	V.	13.14.15.	
	VI.	16.17.18.	
	Sab.	19.20.21.	

Poſt Pentecoſtem.

		Job.	
XVII. Domin.	I.	c.22.23.24.	
Fer.	II.	25.26.27.	
	III.	28.29.30.	
	IV.	31.32.33.	
	V.	34.35.36.	
	VI.	37.38.39.	
	Sab.	40.41.42.	
XVIII.		1. Maccab.	Ecclef.
Domin.			
Fer.	I.	1.	22.
	II.	2.	23.
	III.	3.	24.
	IV.	4.	25.
	V.	5.	26. 27.
	VI.	6.	28. 29.
	Sab.	7. 8.	30.
XIX. Domin.			
Fer.	I.		
	II.	9.	31.
	III.	10.	32.
	IV.	11.	33.
	V.	12.	34.
	VI.	13.	35.
	Sab.	13.	36.
		14.	37.
		15. 16.	

Poſt Pentecoſtem.

		2. Macc.	Ecclef.
XX. Domin.	I.	Cap. 1.	Cap. 38.
Fer.	II.	2.	39.
	III.	3.	40.
	IV.	4.	41.
	V.	5.	42.
	VI.	6.	43.
	Sab.	7.	44.
XXI. Domin.	I.	8.	45.
Fer.	II.	9. 10.	46.
	III.	11.	47.
	IV.	12.	48.
	V.	13.	49.
	VI.	14.	50.
	Sab.	15.	51.
		Amos.	
XXII. Domin.	I.	Cap. 1. 2. 3.	
Fer.	II.	4. 5. 6.	
	III.	7. 8. 9. Abdias 1.	
		Jonas.	
	IV.	1. 2. 3. 4.	
		Michæas.	
	V.	1. 2. 3.	
	VI.	4. 5. 6. 7.	
	Sab.	Nahum.	
		1. 2. 3.	

Poſt Pentecoſtem.			
		Habactuc.	
XXIII. Domin.	I.	Cap. 1. 2. o.	
		Sophonias.	
Fer.	II.	1. 2. 3.	
		Aggeus	Zachar.
	III.	1. 2.	1.
	IV.		2. 3. 4. 5.
	V.		6. 7. 8.
	VI.		9. 10. 11.
	Sab.		12. 13. 14.

Hebdomas extraordinarias.			
		I.Ep.S.Pe.	Apoc.
Domin.	I.	Cap. 1.	C. 4. 5.
Fer.	II.	2.	6. 7.
	III.	3.	8. 9.
		I.Ep. S. Jo:	
	IV.	1. 2.	10. 11.
	V.	3.	12. 13.
	VI.	4.	14. 20
	Sab.	5.	21. 22.

Digitized by Google

Tabulæ Feſtorum Mobilium.

Anni Dñi	Litt. Dñic.	Septuageſima.	Paſcha.	Pentecoſtes.	Dñicæ poſt Pẽtec.	Dñica I Adv.
1733	d	1.Feb.	5.Apr.	24.Maji	26	29.Nov.
1734	c	21.Feb.	25.Apr.	13.Junii	23	28.Nov
1735	b	6.Feb.	10.Apr.	29.Maji	25	27.Nov
1736	A g	29.Jan.	1.Apr.	20.Maji	27	2.Dec
1737	f	17.Feb.	21.Apr.	9.Jun.	24	1.Dec
1738	e	2.Feb.	6.Apr.	25.Maji	26	30.Nov
1739	d	25.Jan.	29.Mar.	17.Maji	27	29.Nov
1740	c b	14.Feb.	17.Apr.	5.Junii	24	27.Nov
1741	A	29.Jan.	2.Apr.	21.Maji	27	3.Dec
1742	g	21.Jan.	25.Mar.	13.Maji	28	2.Dec
1743	f	10.Feb.	14.Apr.	2.Junii	25	1.Dec
1744	e d	2.Feb.	5.Apr.	24.Maji	26	29.Nov
1745	c	14.Feb.	18.Apr.	6.Junii	24	28.Nov
1746	b	6.Feb.	10.Apr.	29.Maji	25	27.Nov
1747	A	29.Jan.	2.Apr.	21.Maji	27	3.Dec
1748	g f	11.Feb.	14.Apr.	2.Junii	25	1.Dec
1749	e	2.Feb.	6.Apr.	25.Maji	26	30.Nov
1750	d	25.Jan.	29.Mar.	17.Maji	27	29.Nov
1751	c	7.Feb.	11.Apr.	30.Maji	25	28.Nov
1752	b A	30.Jan.	2.Apr.	21.Maji	27	3.Dec
1753	g	18.Feb.	22.Apr.	10.Junii	24	2.Dec
1754	f	10.Feb.	14.Apr.	2.Junii	25	1.Dec
1755	e	26.Jan.	30.Mar.	18.Maji	27	30.Nov
1756	d c	15.Feb.	18.Apr.	6.Junii	24	28.Nov
1757	b	6.Feb.	10.Apr.	29.Maji	25	27.Nov
1758	A	22.Jan.	26.Mar.	14.Maji	28	3.Dec
1759	g	11.Feb.	15.Apr.	3.Junii	25	2.Dec
1760	f e	3.Feb.	6.Apr.	25.Maji	26	30.Nov
1761	d	18.Jan.	22.Mar.	10.Maji	28	29.Nov
1762	c	7.Feb.	11.Apr.	30.Maji	25	28.Nov
1763	b	30.Jan.	3.Apr.	22.Maji	26	27.Nov
1764	A g	19.Feb.	22.Apr.	10.Junii	24	2.Dec

IN.

Digitized by Google

INDEX

TESTIMONIORUM SACRÆ SCRIPTURÆ

QUÆ IN HOC APPARATU

EXPLICANTUR AUT CITANTUR.

EX GENESI.

Cap. I. ℣. 11. GERMINET *terra herbam virentem & fa-cientem ſemen, & lignum pomiferum fa-ciens fructum juxta genus ſuum, cujus ſemen in ſe-metipſo ſit ſuper terram.* 543

II ℣. 8. *Plantaverat autem Dominus Deus Paradiſum voluptatis à principio: in quo poſuit hominem quem formaverat.*

℣. 10. *Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradiſum, qui inde dividitur in qua-tuor capita.* 56

℣. 11. *Nomen uni Phiſon: ipſe eſt qui circuit omnem terram Hevilath; ubi naſcitur aurum.*

℣. 12. *Et aurum terræ illius optimum eſt: ibi inveni-tur bdellium, & lapis onychinus.* 57

℣. 13. *Et nomen fluvii ſecundi Gehon: ipſe eſt qui cir-cumit omnem terram Æthiopiæ.* 58

℣. 14. *Nomen verò fluminis tertii, Tygris: ipſe va-dit contra Aſſyrios. Fluvius autem quartus, ipſe eſt Euphrates.* 58

℣. 16. *Ex omni ligno Paradiſi comede.*

℣. 17. *De ligno autem ſcientiæ boni & mali ne come-das. In quacumque enim die comederis ex eo, mor-te morieris.* 147

III. ℣. 18. *Spinas & tribulos germinabit tibi.* 548

℣. 24. *Ejecitque Adam, & collocavit ante Paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque verſatilem, ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.* 535

IV. ℣. 14. *Ecce ejicis me hodie à facie terræ, & à facie tua obſcondar.*

℣. 16. *Egreſſuſque Cain à facie Domini habitavit profugus in terra, ad Orientalem plagam Eden.* 149 627

℣. 23. *Dixitque Lamech. uxoribus ſuis Adæ & Sellæ:... Auſcultate ſermonem meum: quoniam occidi virum in vulnus meum.*

℣. 24. *Septuplum ultio dabitur de Cain, de Lamech verò ſeptuagies ſepties.* 17

℣. 26. *Seth, natus eſt filius, quem vocavit Enos: iſte cœpit invocare nomen Domini.* 486

VI. ℣. 3. *Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt; eruntque dies illius centum viginti annorum.* 613

VIII. ℣. 20. *Ædificavit autem Noe altare Domino; & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis, obtulit holocauſta ſuper altare.* 145

XVII. ℣. 14. *Maſculus, cujus præputii caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo.* 11. & 243.

XXX. ℣. 9. *Sentiens Lia quòd parere deſiiſſet. Zelpham ancillam ſuam marito tradidit.*

℣. 10. *Quæ poſt conceptum edente filium.*

℣. 11. *Dixit: Feliciter. Et idcirco vocavit nomen ejus, Gad.* 498

XXXIV. ℣. 14. *Non poſſumus facere quod petitis, nec dare ſororem noſtram homini incircumciſo: quod illicitum eſt & nefarium apud nos.* 6

XXXVI. ℣. 24. *Iſte eſt Ana qui invenit aquas calidas in ſolitudine, cùm paſceret aſinos Sebeon patris ſui.* 511

XLIX. ℣. 10. *Non auferetur ſceptrum de Juda, & de femore ejus, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit*

erit expectatio gentium. 226

℣. 17. *Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita, mordens ungulas equi, ut cadat aſcenſor ejus retro.* 532

EX EXODO.

I. ℣. 21. *Ædificavit eis domos.* 25

II. ℣. 10. *Vocavitque nomen ejus Moyſes, dicens: Quia de aqua tuli eum.* 362

IV. ℣. 25. *Tulit illico Sephora acutiſſimam petram, & circumcidit præputium filii ſui, tetigitque pedes ejus, & ait: Sponſus ſanguinum tu mihi es.* 3. & 434

VI. ℣. 3. *Et nomen meum ADONAI non indicavi eis.* 488

XX. ℣. 8. *Memento ut diem ſabbati ſanctifices.* 16

XXIII. ℣. 1. *Non ſuſcipies vocem mendacii.*

℣. 3. *Pauperis quoque non miſereberis in judicio.*

℣. 8. *Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes.* 236

℣. 19. *Non coques hædum in lacte matris ſuæ.* 279

XXIV. ℣. 10. *Et viderunt Deum Iſrael: Et ſub pedibus ejus quaſi opus lapidis ſapphirini, & quaſi cælum, cùm ſerenum eſt.* 574

XXV. ℣. 8. *Facientque mihi ſanctuarium, & habitabo in medio eorum:*

℣. 9. *Juxta omnem ſimilitudinem Tabernaculi quod oſtendam tibi, & omnium vaſorum in cultum ejus.* 92

℣. 22. *Loquar ad te ſupra propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim, qui erunt ſuper Arcam teſtimonii, cuncta quæ mandabo per te filiis Iſrael.* 184.

XXVII. ℣. 30. *Pones autem in rationali judicii Doctrinam & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron quando ingredietur coram Domino.* 174

XXX. ℣. 32. *Sume tibi aromata, primæ myrrhæ, & electæ quingentos ſiclos, & cinnamomi medium, id eſt, ducentos & quinquaginta ſiclos, calami ſimiliter*

Digitized by Google

ter ducentos quinquaginta.

℣. 24. *Caſiæ autem quingentos ſiclos in pondere ſanctuarii, olei de olivetis menſuram hin.* 607

℣. 34.... *Sume tibi aromata, ſtacten & onycha, galbanum boni odoris, & thus lucidiſſimum, æqualis ponderis erunt omnia:*

℣. 35. *Facieſque thymiama.* 608

EX LEVITICO.

I. ℣. 1. *Immolabitque vitulum coram Domino, & offerent filii Aaron ſacerdotes ſanguinem ejus, fundentes per altaris circuitum.* 156

V. ℣. 17. *Anima ſi peccaverit per ignorantiam, feceritque unum ex his quæ Domini lege prohibentur, & peccati rea intellexerit iniquitatem ſuam.*

℣. 18. *Offeret arietem immaculatum de gregibus ſacerdoti, juxta menſuram æſtimationemque peccati: qui orabit pro eo, quia neſciens fecerit: & dimittetur ei.* 160

X. ℣. 8. *Dixitque Dominus ad Aaron,*

℣. 9. *Vinum & omne quod inebriare poteſt non bibetis tu & filii tui, quando intratis in tabernaculum teſtimonii, ne moriamini.* 172

XIII. ℣. 46. *Omni tempore quo leproſus eſt & immundus, ſolus habitabit extra caſtra.* 619

XVII. ℣. 11. *Quia anima carnis in ſanguine eſt: & ego dedi illum vobis ut ſuper altare in eo expietis pro animabus veſtris, & ſanguis pro anima piaculo ſit.* 146

XIX. ℣. 9. *Cùm meſſueris ſegetes terræ tuæ, non tondebis uſque ad ſolum ſuperficiem terræ, nec remanentes ſpicas colliges.*

℣. 10. *Neque in vinea tua racemos & grana decidentia congregabis, ſed pauperibus & peregrinis carpenda dimittes.* 165

℣. 19..... *Veſte, quæ ex duobus texta eſt, non indueris.* 602

Digitized by Google

XXI. ℣. 1.... *Non contaminetur ſacerdos in mortibus civium ſuorum.*

℣. 2. *Niſi tantum in conſanguineis ac propinquis.*

℣. 7. *Scortum & vile proſtibulum non ducent uxorem, nec etiam quæ repudiata eſt à marito....*

℣. 9. *Sacerdotis filia ſi deprehenſa fuerit in ſtupro, & violaverit nomen patris ſui, flammis exuratur.* 172

XXII. ℣. 22. *Si cæcum fuerit, ſi fractum, ſi cicatricem habens, ſi papulas aut ſcabiem, aut impetiginem; non offeretis ea Domino.* 153

℣. 24. *Omne animal, quod vel contritis, vel tuſis, vel ſectis ablatiſque teſticulis eſt, non offeretis Domino.* 617

℣. 27. *Bos, ovis, & capra, cùm genita fuerint, ſeptem diebus erunt ſub ubere matris ſuæ: die autem octavo, & deinceps, offerri poterunt Domino.* 6

XXIII. ℣. 40. *Sumetiſque vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ, ſpatulaſque palmarum, & ramos ligni denſarum frondium, & ſalices de torrente, & lætamini coram Domino Deo veſtro.* 140

℣. 43. *Ut diſcant poſteri veſtri quòd in tabernaculis habitare fecerim filios Iſrael, cùm educerem eos de Terra Ægypti.* 141

XXIV. ℣. 11. *Cùmque blaſphemaſſet nomen, & maledixiſſet ei.*

℣. 12. *Miſeruntque eum in carcerem.* 487.

℣. 14. *Educ Blaſphemum extra caſtra, & ponent omnes qui audierunt manus ſuas ſuper caput ejus, & lapidet eum populus univerſus.*

℣. 15. *Et ad filios Iſrael loqueris, Homo qui maledixerit Deo ſuo, portabit peccatum ſuum:*

℣. 16. *Et qui blaſphemaverit nomen Domini, morte moriatur: lapidibus opprimet eum omnis multitudo, ſive ille civis, ſive peregrinus fuerit.* 247

XXV. ℣. 20. *Quid comedemus anno ſeptimo, ſi non ſeve-*

ſeverimus, neque collegerimus fruges noſtras.
ỷ. 21. *Dabo benedictionem meam vobis anno ſexto, & faciet fructum trium annorum.* 116
XXVI. ỷ. 1. *Nec titulos erigetis, nec inſignem lapidem ponetis in terra veſtra, ut adoretis eum.* 478
XXVII. ỷ. 32. *Omnium decimarum bovis & ovis, & capræ, quæ ſub paſtoris virga tranſeunt, quidquid decimum venerit, ſanctificabitur Domino.* 165

EX NUMERIS.

IV. ỷ. 3. *A trigeſimo anno & ſupra, uſque ad quinquageſimum annum.* 167
VIII. ỷ. 6. *Tolle Levitas de medio filiorum Iſrael, & purificabis eos.*
ỷ. 7. *Juxta hunc ritum. Aſpergantur aqua luſtrationis, & radant omnes pilos carnis ſuæ. Cumque laverint veſtimenta ſua, & mundati fuerint.*
ỷ. 8. *Tollent bovem de armentis*, &c. 166
ỷ. 24. *A viginti quinque omnis & ſupra, ingredientur ut miniſtrent in tabernaculo fœderis.* 167
IX. ỷ. 13. *Exterminabitur anima illa de populis ſuis.* 243
ỷ. 23. *Per verbum Domini figebant tentoria, & per verbum illius proficiſcebantur: erantque in excubiis Domini ejus permanum Moyſi.* 221
X. ỷ. 2. *Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus convocare poſſis multitudinem quando movenda ſunt caſtra.*
ỷ. 3. *Cumque increpueris tubis, congregabitur ad te omnis turba ad oſtium tabernaculi fœderis.*
ỷ. 4. *Si ſemel clangueris, venient ad te principes, & capita multitudinis Iſrael:*
ỷ. 5. *Si autem prolixior atque conciſus clangor increpuerit, movebunt caſtra primi qui ſunt ad orientalem plagam.* 230
XXI. ỷ. 6. *Miſit Dominus in populum ignitos ſerpentes.* 532

XXVII. ℣. 21. *Eleazar ſacerdos conſulet Dominum.* 175

XXXI. ℣. 23. *Omne quod poteſt tranſire per flammas, igne purgabitur, quidquid autem ignem non poteſt ſuſtinere, aqua expiationis ſanctificabitur.* 278

EX DEUTERONOMIO.

I. ℣. 12. *Non valeo ſolus negotia veſtra ſuſtinere, & pondus ac jurgia.*

℣. 13. *Date ex vobis viros ſapientes & gnaros, & quorum converſatio ſit probata in tribubus veſtris, ut ponam eos vobis principes.*

℣. 14. *Tunc reſpondiſtis mihi: Bona res eſt, quam vis facere.*

℣. 15. *Tulique de tribubus veſtris viros ſapientes & nobiles, & conſtitui eos principes, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios ac decanos, qui docerent vos ſingula.*

℣. 16. *Præcepique eis, dicens: Audite illos, & quod juſtum eſt judicate: ſive civis ſit ille, ſive peregrinus.*

℣. 17. *Nulla erit diſtantia perſonarum, ita parvum audietis ut magnum: nec accipietis cujuſque perſonam, quia Dei judicium eſt. Quod ſi difficile vobis viſum aliquid fuerit, referte ad me, & ego audiam.* 227

VIII. ℣. 4. *Veſtimentum tuum, quo operiebaris, nequaquàm vetuſtate defecit, & pes tuus non eſt ſubtritus, en quadrageſimus annus eſt.* 602

℣. 8. *Terram frumenti, hordei, ac vinearum, in qua ficus & malogranata, & oliveta naſcuntur; terram olei & mellis.* 551

XIII. ℣. 8. *Non acquieſcas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus ut miſerearis, & occultes eum,*

℣. 9. *Sed ſtatim interficies. Sit primum manus tua ſuper eum, & poſtea omnis populus mittat manum.*

℣. 10. *Lapidibus obrutus necabitur.* 248

XIV.

XIV. ℣. 28. *Anno tertio ſeparabis aliam decimam ex omnibus quæ naſcuntur tibi eo tempore: Et repones intra januas tuas.*

℣. 29. *Venietque Levites qui aliam non habet partem nec poſſeſſionem tecum, & peregrinus ac pupillus & vidua, qui intra portas tuas ſunt, & comedent, & ſaturabuntur.* 164

XVI. ℣. 13. *Solemnitatem quoque tabernaculorum celebrabis per ſeptem dies, quando collegeris de area & torculari fruges tuas.*

℣. 14. *Et epulaberis in feſtivitate tua, tu, filius tuus, & filia, ſervus tuus, & ancilla; Levites quoque, & advena, pupillus ac vidua qui intra portas tuas ſunt.* 141

XVII. ℣. 2. *Cum reperti fuerint apud te intra unam portarum tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi, vir aut mulier qui faciant malum in conſpectu Domini Dei tui; & tranſgrediantur pactum illius:*

℣. 3. *Ut vadant, & ſerviant diis alienis, & adorent eos.*

℣. 4. *Et hoc tibi fuerit nuntiatum audienſque inquiſieris diligenter, & verum eſſe reperieris, & abominatio facta eſt in Iſrael.*

℣. 5. *Educes virum ac mulierem, qui rem ſceleratiſſimam perpetrarunt, ad portas civitatis tuæ, & lapidibus obruentur.*

℣. 6. *In ore duorum, aut trium teſtium peribit qui interficietur. Nemo occidatur uno contra ſe dicente teſtimonium.*

℣. 7. *Manus teſtium prima interficiet eum, & manus reliqui populi extrema mittetur: ut auferas malum de medio tui.* 248

℣. 8. *Si difficile & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem, & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram & lepram, & judicum intra portas tuas videris verba variari: ſurge, & aſcende ad*

de ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus.

℣. 9. *Venieſque ad ſacerdotes Leviticis generis, & ad judicem, qui fuerit illo tempore: quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem.*

℣. 10. *Et facies quodcumque dixerint qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te.*

℣. 11. *Juxta legem ejus, ſequeriſque ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram.* 232

℣. 16. *Cùmque fuerit conſtitutus, non multiplicabit ſibi equos, nec reducet populum in Ægyptum, equitatus numero ſublevatus.*

℣. 17. *Non habebit uxores plurimas.* 259

XVIII. ℣. 10. *Nec ſit maleficus.*

℣. 11. *Nec incantator, nec qui Pythones conſulat, nec divinos, aut quærat à mortuis veritatem.* 483

XXI. ℣. 22. *Quando peccaverit homo quod morte plectendum eſt, & adjudicatus morti appenſus fuerit in patibulo:*

℣. 23. *Non permanebit cadaver ejus in ligno, ſed in eadem die ſepelietur quia maledictus à Deo eſt. qui pendet in ligno: Et nequaquam contaminabis Terram tuam quam Dominus Deus tuus dederit tibi in poſſeſſionem.* 245

XXIII. ℣. 1. *Non intrabit eunuchus attritis vel amputatis teſticulis, & abſciſſo veretro, Eccleſiam Domini.* 617

XXIV. ℣. 6. *Non accipies loco pignoris inferiorem & ſuperiorem molam: quia animam ſuam oppoſuit tibi.* 605

XXXII. ℣. 38. *De quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum.* 280

XXXIII. ℣. 8. *Levi quoque ait: Perfectio tua, & doctrina tua viro ſancto tuo, quem probaſti in tentatione.* 175

EX

Digitized by Google

EX JOSUE.

I. ✝. 4. *A deſerto & Libano uſque ad fluvium magnum Euphratem, omnis terra Hethæorum uſque ad mare magnum contra ſolis occaſum erit terminus veſter.* 68

✝. 7. *Confortare igitur & eſto robuſtus valde: ut cuſtodias, & facias omnem legem, quam præcepit tibi Moyſes ſervus meus: ne declines ab ea ad dexteram vel ad ſiniſtram, ut intelligas cuncta quæ agis.* 223

✝. 16. *Omnia quæ præcepiſti nobis, faciemus: Et quocumque miſeris, ibimus.*

✝. 17. *Sicut obedivimus in cunctis Moyſi, ita obediemus & tibi.* 223

IX. ✝. 9. *Et ſunt ibi uſque in præſentem diem.* 340

V. ✝. 2. *Et circumcide ſecundò filios Iſrael.* 3

✝. 9. *Hodie abſtuli opprobrium Ægypti à vobis. Vocatumque eſt nomen loci illius Galgala uſque in præſentem diem.* 5. & 340

VII. ✝. 19. *Fili mi, da gloriam Domino Deo Iſrael, & confitere, atque indica mihi quid feceris; ne abſcondas.* 238

VIII. ✝. 29. *Regem quoque ejus ſuſpendit in patibulo uſque ad veſperam & ſolis occaſum. Præcepitque Joſue & depoſuerunt cadaver ejus de cruce; projeceruntque in ipſo introitu civitatis.* 245

X. ✝. 12. *Dixitque coram eis: Sol contra Gabaon ne movearis, & luna contra vallem Ajalon.*

✝. 13. *Steteruntque Sol & Luna, donec ulciſceretur ſe gens de inimicis ſuis. Nonnè ſcriptum eſt hoc in libro juſtorum? Stetit itaque ſol in medio cæli non feſtinavit occumbere ſpatio unius diei.*

✝. 14. *Non fuit ante nec poſtea tam longa dies, obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Iſrael.* 340 & 590

✝. 26. *Atque ſuſpendit ſuper quinque ſtipites, fuerunt-*

que ſuſpenſi uſque ad veſperum.
℣. 27. *Cumque occumberet ſol, præcepit ſociis ut deponerent eos de patibulis.* 245
XIII. ℣. 2. *Omnis videlicet Galilæa Philiſtiim.* 78
XXIV. ℣. 26. *Scripſit quoque omnia verba hæc in volumine legis Domini.* 340

EX LIBRO JUDICUM.

I. ℣. 21. *Jebuſæum autem habitatorem Jeruſalem non deleverunt filii Benjamin: habitavitque Jebuſæus cum filiis Benjamin in Jeruſalem, uſque in præſentem diem.* 340
II. ℣. 7. *Servieruntque Domino cunctis diebus ejus, & ſeniorum, qui longo poſt eum vixerunt tempore, & noverant omnia opera Domini, quæ fecerat cum Iſrael.* 223
VIII. ℣. 23. *Non dominabor veſtri, nec dominabitur in vos filius meus, ſed dominabitur vobis Dominus.* 224
℣. 27. *Fecitque ex eo Gedeon Ephod, & poſuit illud in civitate ſua Ephra. Et factum eſt Gedeoni & omni domui ejus in ruinam.* 174
℣. 33. *Poſtquam autem mortuus eſt Gedeon, averſi ſunt filii Iſrael, & fornicati ſunt cum Baalim. Percuſſeruntque cum Baal fœdus, ut eſſet eis in Deum.* 496
IX. ℣. 4. *Dederuntque illi ſeptuaginta pondo argenti de fano Baalberit.* 496
XVI. ℣. 27. *De tecto & ſolario circiter tria millia utriuſque ſexus ſpectantes ludentem Samſon.* 277
XVII. ℣. 5. *Qui ædiculam quoque in ea Deo ſeparavit, & fecit Ephod, & theraphim, id eſt, veſtem ſacerdotalem, & idola: implevitque unius filiorum ſuorum manum, & factus eſt ei ſacerdos.* 174
℣. 6. *In diebus illis non erat rex in Iſrael, ſed unuſquiſque quod ſibi rectum videbatur, hoc faciebat.* 319

EX I. REGUM.

III. ℣. 20. *Et cognovit univerſus Iſrael à Dan, uſque Berſabee, quod fidelis Samuel Propheta eſſet Domini.* 70

VIII. ℣. 5. *Conſtitue nobis regem ut judicet nos, ſicut & univerſa habent nationes.* 224

℣. 7. *Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi, non enim te abjecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos.* 224

℣. 9. *Verumtamen conteſtare eos, & prædic eis jus regis, qui regnaturus eſt ſuper eos.* 224

X. ℣. 5. *Poſt hæc veniens in collem Dei, ubi eſt ſtatio Philiſtinorum: Et cum ingreſſus fueris ibi urbem, obvium habebis gregem Prophetarum deſcendentium de excelſo, & ante eos pſalterium & tympanum, & tibiam & citharam, ipſoſque prophetantes.*

℣. 10. *Veneruntque ad prædictum collem, & ecce cuneus prophetarum obvius ei.* 184

XIV. ℣. 32. *Comeditque populus cum ſanguine.*

℣. 31. *Nuntiaveruntque Sauli..... qui ait: Prævaricati eſtis: volvite ad me jam nunc ſaxum grande.* 281

XIX. ℣. 13. *Tulit autem Michol ſtatuam & poſuit eam ſuper lectum & pellem piloſam caprarum poſuit ad caput ejus, & operuit eam veſtimentis.* 599

XXIII. ℣. 9..... *Dixit ad Abiathar ſacerdotem: Applica Ephod.* 174

XXVIII. ℣. 6. *Conſuluitque Dominum, & non reſpondit ei neque per ſomnia neque per ſacerdotes, neque per prophetas.* 176

EX II. REGUM.

I. ℣. 9.... *Quoniam tenent me anguſtiæ, & adhuc tota anima mea in me eſt.* 597

XV. ℣. 30. *Porro David aſcendebat Clivum olivarum, ſcandens & flens, nudis pedibus incedens et operto capite, ſed et omnis populus qui erat cum eo, operto ca-*

to capite aſcendebat plorans. 281

XVI. ℣. 22. *Tetenderunt ergo Abſalom tabernaculum in ſolario.* 277
XXI. ℣. 9. *Et dedit eos in manus Gabaonitarum: qui crucifixerunt eos in monte coram Domino.* 245

EX III. REGUM.

IV. ℣. 5. *Habitabatque Juda et Iſrael abſque timore ullo, unuſquique ſub vite ſua, et ſub ficu ſua.* 551
IX. ℣. 26. *Claſſem quoque fecit rex Salomon in Aſiongaber, quæ eſt juxta Ailath in littore Maris rubri, in Terra Idumææ.* 62
X. ℣. 22. *Claſſis regis per mare cum claſſe Hiram ſemel per tres annos ibat in Tharſis, deferens inde aurum, et argentum, et dentes Elephantorum, et ſimias, et pavos.* 62
XII. ℣. 14.... *Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos ſcorpionibus.* 244
℣. 28.... *Nolite ultrà aſcendere in Jeruſalem: Ecce dii tui Iſrael, qui te eduxerunt de Terra Ægypti.* 493
XV. ℣. 12. *Et abſtulit effeminatos de terra, purgavitque univerſas ſordes idolorum, quæ fecerant patres ejus.*
℣. 13. *Inſuper & Maacham matrem ſuam amovit, ne eſſet princeps in ſacris Priapi, & in luco ejus, quem conſecraverat: ſubvertitque ſpecum ejus, & confregit ſimulachrum turpiſſimum, & combuſſit in Torrente Cedron.* 503
XVIII. ℣. 26. *Invocabant nomen Baal de mane uſque ad meridiem, dicentes: Baal exaudi nos.* 481
℣. 28. *Clamabant ergo voce magna & incidebant ſe, juxta ritum ſuum cultris & lanceolis, donec perfunderentur ſanguine.* 483 & 500

EX IV. REGUM.

II. ℣. 2. *Sede hic, quia Dominus me miſit uſque in Bethel.*

℣. 4. *Sede hic, quia Dominus miſit me in Jericho.*
℣. 6. *Sede hic, quia Dominus miſit me uſque ad Jordanem... ierunt igitur ambo pariter.*
℣. 7. *Et quinquaginta viri de filiis prophetarum ſecuti ſunt eos.* 184
℣. 9. *Obſecro ut fiat in me duplex ſpiritus tuus.* 272
III. ℣. 2.... *Tulit enim ſtatuas Baal, quas fecerat pater ejus.* 478
IV. ℣. 40.... *Cùmque guſtaſſent de coctione, clamaverunt, dicentes: Mors in olla, vir Dei.* 549
VI. ℣. 25.... *Donec venundaretur... quarta pars cabi ſtercoris columbarum quinque argenteis.* 523
XVI. ℣. 8. *Et cum collegiſſet argentum et aurum, quod inveniri potuit in domo Domini, & in theſauris regis, miſit regi Aſſyriorum munera.* 344
XVII. ℣. 30. *Viri Babylonii fecerunt Sochoth-Benoth: viri autem Chutei fecerunt Nergel, et viri de Emath fecerunt Aſima.*
℣. 31. *Porro Hevai fecerunt Nabahaz et Tharthac. Hi autem qui erant de Sepharvaim comburebant filios ſuos igni Adramelech et Anamelech diis Sepharvaim.* 503
XXI. ℣. 3..... *Et erexit aras Baal, & fecit lucos ſicut fecerat Achab rex Iſrael....* 480
XXIII. ℣. 11. *Abſtulit quoque equos, quos dederant reges Juda, Soli, in introitu Templi Domini juxta exedram Nathanmelech Eunuchi, qui erat in Pharurim: currus autem Solis combuſſit igni.* 498

EX I. PARALIPOMENON.

II. ℣. 55.... *Hi ſunt Cinei, qui venerunt de Calore patris domus Rechab.* 179
XII. ℣. 5. *Congregavit ergo David cunctum Iſrael à Sihor Ægypti, uſque dum ingrediaris Emath, ut adduceret Arcam Dei de Cariathiarim.* 68
XXIII. ℣. 4. *Ex his electi ſunt, & diſtributi in miniſterium domus Domini viginti quatuor millia; prepoſi-*

poſitorum autem & judicum ſex millia.

℣. 5. *Porrò quatuor millia janitores: & totidem Pſalte canentes Domino in organis, quæ fecerat ad canendum.*

℣. 6. *Et diſtribuit eos David per vices filiorum Levi...*

℣. 27. *Juxta præcepta quoque David noviſſima ſupputabitur numerus filiorum Levi à viginti annis & ſuprà.*

℣. 28. *Et erunt ſub manu filiorum Aaron in cultum domus Domini, in veſtibulis & in exedris, & in loco purificationis, & in Sanctuario, & in univerſis operibus miniſterii templi Domini.*

℣. 29. *Sacerdotes autem ſuper panes propoſitionis, & ad ſimilæ ſacrificium & ad lagana azyma, & ſartaginem & ad torrendum, & ſuper omne pondus atque menſuram.*

℣. 30. *Levitæ verò ut ſtent manè ad confitendum & canendum Domino: ſimilitèrque ad veſperam.*

℣. 31. *Tam in oblatione holocauſtorum Domini, quàm in Sabbatis & Calendis, & ſolemnitatibus reliquis juxta numerum, & cæremonias uniuſcujuſque rei, jugiter coram Domino.*

℣. 32. *Et cuſtodiant obſervationes tabernaculi fœderis, & ritum ſanctuarii, & obſervationem filiorum Aaron fratrum ſuorum, ut miniſtrent in domo Domini.* 167 168

EX II. PARALIPOMENON.

VII. ℣. 8.... *Et omnis Iſrael cum eo, Eccleſia magna valdè, ab introitu Emath uſque ad Torrentem Ægypti.* 68

XV. ℣. 16. *Sed & Maacham matrem regis ex auguſto depoſuit imperio, eò quòd feciſſet in luco ſimulachrum Priapi: quod omne contrivit, & in fruſta comminuens combuſſit in Torrente Cedron.* 504

Digitized by Google

XXI. ℣. 18. *Et ſuper hæc omnia percuſſit eum Dominus alvi languore inſanabili.*

℣. 19. *Cùmque diei ſuccederet dies, & temporum ſpatia volverentur, duorum annorum expletus eſt circulus: & ſic longa conſumptus tabe, ita ut egereret etiam viſcera ſua, languore pariter & vita caruit.* 613

XXVIII. ℣. 21. *Igitur Achaz ſpoliata domo Domini, & domo regum, ac principum, dedit Regi Aſſyriorum munera,* 344

XXXII. ℣. 27. *Fuit autem Ezechias dives & inclytus valdè, & theſauros ſibi plurimos congregavit argenti, &c.* 344

EX I. ESDRÆ.

VI. ℣. 12. *A me ergo poſitum eſt decretum: Ut omnis homo qui hanc mutaverit juſſionem, tollatur lignum de domo ipſius, & erigatur, & configatur in eo, domus autem ejus publicetur.* 245

EX II. ESDRÆ.

IV. ℣. 23. *Ego autem & fratres mei, & pueri mei, & cuſtodes qui erant poſt me, non deponebamus veſtimenta noſtra: unuſquiſque tantum nudabatur ad baptiſmum.* 279

VIII. ℣. 1.... *Congregatuſque eſt omnis populus quaſi vir unus .... & dixerunt Eſdræ ſcribæ ut afferret librum Legis Moyſi, quam præceperat Dominus Iſraeli.*

℣. 2. *Artulit ergo Eſdras ſacerdos Legem coram multitudine virorum, ac mulierum....* 424

℣. 8. *Et legerunt in libro Legis Dei diſtinctè & apertè ad intelligendum.* 370

IX. ℣. 21. *Quadraginta annis paviſti eos in deſerto, nihilque eis defuit: veſtimenta eorum non inveteraverunt, & pedes eorum non ſunt attriti.* 602

EX

EX LIBRO JUDITH.

XIII. ✝. 10.... *Abſtulit conopæum ejus à columnis....* 660.

XIV. ✝. 6. *Tunc Achior.... & circumcidit carnem præputii ſui, & appoſitus eſt ad populum Iſrael....* 11

EX LIBRO ESTHER.

I. ✝. 6.... *Super pavimentum ſmaragdino & pario ſtratum lapide.* 583

EX LIBRO JOB.

XX. ✝. 17. *Non videat rivulos fluminis, torrentes mellis & butyri.* 606

XXVIII. ✝. 6. *Locus ſapphiri lapides ejus, & gleba illius aurum.* 575

✝. 18.... *Trahitur autem ſapientia de occultis.* 583

XXIX. ✝. 6. *Quando lavabam pedes meos butyro....* 606

✝. 18.... *In nidulo meo moriar, & ſicut palma multiplicabo dies.* 562

XXXI. ✝. 10. *Scortum alterius ſit uxor mea, & ſuper illam incurventur alii.* 281

✝. 26. *Si vidi ſolem cùm fulgeret, & lunam incedentem clarè:*

✝. 27. *Et lætatum eſt in abſcondito cor meum, & oſculatus ſum manum meam ore meo.* 481

XXXVII. ✝. 18. *Tu forſitan cum eo fabricatus es cælos, qui ſolidiſſimi quaſi ære fuſi ſunt.* 587

XXXVIII. ✝. 4. *Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ?* &c. 589

XXXIX. ✝. 14. *Quando derelinquit ova ſua in terra, tu forſitan in pulvere calefacies ea.* 526

✝. 18. *Cùm tempus fuerit, in altum alas erigit.* 527

XL. ✝. 10. *Ecce Behemot quem feci tecum, fœnum quaſi bos comedet.* 538

XLII. ✝. 14.... *Nomen tertiæ Cornuſtibii.* 596

EX LIBRO PSALMORUM.

III. ℣. 3. *Et erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum.* 555
℣. 5. *Ideò non reſurgent impii in judicio; neque peccatores in concilio juſtorum.* 231
XIII. ℣. 3. . . . . *Venenum aſpidum ſub labiis eorum.* 531
XV. ℣. 4. *Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum.* 490
Nec memor ero nominum eorum per labia mea. 490
XXVIII. ℣. 9. *Vox Domini præparantis cervos...* 517
XXXIX. ℣. 7.... *Aures autem perfeciſti mihi.* 257
XLIV. ℣. 14. *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis.*
℣. 15. *Circumamicta varietatibus...* 596
L. ℣. 9. *Aſperges me hyſſopo, & mundabor.* 553
LI. ℣. 10. *Ego autem, ſicut oliva fructifera in domo Dei, ſperavi in miſericordia Dei.* 560
LVII. ℣. 5. *Sicut aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas,*
℣. 6. *Quæ non exaudiet vocem incantantium: & venefici incantantis ſapienter.* 531
LXVII. ℣. 31. *Increpa feras arundinis...* 545
LXXIX. ℣. 2. *Qui ſedes ſuper Cherubim, manifeſtare.*
℣. 3. *Coram Ephraim, Benjamin & Manaſſe, excita potentiam tuam.* 89
℣. 12. *Extendit palmites ſuos uſque ad mare; & uſque ad propagines ejus.* 70
℣. 14. *Exterminavit eam aper de ſylva.* 520
LXXX. ℣. 4. *Buccinate in Neomenia tuba, in inſigni die ſolemnitatis veſtræ.* 105
LXXXIX. ℣. 10. *Dies annorum noſtrorum in ipſis, ſeptuaginta anni. Si autem in potentatibus octoginta anni: & amplius eorum, labor & dolor.* 614
XCI. ℣. 13. *Juſtus ut palma florebit...* 561

CIII.

Digitized by Google

CIII. ℣. 2. *Extendens cœlum ſicut pellem: qui tegis aquis ſuperiora ejus.* 589
℣. 14. . . . *Ut exhilaret faciem in oleo.* 560
CV. ℣. 37. *Et immolaverunt filios ſuos, & filias ſuas dæmoniis.* 479 & 499.
℣. 38. *Et effuderunt ſanguinem innocentem: ſanguinem filiorum ſuorum & filiarum ſuarum, quas ſacrificaverunt ſculptilibus Chanaam.* 499
CVI. ℣. 3. *A ſolis ortu & occaſu; ab aquilone & mari.* 86
CIX. ℣. 1. *Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis.* 436
CXV. ℣. 10. *Credidi, propter quod locutus ſum.* 374
CXVII. ℣. 8. *Bonum eſt confidere in Domino, quàm confidere in homine.* 374
℣. 27. *Conſtituite diem ſolemnem in condenſis, uſque ad cornu altaris.* 140
CXXVI. ℣. 5. . . . . *Non confundetur cùm loquetur inimicis ſuis in porta.* 234
CXXXII. ℣. 2. *Sicut unguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron.* 171
CXLVI. ℣. 9. *Qui dat jumentis eſcam ipſorum: & pullis corvorum invocantibus eum.* 526

EX LIBRO PROVERBIORUM.

XVI. ℣. 11. *Pondus & ſtatera judicia Domini ſunt, & opera ejus omnes lapides ſacculi.* 298
XXV. ℣. 1. *Hæ quoque parabolæ Salomonis, quas tranſtulerunt viri Ezechiæ...* 343
XXVI. ℣. 8. *Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii: ita qui tribuit inſipienti honorem.* 501
XXX. ℣. 1. *Verba Congregantis filii Vomentis. Viſio, quam locutus eſt vir, cum quo eſt Deus, & qui Deo ſecum morante confortatus, ait:* 343
℣. 15. *Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ, dicentes: affer, affer.* 539
XXXI. ℣. 1. *Verba Lamuelis regis. Viſio quâ erudivit*

vit eum mater ſua. 344

℣. 6. *Date ſiceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro ſunt animo.* 247

℣. 21. *Omnes enim domeſtici ejus veſtiti ſunt duplicibus.* 601

℣. 22. *Byſſus & purpura indumentum ejus.* 601

℣. 23. *Nobilis in portis vir ejus, quando ſederit cum ſenatoribus terræ.* 234

EX LIBRO ECCLESIASTÆ.

I. ℣. 3. *Terra... in æternum ſtat.* ℣. 4. *Oritur ſol & occidit.* 588

XII. ℣. 5. ... *Florebit amygdalus.* 545. *Diſſipabitur capparis.* 547

EX CANTICO CANTICORUM.

I. ℣. 4. *Nigra ſum, ſed formoſa, filiæ Jeruſalem, ſicut tabernacula Cedar.* 61

II. ℣. 15. *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas.* 516

IV. ℣. 3. *Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ...* 556

V. ℣. 10. *Dilectus meus candidus & rubicundus.* 584

℣. 11.... *Coma ejus ſicut elatæ palmarum.* 562

℣. 14. *Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis.* 579

Venter ejus eburneus diſtinctus ſapphiris. 575

VII. ℣. 2.... *Venter tuus ſicut acervus tritici, vallatus liliis.* 555

℣. 5... *Coma capitis tui, ſicut purpura regis vincta canalibus.* 598

EX LIBRO SAPIENTIÆ.

X. ℣. 7... *Incerto tempore fructus habentes arbores...* 568

XIII. ℣. 1. *Vani autem ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei, & de his quæ videntur bona non potuerunt intelligere eum, qui eſt, neque operibus attendentes agnoverunt qui eſſet artifex:*

℣. 2. Sed

℣. 2. *Sed aut ignem, aut ſpiritum, aut citatum aerem, aut gyrum ſtellarum, aut nimiam aquam, aut ſolem & lunam, rectores orbis terrarum deos putaverunt.*

℣. 3. *Quorum ſi ſpecie delectati, deos putaverunt: ſciant quantò his dominator eorum ſpecioſior eſt; ſpeciei enim generator hæc omnia conſtituit.* 477

XIV. ℣. 15. *Acerbo enim luctu dolens pater, citò rapti ſibi filii fecit imaginem: & illum, qui tunc quaſi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, & conſtituit inter ſervos ſuos ſacra & ſacrificia.*

℣. 16. *Deinde interveniente tempore, convaleſcente iniqua conſuetudine, hic error tanquam lex cuſtoditus eſt, & tyrannorum imperio colebantur figmenta.* 477

XVI. ℣. 20. *Pro quibus Angelorum eſca nutriviſti populum tuum, & paratum panem de cœlo præſtitiſti illis ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuavitatem.*

℣. 21. *Subſtantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, oſtendebat: & deſerviens unuſcujuſque voluntati, ad quod quiſque volebat convertebatur.* 604

EX LIBRO ECCLESIASTICI.

XXIV. ℣. 20. *Sicut cinnamomum, & balſamum aromatiſans odorem dedi: quaſi myrrha electa dedi ſuavitatem odoris.*

℣. 21. *Et quaſi ſtorax, & galbanus, & ungula & gutta, & quaſi libanus non inciſus vaporavi habitationem meam, & quaſi balſamum non miſtum odor meus.* 609

EX ISAIA.

I. ℣. 11. *Quò mihi multitudinem victimarum veſtrarum, dicit Dominus? plenus ſum; holocauſta arietum, & adipem pinguium, & ſanguinem vitulorum, et agnorum et hircorum, nolui.* 151

VI. ℣. 12.

VI. ℣. 12... *Et multiplicabitur quæ derelicta fuerat in medio terræ.*
℣. 13. *Et adhuc in ea decimatio, et convertetur, et erit in oſtenſionem ſicut terebinthus, et ſicut quercus, quæ expandit ramos ſuos.* 567
VIII. ℣. 19. *Et cùm dixerint ad vos: Quærite à Pythonibus, et à divinis, qui ſtrident in incantationibus ſuis: Numquid non populus à Deo ſuo requiret pro vivis à mortuis?* 492
IX. ℣. 10. *Lateres ceciderunt, ſed quadris lapidibus ædificabimus: ſycomoros ſucciderunt, ſed cedros immutabimus.* 566
XI. ℣. 1. *Et egredietur virga de radice Jeſſe.* 543
XII. ℣. 3. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus ſalvatoris.* 141
XIII. ℣. 21... *Et piloſi ſaltabunt ibi.* 541
XVI. ℣. 1. *Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ.* 453
XVIII. ℣. 1. *Væ terræ cymbalo alarum, quæ eſt trans flumina Æthiopiæ.*
℣. 2. *Qui mittit in mare legatos, et in vaſis papyri ſuper aquas.* 562
XX. ℣. 2... *Vade et ſolve ſaccum de lumbis tuis, et calceamenta tua tolle de pedibus tuis: et fecit ſic, vadens nudus et diſcalceatus.* 282
XXV. ℣. 10. *Quia requieſcet manus Domini in monte iſto: et triturabitur Moab ſub eo, ſicuti teruntur palea in plauſtro.* 281 et 646
XXVII. ℣. 12... *In die illa percutiet Dominus ab alveo fluminis uſque ad Torrentem Ægypti.* 69
XXVIII. ℣. 1. *Væ... ebriis Ephraim.* 81
℣. 27. *Non enim in ſerris triturabitur gith, nec rota plauſtri ſuper cyminum circuibit: ſed in virga excutietur gith, & cyminum in baculo.*
℣. 28. *Panis autem comminuetur, verùm non in perpetuum triturans, triturabit illum neque vexabit*
cum

cum rota plauſtri, nec ungulis ſuis comminuet eum. 281

XXIX. ℣. 4. *Humiliaberis, de terra loqueris, & de humo audietur eloquium tuum: & erit quaſi pythonis de terra vox tua, & de humo eloquium tuum muſſitabit.* 485

XXX. ℣. 8. *Nunc ergo ingreſſus ſcribe ei ſuper buxum.* 547

XXXIV. ℣. 13. *Et orientur in domibus ejus ſpinæ & urticæ, & paliurus in munitionibus ejus.* 560

℣. 14. *Occurrent dæmonia onocentauris.* 542

XLII. ℣. 3. *Calamum quaſſatum non conteret...* 545

XLIV. ℣. 4. *Germinabunt inter herbas quaſi ſalices juxta præterfluentes aquas.* 565

XLV. ℣. 8. *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant juſtum: aperiatur terra, & germinet ſalvatorem.* 453

XLVI. ℣. 1. *Confractus eſt Bel, contritus eſt Nabo: facta ſunt ſimulachra eorum beſtiis & jumentis onera.* 520

LV. ℣. 13. *Pro ſaliunca aſcendet abies, & pro urtica creſcet myrthus.* 559 564

LVII. ℣. 4.... *Nunquid non vos filii ſceleſti, ſemen mendax.*

℣. 5. *Qui conſolamini in diis, ſubter omne lignum frondoſum, immolantes parvulos in torrentibus, ſubter eminentes petras?* 480

LXVI. ℣. 17. *Qui ſanctificabantur, & mundos ſe putabant in hortis, poſt januam intrinſecus.* 493

EX JEREMIA.

I. ℣. 11.... *Virgam vigilantem ego video.* 544

II. ℣. 18. *Et nunc quid tibi vis in via Ægypti ut bibas aquam turbidam? & quid tibi cum via Aſſyriorum, ut bibas aquam fluminis.* 69

III. ℣. 6... *Numquid vidiſti quæ fecerit averſatrix Iſrael?*

Digitized by Google

Irſael? abiit ſibimet ſuper omnem montem excelſum, & ſub omni ligno frondoſo, & fornicata eſt ibi. 480
VIII. ℣. 7. *Milvus in cælo cognovit tempus ſuum, turtur, & hirundo, et ciconia cuſtodierunt tempus adventus ſui.* 524
℣. 17. *Quia ecce ego mittam vobis ſerpentes regulos, quibus non eſt incantatio...* 531
IX. ℣. 15... *Ecce ego cibabo populum iſtum abſinthio.* 544
℣. 17... *Vocate lamentatrices et veniant, et ad eas quæ ſapientes ſunt, mittite et properent:*
℣. 18. *Feſtinent, et aſſumant ſuper nos lamentum.* 283
℣. 26. *Viſitabo ſuper Ægyptum, et ſuper Juda, et ſuper Edom et ſuper filios Ammon, et ſuper Moab, et ſuper omnes qui attonſi ſunt in comam, habitantes in deſerto.* 481
XIX. ℣. 13... *Omnes domus, in quarum domatibus ſacrificaverunt omni militiæ cæli, et libaverunt libamina diis alienis.* 277
XLVIII. ℣. 6.... *Et eritis quaſi myricæ in deſerto.* 558
L. ℣. 2.... *Capta eſt Babylon, confuſus eſt Bel, victus eſt Merodach, confuſa ſunt ſculptilia ejus, ſuperata ſunt idola eorum.* 501

EX LAMENTATIONIBUS.

IV. ℣. 3. *Sed & lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos ſuos.* 509
Filia populi mei crudelis, quaſi ſtruthio in deſerto. 526
℣. 5.... *Qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora.* 550
℣. 7. *Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſapphiro pulchriores.* 574 584

EX

EX EZECHIELE.

V. ℣. 5. *Hæc dicit Dominus Deus: Iſta eſt Jeruſalem, in medio Gentium poſui eam, & in circuitu ejus terras.* 71
VIII. ℣. 14. *Et introduxit me per oſtium portæ domus Domini, quod reſpiciebat ad Aquilonem: & ecce ibi mulieres ſedebant plangentes Adonidem.* 505
XIII. ℣. 18.... *Væ qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus:* 279
XVI. ℣. 12. *Et dedi inaurem ſuper os tuum, & circulos auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo.* 585
XXI. ℣. 21. *Stetit enim rex Babylonis in bivio, in capite duarum viarum, divinationem quærens, commiſcens ſagittas: interrogavit idola.* 175 492
XLVI. ℣. 14. *Et faciet ſacrificium ſuper eo cata mane mane ſextam partem Ephi, & de oleo tertiam partem hin, ut miſceatur ſimilæ: ſacrificium Domino legitimum, juge atque perpetuum.* 657

EX DANIELE.

IV. ℣. 30... *Completus eſt ſermo ſuper Nabuchodonoſor, & ex hominibus abjectus eſt, & fœnum ut bos comedit...* 622
X. ℣. 5. *Et levavi oculos meos, & vidi: & ecce vir unus veſtitus lineis, & renes ejus accincti auro obrizo:*
℣. 6. *Et corpus ejus quaſi Chryſolithus, & facies ejus velut ſpecies fulguris, & oculi ejus ut lampas ardens: & brachia ejus, & quæ deorſum ſunt uſque ad pedes, quaſi ſpecies æris candentis: & vox ſermonum ejus ut vox multitudinis.* 578
XIII. ℣. 54... *Qui ait: Sub ſchino.* 563
℣. 58... *qui ait: ſub prino.* *ibid.*

EX OSEE.

II. ℣. 16. *Et erit in die illa, ait Dominus: vocabit me: Vir meus: et non vocabit me ultra, Baali.*

℣. 17.

℣. 17. *Et auferam nomina Baalim de ore ejus, et non recordabitur ultra nominis eorum.* 495

III. ℣. 4. *Quia dies multos ſedebunt filii Iſrael ſine rege, et ſine principe, et ſine ſacrificio, et ſine altari, et ſine Ephod et ſine theraphim.* 175

IV. ℣. 12. *Populus meus in ligno ſuo interrogavit, et baculus ejus annuntiavit ei: ſpiritus enim fornicationum decepit eos, et fornicati ſunt à Deo ſuo.* 492

X. ℣. 5. *Vaccas Bethaven coluerunt habitatores Samariæ.* 79

XIV. ℣. 7.... *Et erit quaſi oliva gloria ejus...* 560

EX JOELE.

I. ℣. 4. *Reſiduum erucæ comedit locuſta, et reſiduum locuſtæ comedit bruchus, et reſiduum bruchi comedit rubigo.* 534

EX AMOS.

V. ℣. 26. *Et portaſtis tabernaculum Moloch veſtro, et imaginem idolorum veſtrorum, ſidus Dei veſtri quæ feciſtis vobis.* 497

VII. ℣. 14... *Non ſum propheta, et non ſum filius prophetæ; ſed armentarius ego ſum vellicans ſycomoros.* 566

EX JONA.

I. ℣. 5... *Et clamaverunt viri ad deum ſuum.* 476

IV. ℣. 6. *Et præparavit Dominus Deus hederam, & aſcendit ſuper caput Jonæ.* 554

EX MICHÆA.

IV. ℣. 13. *Surge & tritura filia Sion; quia cornu tuum ponam ferreum, & ungulas tuas ponam æreas, & comminues populos multos.* 606

V. ℣. 2. *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda.* 228

VII. ℣. 4. *Qui optimus in eis eſt, quaſi paliurus.* 560

Digitized by Google

EX ZACHARIA.

VII. ℣. 12. *Et cor ſuum poſuerunt ut adamantem....* 581

X. ℣. 2. *Quia ſimulachra locuta ſunt inutile.* 175

EX I. MACHABÆORUM.

I. ℣. 15. *Et ædificaverunt gymnaſium in Jeroſolymis ſecundùm leges nationum:*

℣. 16. *Et fecerunt ſibi præputia, & receſſerunt à teſtamento ſancto, & juncti ſunt nationibus, & venundati ſunt ut facerent malum.* 629

VI. ℣. 34. *Et elephantis oſtenderunt ſanguinem uvæ & mori, ad acuendos eos in prælium.* 558

EX II. MACHABÆORUM.

IV. ℣. 19. *Miſit Jaſon facinoroſus ab Jeroſolymis viros peccatores, portantes argenti didrachmas trecentas in ſacrificium Herculis.* 499

XII. ℣. 43. *Et facta collatione duodecim millia drachmas argenti miſit Jeroſolymam offerre pro peccatis mortuorum ſacrificium, benè & religioſè de reſurrectione cogitans:*

℣. 44. *Niſi enim eos qui ceciderant reſurrecturos ſperaret, ſuperfluum videretur, & vanum orare pro mortuis.*

℣. 45. *Et quia conſiderabat quòd hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repoſitam gratiam.*

℣. 46. *Sancta ergo, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur.* 284

EX MATTHÆO.

V. ℣. 22.... *Omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri ſuo, raca: reus erit concilio...* 230

℣. 25. *Eſto conſentiens adverſario tuo citò dum es in via...* 237

VIII. ℣. 6.... *Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, & malè torquetur.* 624

VI. ℣. 7...... *Putant enim quod in multiloquio ſuo*

Digitized by Google

exaudiantur. 481

X. ỳ. 27.... *Quod in aure auditis prædicate ſuper tecta.* 277

XI. ỳ. 19.... *Et juſtificata eſt ſapientia à filiis ſuis.* 183

XII. ỳ. 41. *Viri Ninivitæ ſurgent in judicio cum generatione iſta...*

ỳ. 42. *Regina Auſtri ſurget in judicio cum generatione iſta.* 438

XV. ỳ. 2. *Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem ſeniorum? Non enim lavant manus ſuas cùm panem manducant.* 192

ỳ. 5. *Vos autem dicitis: quicumquè dixerit patri vel matri, munus quodcumque eſt ex me tibi proderit.* 162

XVII. ỳ. 14..... *Domine, miſerere filio meo, quia lunaticus eſt, & malè patitur: nam ſæpe cadit in ignem, & crebrò in aquam.* 621

XVIII. ỳ. 3... *Niſi... efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.* 444

XX. ỳ. 21... *Dic ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram in regno tuo.* 232

XXI. ỳ. 44. *Et qui ceciderit ſuper lapidem iſtum confringetur; ſuper quem verò ceciderit, conteret eum.* 247

XXIII. ỳ. 15.... *Quia circuitis mare & aridam, ut faciatis unum proſelytum.* 11

XXIV. ỳ. 16. *Et qui in tecto, non deſcendat tollere aliquid de domo ſua.* 86

XXVII. ỳ. 25.... *Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros.* 238

ỳ. 34. *Et dederunt ei vinum bibere cum felle miſtum: Et cum guſtaſſet, noluit bibere.* 247

EX MARCO.

XII. ỳ. 3.... *Niſi crebrò laverint manus, non manducant,*

cant, tenentes traditionem ſeniorum. 193
℣. 11. *Vos autem dicitis: Si dixerit homo patri aut matri: Corban (quod eſt donum) quodcumque ex me tibi profuerit.* 161
IX. ℣. 2.... *Qualia fullo non poteſt ſuper terram candida facere.* 546
XIII. ℣. 1... *Magiſter; aſpice quales lapides, & quales ſtructuræ.* 99
XV. ℣. 23. *Et dabant ei bibere myrrhatum vinum: & non accepit.* 247

EX LUCA.

I. ℣. 9.... *Sorte exiit ut incenſum poneret; ingreſſus in Templum Domini.* 170
VI. ℣. 1. *Factum eſt autem in Sabbato ſecundo primo..* 135
XI. ℣. 12. *Aut ſi petierit ovum, nunquid porriget illi ſcorpionem?* 536
XIII. ℣. 33.... *Quia non capit prophetam perire extra Jeruſalem.* 157
XVIII. ℣. 12. *Jejunó bis in Sabbato.* 103
XX. ℣. 2. *Et aiunt ad illum: Dic nobis in qua poteſtate facis?* 233
XXII. ℣. 66. *Et ut factus eſt dies, convenerunt ſeniores plebis, & principes ſacerdotum & ſcribæ, & duxerunt illum in concilium ſuum, dicentes:* 236
XXIV. ℣. 44.... *Quoniam neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, & Prophetis, & Pſalmis de me.* 333

EX JOANNE.

I. ℣. 27.... *Cujus ego non ſum dignus ut ſolvam ejus corrigiam calceamenti.* 276. 14. 144
II. ℣. 1. *Et die tertia nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ:* 272
℣. 20.... *Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt templum hoc.* 47
III. ℣. 4... *Quomodo poteſt homo naſci, cùm ſit ſenex?*

numquid poteſt in ventrem matris ſuæ iteratò introire, & renaſci? 12
VII. ỳ. 22. *Propterea Moyſes dedit vobis circumciſionem; non quia ex Moyſe eſt, ſed ex patribus.* 102.
ỳ. 37. *In noviſſimo autem die magno feſtivitatis ſtabat Jeſus, & clamabat, dicens: ſi quis ſitit, veniat ad me, & bibat.* 141
ỳ. 51. *Numquid lex noſtra judicat hominem, niſi priùs audierit ab ipſo, & cognoverit quid faciat.* 238
VIII. ỳ. 7.... *Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat.* 248
ỳ. 56. *Abraham pater veſter exultavit ut videret diem meum: vidit, & gaviſus eſt.* 20
XI. ỳ. 9. *Reſpondit Jeſus: Nonne ſunt duodecim horæ diei.* 102
XVIII. ỳ. 31.. . . . *Nobis non licet interficere quemquam.* 233
XXI. ỳ. 22..... *Sic eum volo manere donec veniam.* 414

EX ACTIBUS APOSTOLORUM.

I. ỳ. 12. *Tunc reverſi ſunt Jeroſolymam à monte qui vocatur Oliveti, qui eſt juxta Jeruſalem, Sabbathi habens iter.* 130
ỳ. 18..... *Et ſuſpenſus crepuit medius, & diffuſa ſunt omnia viſcera ejus.* 626
II. ỳ. 23. *Hunc definito conſilio, & præſcientia Dei traditum, per manus iniquorum affigentes interemiſtis.* 138
VII. ỳ. 43. *Et ſuſcepiſtis tabernaculum Moloch & ſidus Dei veſtri Rempham, figuras, quas feciſtis, adorare eas.* 497
XII. ỳ. 22. *Populus autem acclamabat: Dei voces & non hominis.*
ỳ. 23. *Confeſtim autem percuſſit eum Angelus Domini, eò quòd non dediſſet honorem Deo; & conſumptus ver-*

vermibus, expiravit. 52. 625

XV. ℣. 20. *Sed ſcribere ad eos, ut abſtineant ſe à contaminationibus ſimulachrorum, & fornicatione, & ſuffocatis & ſanguine.* 251

XVI. ℣. 13. *Die autem Sabbatorum egreſſi ſumus foras portam juxta flumen, ubi videbatur oratio eſſe.* 100

℣. 22..... *Et magiſtratus, ſciſſis tunicis eorum, juſſerunt eos virgis cædi;*

℣. 23. *Et cùm multas plagas eis impoſuiſſent, miſerunt eos in carcerem.* 244

XVII. ℣. 23. *Præteriens enim, & videns ſimulachra veſtra, inveni & aram in qua ſcriptum erat: IGNOTO DEO. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis.* 480

XIX. ℣. 29. *Et impleta eſt civitas confuſione, & impetum fecerunt uno animo in theatrum, rapto Gaio & Ariſtarcho Macedonibus, comitibus Pauli.*

℣. 30. *Paulo autem volente intrare in populum, non permiſerunt diſcipuli.*

℣. 31. *Quidam autem & de Aſia principibus, qui erant amici ejus, miſerunt ad eum, rogantes ne ſe daret in theatrum:*

XXI. ℣. 24. *His aſſumptis, ſanctifica te cum illis: & impende illis ut radant capita: & ſcient omnes quia quæ de te audierunt, falſa ſunt, ſed ambulas & ipſe cuſtodiens legem.*

℣. 26. *Tunc Paulus aſſumptis viris, poſtera die purificatus cum illis intravit in templum, annuntians expletionem dierum purificationis, donec afferretur pro unoquoque eorum oblatio.* 179

XXII. ℣. 3. *Et dicit: Ego ſum vir Judæus..... ſecus pedes Gamaliel eruditus juxta veritatem paternæ legis...* 178

XXVII. ℣. 9.... *Et cùm jam non eſſet tuta navigatio, eò quòd & jejunium jam præteriiſſet...* 137

℣. 14. *Non poſt multum autem miſit ſe contra ipſam ventus Typhonicus, qui vocatur euro-aquilo.* 642

℣. 15. *Cùmque arrepta eſſet navis, & non poſſet conari in ventum, data nave flatibus, ferebamur.*

℣. 16. *In inſulam autem quamdam decurrentes, quæ vocatur cauda, potuimus vix abſtinere ſcapham.*

℣. 17. *Qua ſublata, adjutoriis utebantur, accingentes navem, timentes ne in ſyrtim inciderent, ſummiſſo vaſe ſic ferebantur.* 640

℣. 18. *Valida autem nobis tempeſtate jactatis, ſequenti die jactum fecerunt.*

℣. 19. *Et tertia die ſuis manibus armamenta navis projecerunt.* 641

℣. 20. *Neque autem ſole, neque ſideribus apparentibus per plures dies, & tempeſtate non exigua imminente, jam ablata erat ſpes omnis ſalutis noſtræ.* 642

℣. 28. *Qui & ſummittentes bolidem, invenerunt paſſus viginti: & puſillum inde ſeparati, invenerunt paſſus quindecim.* 638

℣. 29. *Timentes autem ne in aſpera loca incideremus, de puppi mittentes anchoras quatuor, optabant diem fieri.*

℣. 30. *Nautis quærentibus fugere de navi, cùm miſiſſent ſcapham in mare, ſub obtentu quaſi inciperent à prora anchoras extendere.* 639

℣. 29. *Cùm autem dies factus eſſet, terram non agnoſcebant: ſinum verò quemdam conſiderabant habentem littus, in quem cogitabant, ſi poſſent ejicere navem.*

℣. 40. *Et cùm anchoras ſuſtuliſſent, committebant ſe mari, ſimul laxantes juncturas gubernaculorum: & levato artemone ſecundùm auræ flatum tendebant ad littus.*

℣. 41. *Et cùm incidiſſemus in locum dithalaſſum, impegerunt navem: & prora quidem fixa manebat immobi-*

Digitized by Google

mobilis, puppis verò ſolvebatur à vi maris. 642
℣. 42. *Militum autem conſilium fuit ut cuſtodias occiderent: ne quis cum enataſſet, effugeret.*
℣. 43. *Centurio autem volens ſervare Paulum, prohibuit fieri: juſſitque eos, qui poſſent natare, emittere ſe primos & evadere, & ad terram exire:*
℣. 44. *Et ceteros alios in tabulis ferebant: quoſdam ſuper ea, quæ de navi erant. Et ſic factum eſt ut omnes animæ evaderent ad terram.* 643
XXVIII. ℣. 11.... *Navigavimus in navi Alexandrina... cui erat inſigne Caſtorum.* 638

EX EPISTOLA AD ROMANOS.

VI. ℣. 23. *Stipendia enim peccati, mors.* 635
VIII. ℣. 3.... *Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne.* 159
IX. ℣. 3. *Optabam enim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis.* 242. 241 658
XI. ℣. 16. *Quod ſi delibatio ſancta eſt, & maſſa.* 163
XII. ℣. 20..... *Hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput ejus* 376
XIV. ℣. 22..... *Beatus qui non judicat ſemetipſum in eo, quod probat.* 239

EX I. AD CORINTHIOS.

VI. ℣. 9. *Puto enim quod Deus nos Apoſtolos noviſſimos oſtendit, tanquam morti deſtinatos, quia ſpectaculum facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus.* 628
℣. 13..... *Tanquam purgamenta hujus mundi facti ſumus omnium peripſema uſque adhuc.* 242
V. ℣. 2.... *Et non magis luctum habuiſtis ut tollatur de medio veſtrum qui hoc opus fecit.* 240
℣. 5. *Tradere hujuſmodi ſatanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus fiat.* 240
℣. 7. *Expurgate vetus fermentum.* 133

ỷ. 11.... *Si is qui frater nominatur, eſt fornicator, aut avarus, aut idolis ſerviens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax; cum ejuſmodi nec cibum ſumere.* 240
VI. ỷ. 5. *Sic non eſt inter vos ſapiens quiſquam, qui poſſit judicare inter fratrem ſuum.* 177
VII. ỷ. 18. *Circumciſus aliquis vocatus eſt? non adducat preputium. In preputio aliquis vocatus eſt? non circumcidatur.*
ỷ. 19. *Circumciſio nihil eſt, & preputium nihil eſt: ſed obſervatio mandatorum Dei.* 4. 170
VIII. ỷ. 4.... *Scimus quia nihil eſt idolum in mundo.* 490
IX. ỷ. 7. *Quis militat ſuis ſtipendiis unquam?* 635
ỷ. 13. *Neſcitis quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt: & qui altari deſerviunt, cum altari participant?* 161
ỷ. 24. *Neſcitis quod ii, qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed unus accipit bravium? ſic currite ut comprehendatis.*
ỷ. 25. *Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet, & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam.*
ỷ. 26. *Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum: ſic pugno non quaſi aerem verberans.* 630
ỷ. 27. *Sed caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo: ne forte cùm aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.* 632
X. ỷ. 21. *Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & dæmoniorum.* 161
ỷ. 31. *Sive ergo manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis; omnia in gloriam Dei facite.* 219
XI. ỷ. 30. *Ideò inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.* 239
XII. ỷ. 3.... *Nemo in ſpiritu Dei loquens, dicit anathema Jeſu.* 240

XIII. ℣. 12.... *Tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum.* 375

XIV. ℣. 20. *Fratres nolite pueri effici ſenſibus.....* 444

XVI. ℣. 1. *De collectis autem, quæ fiunt in ſanctos, ſicut ordinavi Eccleſiis Galatiæ, ita et vos facite.*

℣. 2. *Per unam ſabbati unuſquiſque veſtrum apud ſe ſeponat, recondens quod ei benè placuerit ut non, cùm venero, tunc collectæ fiant.*

℣. 3. *Cùm autem præſens fuero: quos probaveritis per Epiſtolas, hos mittam perferre gratiam veſtram in Jeruſalem.*

EX II. AD CORINTHIOS.

I. ℣. 20. *Quotquot enim promiſſiones Dei ſunt, in illo EST: ideò et per ipſum AMEN Deo ad gloriam noſtram.* 654

V. ℣. 21. *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo.* 159

VI. ℣. 14. *Nolite jugum ducere cum infidelibus...* :

EX EPISTOLA AD GALATAS.

V. ℣. 3. *Teſtificor autem rurſus omni homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt univerſæ legis faciendæ.* 11

℣. 12. *Utinam & abſcindantur qui vos conturbant.* 240

VI. ℣. 17. *De cætero nemo mihi moleſtus ſit: ego enim ſtigmata Domini JESU in corpore meo porto.* 482 625

EX EPISTOLA AD EPHESIOS.

V. ℣. 3. *Fornicatio autem & omnis immunditia aut avaritia nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos.* 514

VI. ℣. 13. *Propterea accipite armaturam Dei, ut poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare.*

re. 635

℣. 14. *State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induti loricam juſtitiæ.*

℣. 15. *Et calceati pedes in præparatione Evangelii pacis.*

℣. 16. *In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere.*

℣. 17. *Et galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritus (quod eſt verbum Dei.)* 636

EX EPISTOLA AD PHILIPPENSES.

III. ℣. 5. *Circumciſus octavo die, ex genere Iſrael, de tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis, ſecundum legem Phariſæus.* 9

℣. 11. *Si quomodo occurram ad reſurrectionem quæ eſt ex mortuis.* 632

℣. 12. *Non quòd jam acceperim aut jam perfectus ſim: ſequor autem, ſi quo modo comprehendam in quo & comprehenſus ſum à Chriſto Jeſu.*

℣. 13. *Fratres, ego me non arbitror comprehendiſſe. Unum autem, quæ quidem retro ſunt obliviſcens, ad ea vero quæ priora, extendens me ipſum.*

℣. 14. *Ad deſtinatum perſequor, ad bravium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Jeſu.* 632

IV. ℣. 3. *Etiam rogo & te germane compar, adjuva illas, quæ mecum laboraverunt in Evangelio.* 634

EX II. AD TIMOTHEUM.

II. ℣. 2. *Et quæ audiſti à me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* 442

℣. 3. *Labora ſicut bonus miles Chriſti Jeſu.*

℣. 4. *Nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſæcularibus; ut ei placeat, cui ſe probavit.* 634

IV. ℣. 7. *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi.*

℣. 8. *In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex.* 633

EX

EX EPISTOLA AD TITUM.

III. ℣. 11. *Sciens quia ſubverſus eſt, qui ejuſmodi eſt, & dereliquit, cùm ſit proprio judicio condemnatus.* 239

EX EPISTOLA AD HEBRÆOS.

I. ℣. 1. *Multifariam multiſque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis; noviſſimè*
℣. 2. *Diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio...* 182
VI. ℣. 19. *Quam ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam...* 639
IX. ℣. 16. *Ubi enim teſtamentum eſt; mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris.* 314
℣. 22.... *Et ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio*, 149
℣. 28.... *Sine peccato apparebit expectantibus ſe, in ſalutem.* 159
X. ℣. 5... *Hoſtiam & oblationem noluiſti: corpus autem aptaſti mihi.* 257
℣. 6. *Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt*, 159
℣. 7. *Tunc dixi: Ecce venio: in capite libri ſcriptum eſt de me: ut faciam, Deus, voluntatem tuam.* 337
℣. 33. *Et in altero quidem, opprobriis, & tribulationibus ſpectaculum facti.* 625
XI. ℣. 4. *Fide plurimam hoſtiam Abel, quàm Cain, obtulit Deo, per quam teſtimonium conſecutus eſt eſſe juſtus, teſtimonium perhibente muneribus ejus Deo..* 149
℣. 37. *Lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt... circuierunt in melotis, in pellibus caprinis.* 250 598
XII. ℣. 1.... *Deponentes omne pondus, & circumſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen.* 630

EX EPISTOLA B. JACOBI.

III. ℣. 4. *Ecce & naves cùm magnæ ſint, & à ventis*

validis minentur, circumferuntur à modico gubernaculo, ubi impetus dirigentis voluerit. 637

EX EPISTOLA B. JUDÆ.

ỳ. 12. *Hi ſunt .... arbores autumnales, infructuoſæ, bis mortuæ.* 568

EX APOCALYPSI.

II. ỳ. 17... *Vincenti dabo manna abſconditum & dabo illi calculum candidum: & in calculo nomen novum ſcriptum...* 238

III. ỳ. 5. *Qui vicerit ſic veſtietur veſtimentis albis, & non delebo nomen ejus de libro vitæ.* 170

VI. ỳ. 13. *Et ſtellæ de cœlo ceciderunt ſuper terram ſicut ficus emittit groſſos ſuos, cum à vento magno movetur.* 551

VII. ỳ. 9... *Amicti ſtolis albis, et palmæ in manibus eorum.* 561

IX. ỳ. 9... *Et vox alarum earum ſicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum.* 534

XIX. ỳ. 12... *Habens nomen ſcriptum, quod nemo novit niſi ipſe.* 488

Finis indicis Teſtimoniorum S. Scripturæ.

INDEX

INDEX
RERUM & VERBORUM.

AARON. Summus Dei ſacerdos; ad filios ejus ſacerdotium pertinuit. 7. Juxta Arcam virga ejus appoſita. 91
Abel à fratre invidia occiſus Chriſtum à Judæis occidendum ſignificabat. 16
Abraham, Vocatus à Deo. 18. Duplex vocatio diſtinguenda *ibid.* Quare dictus *Hebræus*. 361. Huic renovatur promiſſio de numeroſa prole. 19. Videt diem Chriſti. *ibid.* Genuit Iſmael. 21. Præceptum accipit de circumciſione. *ibid.* Huic naſcitur Iſaac, futurus hæres. 21. moritur. 22
Adam. Ejus & Evæ lapſus. 16. Non omnes filii Adam à Moyſe ſunt enumerati 16. Cur? 17
Ægyptus. Deſcriptio ejus, & deſerti per quod Iſraelitæ peregrinati ſunt. 64
Æræ. Variæ apud Judæos. 111
Æs. Pretium æris mutationibus ſubjacet 292. Nummi æreorum valor quomodo inquirendus. 293
Ætas. Prima mundi ætas à creatione ad diluvium. 16. Secunda à diluvio ad vocationem Abrahæ. 18. Tertia à vocatione Abrahæ ad Exodum ex Ægypto. 19. Quarta ab Exodo ad conſtructionem Templi. 26. Quinta à conſtructione Templi ad finem captivitatis Babylonicæ 32. Sexta à libertate donata per Cyrum ad Chriſtum natum 43. Noviſſima ætas à Chriſto nato ad everſionem Templi. 49
Africa. Deſcriptio ejus. 64
Agnus Paſchalis. Qua die legendus. In Templo mactan-

ctandus quo loco, tempore & ritu comedendus, 133. Figura Chriſti immolandi, 152. Agnus in quotidiano ſacrificio. 157

Agraria lex. 257. V. *Jubilæus*.

Alexandrini. V. *Schiſma*.

Altare. Altare æneum in Tabernaculo. 89. Dimenſio altaris in Templo. 96. In eo mactabantur. *ibid.* Ad illud gradibus aſcendere non licebat. *ibid.* In eo ignis pepetuus alendus. 89. 96. Altaris aurei ſitus in Tabernaculo. 91. In Templo. 95

Amphora. Figura ejus & capacitas. 285

Anima. Hanc immortalem eſſe fuit Judæorum fides. 284

Animalia. Eorum genera varia diſtincta à Judæis. 507. Animalium, quorum in ſcripturis mentio fit, nomina & proprietates 510. De quadrupedibus oviparis. 521. De animalibus inſectis. 533. De animalibus aquaticis. 536. De animalibus dubiis vel fabuloſis. 539

Annus. Annorum initium quadruplex. 110. Multiplex annus apud Judæos. *ibid.* Annus ſabbatarius. 110. 129. Annus Jubilæus *ibid.* Judæorum religio circa annorum initium. 105

Apoſtolus. Origo hujus nominis. 271

Aquila. Tres aquilæ ſpecies. 525 526

Arca Noe. Figura Eccleſiæ. 17. Ubi conſtructa. 59 Ubi requievit *ibid.*

Arca fœderis. Figura ejus. 90. Locus ejus Sanctum ſanctorum. *ibid.* & 95. Juxta illam Aaronis virga, & urna in qua erat manna appoſitæ. 91. Poſtquam ſepties circumlata eſt, cadunt muri ac turres urbis Jericho 30. Vocatur à Pſalmiſtà *ſcabellum pedum Domini*. 221. Cherubim huic adhærentia quadriformia erant. *ibid.*

Archelaus. Regnat. 49. In exilium mittitur. *ibid.* & 85

Archi-

Archiſynagogus. Unde ſic dictus. 177
Argentum. In eo duodecim puritatis gradus, ſeu denarii notantur. 292
Arioli. Variis nominibus vocabantur. 491
Aromata. Quorum mentio fit in Scriptura. 607. & *ſeqq*.
Ars. Artes non ignoravere Judæi. 282. Divites & nobiles artem aliquam profitebantur. *ibid.*
As. Vilis nummus. 293. Quomodo dividatur. 286. Pondus Aſſis. 294
Aſia. Limites ejus. 59. Ab initio nobilis. 55. Patriarcharum ſedes. 59
Aſphaltites Lacus. Ubi ſitus. 72. Mare mortuum & mare ſalis dicitur. *ibid.*
Aſtronomia. Aſtronomiæ imperiti Judæi. 104. Aſtronomiæ principia. 103 106
Aſſamonei. V. *Macchabæi*.
Atrium. Multiplex juxta Tabernaculum & Templum. 89. & 95. Atrium Iſraelis ulla immunditie pollutum attingere nefas erat. 96
Aves. De quibus diſſeritur in Scriptura. Aves mundæ. 522. Aves immundæ. 525
Augurium. Species Idololatriæ. 492
Auguſtus. Finem bellis civilibus imponit. 47. Herodis teſtamentum confirmat. 47. Edictum ejus ut deſcriberetur univerſus orbis. 48. Moritur. 49. Hujus decretum in gratiam Judæorum. 103
Aurum. In auro viginti quatuor puritatis gradus ſeu caractæ diſtinguuntur. 291. Auri ratio ad argentum non ſemper, nec ubique eadem 292. Varia auri nomina in Scripturis. 593
Azyma. Lex Azymorum. 133. Quot eſſent ex lege dies Azymorum. *ibid.* Quæ eſſet prima. 134. Primitiæ Meſſis oblatæ poſt magnam diem Azymorum. 134

BALAAM. Vaticinatur de Meſſia ut ſtella orituro. 29
Baptiſmus. Rituum ejus origo. 11
Bdellium. Quid ſit? 58
Behemot. Deſcriptio ejus. 538
Benedictiones. Quot quiſque Judæus teneatur recitare in die. 218
Benjamin Tribus ferro fere abſumpta. 30
Biblia. Judæorum religio erga Biblia. 213. 383. Bibliorum diviſio 314. & *ſeqq*. V. *Scriptura*. *S. Lex*.
Biſſextus. Quid? 108
Boos. V. *Columnæ*.
Butyrum. Quid *butyri* nomine intelligendum ſit. 606
CABALA. In quo differat à maſſora 392. Cabala multiplex. *ibid.* cabala practica. Cabaliſtarum ineptiæ. *ibid.* 392
Calceamenta. V. *Sandalia*.
Calvarius. Unde mons ille nomen habuit. 86
Candelabrum aureum. 91. 95
Canonici libri. V. *Libri*.
Canticum Canticorum. Legere ante annum trigeſimum non licebat Judæis. 382
Captivitas. Initium lxx. annorum captivitatis Babylonicæ. 41. Finis ejus 43. Captivitatis Principes. 227
Caracta. Vulgò *carats*. Quid ſit. 291
Carmelus. In hoc monte ara ſine ſimulacro & templo. 72
Caſtra Levitarum & aliarum tribuum quadrata erant. 88. 92. Diſpoſitio tribuum in caſtris. *ibid.* Vexilla tribuum quæ caſtris præerant. *ibid.*
Cedron. Unde torrens ille ſic dictus. 85
Cete. Varia ſunt; alia majora alia minora. 509
Chanaam. V. *Terra promiſſionis*.
Cherubim. Nominis origo. 90 584

Chriſtus. V. *Meſſias*.
Cibus. Conſuetudines circa cibum & potum. 279. 280. De re cibaria. 603. & *ſeqq.*
Circumciſio. Hac diſtinguebantur Hebræi à cæteris Gentibus. 2. Signum fœderis inter Deum & Hebræos. *ibid.* Circumciſione quiſque fiebat de Populo Dei. 253. Omiſſa per quadraginta annos peregrinationis in deſerto. 5. Repetita à Joſue priuſquam Populus Paſcha comederet in Terra Chanaam. *ibid.* Octavus dies circumciſioni deſtinatus. 8. Poſt mortem Chriſti vim ſuam perdidit. 3. Judæos adducentes præputium culpat Apoſtolus. 4. Hieronymi interpretatio allegorica. *ibid.*
Concilia Gentis Hebraicæ diverſa. 230. Fiebat clangore tubarum. *ibid.*
Columba. Symbolum integritatis & munditiei. 523. Erat Aſſyriis pro ſymbolo vexillorum. *ibid.* Docilis & homini amica. *ibid.* Stercus columbæ quid. *ibid.*
Columnæ Jachim & Boos in introitu Templi. 95
Comam in rotundum non tondent Judæi. 276
Commentarii. V. *Sriptura*.
Concordiæ ſeu *harmoniæ* variorum Librorum S. Scripturæ 451 & *ſeqq.*
Concordiarum Evangelicarum autores varii. 467
Concordantiæ. Harum authores. 449
Congius. Capacitas ejus. 285 300
Corpus totum lavare tenebantur Judæi. 279
Crucifixio non uſitata apud Judæos. 245. Chriſtus Romano non Judaico more cruci affixus. 246
Cupiditas. Adverſatur ſocietati. 256. Legibus Hebræorum coercebatur. 256
DÆMON. Certum eſt nonnulla patraſſe Dæmones quæ ordinarias naturæ vires ſuperant. 483. Plurima prænuntiabant quæ habuerunt exitum. 484

Daniel. Sagacitate commendatus. 43. A Judæis eximitur è numero Prophetarum. 333
David. Ab eo Goliath interfectus eſt. 31. Huic renovata promiſſio de futuro orbis redemptore. 32. Moritur. *ibid.*
Decalogus ſummam Legis continet. 253. Præcepta triuſque Tabulæ. 254
Decapolis. Unde ſic dicta. 82
Decima. Unde numeratur annus decimandi pecoris, & plantationis arborum 110. 164. Decimarum genus quadruplex. 163. Decimæ Hieroſolymam ad Templum delatæ. 164. Redimi poterant decimæ. *ibid.* Ratio decimandi pecoris. 165
Dedicatio. V. *Templum*.
Demerſio ſupplicii genus. 249
Denarius. Unde nomen habeat? 287. Valor ejus. *ibid.* Non ſemper ejuſdem ponderis. *ibid.* Denarius ſeu puritas argenti, quid? 291
Deus. Exiſtentia Dei probatur. 15. Hebræorum Rex & Imperator. 91. Varia Dei nomina uſitata in Scripturis. 487. & *ſeqq.* Judæorum Religio circa nomen tetragrammatum. 487
Deuteronomium. Summa totius libri 317. Author. *ibid.* Quid ſentiendum de octo ultimis verſiculis. *ibid.* & 340
Dies. Diei antiqua diviſio 101. In unaquaque die diſtinguebatur duplex veſpera 102. Dies angariarum. 112
Divinatio. Species Idololatriæ. 491
Domus. Uſus circa domorum ædificationem. 207. Tecta erant plana. 86. 277. Domus procerum periſtylio ornabantur, 87. 277. Domus non conducebantur in urbe Jeruſalem, ſed patebant advenis. 86. 278. Clave non obſerabantur. 278. Quomodo in poſtibus ædium verba legis inſcriberent. 277

Dra-

Drachma quid? 288

E*CCLESIA*. Authoritas ejus circa Scripturam. 351

Editiones Scripturæ. Traditio de præcepto ſcribendi ſibi librum Legis. 423. Varii Textus Hebræi codices. 423. Editiones verſionis LXX. ſenum. 430. Vulgatæ latinæ. 425. Polyglottorum. 426. 430. & *ſeqq*.

Ephod, veſtimentum proprium ſummo Sacerdoti. 173. Eo indutus perfecta cognitione veritatis donabatur à Deo. 173

Eſau. Naſcitur. 22. Vendit primogenita. 22. Fratri reconciliatur: 23

Eſſenii. V. *Secta*.

Ethnarcha quis? 84

Evangelium. Pars Scripturarum ſanctiſſima 666. Quotidie legendum. 667

Europa. Limites. 55. Inſulæ. *ibid.*

Excelſa. V. *Sacrificia*.

Excommunicatio. Quid? 239. Pro excommunicatis habebantur Ethnici, Samaritani, &c. 240. Excommunicatio pœna Eccleſiaſtica & civilis. 239. Status hominis excommunicati. 240. Tres excomunicationis ſpecies. 242

Expiatio. Expiationis feſtum etiam *Jejunium* dictum. 137. Hac die ſummus ſacerdos intrabat in ſanctum ſanctorum. 138. Sacrificium hac die oblatum. 138. hac die decimi menſis Tiſri reparatæ à Moyſe Tabulæ quas confregerat iratus. 139

F*ERMENTUM* ab altari amovendum. 136. 155. Fermento purgandæ domus in feſto Paſchatis. 133

Ferta multiplicis erant generis. 155. Quomodo fierent. *ibid.* Quomodo coquerentur. *ibid.*

Feſta. Eorum genus triplex. 129. Feſta majora celebranda Hieroſolymis in Templo. 131. Feſti cujuſ-

que celebrandi ritus. 131. & *ſeqq.*

Figura. V. *Typus*.

Fimbria. Fimbrias per quatuor angulos palliorum ponebant Judæi. 274. Uſus hodiernus circa fimbrias. *ibid.*

Fluvius. Fluvii terræ Iſrael. 72

Funus. Uſus Judæorum circa funera defunctorum. 282.

Furtum. Furti pœna. 257

G*ABAONITÆ*. A Joſue addicti ut ligna & aquas in miniſterium Templi & altaris comportarent. 177

Galilæa. Duplex 79. Galilæa Gentium. 82

Gemmæ. V. *Lapides*.

Gemara quid? 268

Genealogia. Duplex, legalis & naturalis. 273. Genealogiarum libri qua cura ſervati. *ibid.*

Genezareth lacus unde nomen habeat. 83

Geneſis. Primus Bibliorum liber; unde ſic inſcriptus. 315

Gigantes, incolæ terræ Iſrael. 73

Græcia. Pars Europæ. Populi in ea celebres. 55

H*EBDOMAS*. Hebdomadum diverſæ ſpecies. 103. etiam *Sabbatum*. *ibid.* & 216

Lingua Hebræa. Omnium antiquiſſima. 360. Unde dicta Hebræa. 361. Aliarum linguarum mater. 364. Maximam mutationem ſubiit in captivitate Babylonica. *ibid.* Quando deſierit eſſe vernacula. 364. Hujus idiotiſmi ſive proprietates. 374. Veteris Teſtamenti libri plerique primùm Hebraicè ſcripti. 360. Ipſi caracteres in captivitate mutati. 365. Alphabetum Hebraicum. 371. Puncta vocalia quando & à quibus inventa. 367. Unde verſionum Textus Hebraici tanta diverſitas. 373. Correctiones ſcribarum, quid? 385

Hebræi. Eorum origo. 1. Nomina varia. 2. Circumciſio-

ciſione ab aliis diſtincti. 2. Diviſio in Tribus & familias. 7. Hebræi nati, Hebræi facti, ſeu proſelyti. 9. V. *Proſelyti. Iſraelita. Judæi.*

Heli judicavit Populum Dei. 31. Moritur fracta cervice. *ibid.*

Helleniſtæ. Unde dicti. 202. 401. Diſſidia inter Helleniſtas & Hebræos. 203

Herodes. Huic Galilæa curanda committitur. 46. Rex Judæorum appellatus. *ibid.* Proprium filium ſuffocari jubet. 47. In regno confirmatur ab Auguſto. 47. Templum inſtaurat. *ibid.* Moritur. *ibid.* & 84. Progenies ejus omnis everſa. 52

Herodiani. V. *Secta*.

Hevilath ſeu *Cavilath*. Duplex hujus nominis origo. 57

Hippopotamus. Deſcriptio ejus. 538

Hircus emiſſarius. Unde dictus. 138. Figura Chriſti. 139

Holocauſtum. Species ſacrificii. 158. Unde dictum. 158

J *ACHIM* V. *Columna*.

Jacob. Duodecim filiorum pater. 2. Colluctatur cum fratre in utero matris. 22. Subripuit fratri patris benedictionem. 22. Fugit ad Laban. 23. Liam & Rachelem in uxores accepit. *ibid.* Unde dictus Iſrael. *ibid.* Deſcendit in Ægyptum cum tota familia. 24. Moritur, priùs edens vaticinium de Meſſia orituro. *ibid.* V. *Iſrael*.

Idola. Dicuntur *vanitas* & *falſitas*. 81. Nomina Idolorum quorum fit mentio in Scriptura. 493. & *ſeqq*.

Idololatria. Hebræi Idololatriæ dediti iram Dei in ſe concitant. 30. Origo Idololatriæ. 476. & *ſeqq*. Ex ambitione principum & errore vulgi orta eſt. 477. Quo tempore homines à vero Deo deficientes ad falſos declinaverint. 486. Triplex Idololatriæ ſpecies. 486. 490

Idumæi. Ab Hircano devicti Judaicos ritus admittunt. 78. Idumæa unde ſic dicta, *ibid.* Idumææ deſcriptio. 85

Jericho. Muri ejus ac turres ſponte cadunt. 30

Jejunium. Quomodo obſervatum à Judæis, 219. Quænam vetita in ſolemnibus jejuniis. 219. V. *Expiatio*, 219

Jeruſalem, Deſcriptio ejus 85. Fundata in quatuor montibus. *ibid.* A Davide condita in monte Sion. 77. Dicta *urbs ſancta*. *ibid.* Hujus reſtituendæ veniam obtinet Nehemias. 44. In ea non conducebantur domus, ſed ſingulæ advenis patebant, 86. 278. Nec clave obſerabantur. 278. Tecta earum plana. 86. 277. Procerum domus periſtylio ornatæ. 87. 277. Jeruſalem caput terræ Iſrael. 72. Caput Religionis. 77. In confinio trium partium orbis tunc noti poſita. 71. Ejus & Templi everſio à Romanis Imperatoribus. 52. Orbis plagas, ſeu climata, Scriptura aſſignat comparatione urbis Jeruſalem. 86. Non capiebat Chriſtum occidi extra Jeruſalem. 157

Jeſus Chriſtus. Naſcitur. 48. Hominibus ſe conſpicuum præbet. 50. Præcepta ejus & exempla, *ibid.* Moritur. *ibid* Reſurgit; cælos ingreditur. 50. Omni religionis Judaicæ cultu adumbratus. 17. Inde divinitas ejus probatur. 16

Incola Terræ Iſrael. 73

Inſecta. Inſectarum, de quibus loquitur Scriptura, nomina & proprietates. 533

Joannes-Baptiſta. Naſcitur. 48. Ortus ejus miraculis inſignitus. *ibid.* Cœpit prædicare. 49. Baptizat Chriſtum. 49

Jobi Patria ejus, 66. 325. Videtur natus ex poſteris Nachor fratris Abraham. 326. Ab Hebræis pleriſque creditur in rerum natura non fuiſſe. 325. Auctor libri ejus ignoratur. *ibid.*

Jonas.

Jonas. Quo tempore prophetaverit. 36. Mittitur Niniven. 37. A nautis projicitur in mare. *ibid.* Excipitur ventre ceti, & poſt tres dies ejicitur in littus. 37. Typus manifeſtus Chriſti. *ibid.*

Jordanis. Unde nomen acceperit. 72. In terra Iſrael pænè unicus. *ibid.* Fontes & curſus ejus. *ibid.* Nomen amittit in lacu Aſphaltite. 72

Joſeph. Naſcitur. Venditur in Ægyptum, & in ea re figura Chriſti. 23. Conjicitur in carcerem, unde in aulam Pharaonis advocatur. 24. Somnia interpretatur. *ibid.* A fratribus agnitus patrem cum tota familia acceſit in Ægyptum. *ibid.* Moritur. *ibid.*

Joſue. Inter exploratores miſſus, populum contra exploratorum teſtimonium confirmat. 29. Solus cum Caleb Terram promiſſam ingreditur. 29. Præficitur Iſraeli. *ibid.* Urbes plurimas uno impetu capit. 30. Terram per duodecim Tribus partitur, moritur *ibid.* Quid ſentiendum de autore libri *Joſue*. 340

Iſaac. Naſcitur ex patre Centenario & matre Nonagenaria. 1. Ex eo oriunda benedicta proles. 1. Iſaac figura Chriſti oblatus tantùm non mactatus. 22. Rebeccam ducit uxorem. 22. Moritur. 24

Iſmael. Naſcitur Abraham ex ancilla. 21. Non fuit heres. *ibid.* Circumciditur. *ibid.* Cum matre expellitur. 22

Iſrael. Hoc nomen accepit Jacob. 2. 23. Inde poſteri dicti Iſraelitæ. 2. Regnum Juda, Regnum Iſrael. 32. Finis regni Iſrael. 38. V. *Iſraelitæ*. *Terra promiſſa*. *Caſtra*.

Iſraelitæ. Unde dicti. 2. 23. Deſcendunt in Ægyptum. 24. Duram experiuntur ſervitutem. *ibid.* Duce Moyſe liberantur. 25. Ingreſſi eremum aquæ penuria laborant. 26. Manna paſcuntur. *ibid.* Legem accipiunt in monte Sinai 28. 65. Territi ab

exploratoribus in Ægyptum regreſſum parant. 29. Quadraginta annis peregrinantur in Deſerto. 28. & 65. Terram promiſſam ingrediuntur duce Joſue. 29. Idola colunt. 30. Vincuntur ab hoſtibus. 30. Judices Iſraelis. 30. Regem poſtulant. 31. Reſpublica Iſraelitarum primo Theocratia fuit. 220. Nata & formata in monte Sinai. 222. Dein fuit Ariſtocratia. 223. Poſtea Monarchia facta eſt. 225. Iſraelitæ deſierunt eſſe populus, extorres facti. 226. V. *Judæi.*

Iter Sabbati. V. *Sabbatum.*

Ithamar. Poſteri ejus. 8

Ituræa. Errant qui in Peræa collocant Ituræos. 81. Adjuncta fuit Tetrarchiæ Philippi. 84

Jubilæus annus. 110. Unde dictus. 110. 512. Solemnis & feſtivus apud Judæos. 110. & 129. Quomodo & quo tempore fieret ſervorum manumiſſio. 129. Judæi tempora numerabant Jubilæis. 111

Juda ſeu Tribus Juda; Dux belli mortuo Joſue. 30

Judas Galilæus. V. *Secta.*

Judæa. Hanc procurabat Pilatus cùm Joannes-Baptiſta cœpit prædicare. 49. 85. Provincia Imperii Romani facta. 85. 226. V. *Palaſtina, Terra promiſſa.*

Judæi. Unde dicti. 2. Quo nomine diſtinguerentur à cæteris Gentibus. 2. Captivi per annos ſeptuaginta. 41. Eis benignum ſe præbuit Cyrus. 43. Soluti captivitate redeunt Jeroſolymam duce Zorobabele. *ibid.* Per annos ducentos ſubditi Perſis. 43. Ab Antiocho vexati. 44. Mathatias filios hortatur ad tuendam libertatem. 44. Unde dicti Machabæi. *ibid.* Penes hos fuit regimen Judæorum. 44. Judæi facti Romanorum tributarii. 45. Spolia eorum in templo Pacis à Veſpaſiano congeſta. 53. Quot perierint in obſidione Jeroſolymitana. 53. Paſtoritiam vitam egere Principes Judæi. 281. Divites

vites

vites & nobiles artem aliquàm profitebantur. 282. Diſcrimen inter veteres Judæos & Chriſtianos. 208. Eorum opinio de diebus Meſſiæ. 211

Judices. Varius erat eorum numerus pro ut variabantur judicia. 232. Judicum numerus impar. 231. Regulæ ab iis ſervandæ. 236. Quomodo apud ipſos res perageretur. 237. Tam judices quàm teſtes condemnatorum capiti manus imponebant. 238. Formula qua reus adjurabatur ut rem de qua quærebatur proferret. 238. Tres Scribæ judicum ſententias ſcribebant. 239. V. *Tribunal*.

Juramentum. Abſtinebant Judæi Dei nomine in Juramentis. 211. Juramenta per creaturas impunè violari poſſe opinabantur. *ibid.*

K*ALENDARIUM* Judaicum, & in eo multa notatu digna. 112. & *ſeqq.*

Kalendæ. Prima dies cujuſque menſis apud Latinos. 104

Karræi unde dicti. Judæis infenſi, & ipſis Judæi. 203. Unde orta eorum diviſio. *ibid.*

L*ANA* variis nominibus appellabatur prout diverſimodè tincta. 600

Lapidatio ſupplicii genus. 246. Quo modo exigeretur. *ibid.* Locus lapidationis. 247. Loca. V. *T.* Ubi de lapidatione agitur. *ibid.*

Lapides pretioſi. De duodecim lapidibus pretioſis pectoralis faſciæ ſummi Pontificis. 569. & *ſeqq.* Apocalypſeos. 581

Leo. Septem ejus nomina in fonte Hebræo. 514. Terribilia in eo notata in Scripturis. 515. Proprietates ejus. *ibid.*

Levi. Filii Levi ſoli Deo vacabant; in tres cognationes diviſi. 7. & 166

Leviathan. Deſcriptio ejus. 538

Levitæ. Nullam poſſederunt terram. 74. & 166. Decimis alebantur. *ibid.* Decimas ipſi Sacerdotibus pen-

pendebant. 166. In cæteris portionibus habebant urbes ſibi aſſignatas. 74. Quoties movebantur caſtra cuique Levitæ aſſignatum erat quas partes Tabernaculi portaret. 91. Quibus ritibus conſecrandi. 166. Qua ætate idonei obeundis officiis ſuis. 167. Variæ Levitarum claſſes. *ibid.* Eorum numerus ætate Davidis Regis. *ibid.* Cum omnibus jus connubii habebant. 272. Levitarum miniſtri. V. *Gabaonitæ.*

Lex. Legem accipiunt Judæi. 28. 65. Lex non legebatur niſi Hebraicè. 178. 214. Lex Moyſis ulcus tegebat, non ſanabat. 251. Zelus Judæorum adversùs Legis divinæ violatores. 248. Variis temporibus varias Leges poſuit Deus. 251. Leges Noe poſitæ. *ibid.* Teſtimonium Maimonidis de Legibus poſitis Adamo, Noe, Abraham, & cæteris Patriarchis. 252. Leges à Deo datæ Iſraelitis numero non paucæ. 253. Decalogus. *ibid.* Leges variæ civiles. 257. & *ſeqq.* Leges Judæorum allegoricæ. 250. 260. Lex Agraria. V. *Jubilæus*. Lex Oralis ſive Traditio. 261. Teſtimonium Maimonidis de Lege Orali. 262. & *ſeqq.* In quo potiſſimum poſita lex oralis. 264. Dubia circa Legem quomodo ſolvenda. 265. Legis oralis autor Rabbi Juda. 267. Singuli Judæi tenebantur ſibi ſcribere librum Legis. 423. Vide *Talmud.*

Libamentum quid. 155. Semper adjiciebatur ſacrificiis. *ibid.* V. *Ferta.*

Liber. Forma librorum apud antiquos. 213. Unde liber dictus volumen. 213. Forma librorum quibus utuntur in Synagogis: ſine punctis leguntur. *ibid.* Qua cura ſcribantur. 214. Vel in unica littera error totum librum profanum reddit. *ibid.* Judæorum Religio circa librum Legis. *ibid.* Diſtinctio in *Paraſchas* 215. & 334. In *Petuchot.* 335.

Digitized by Google

335. In *Sethumoth*. 335. Paraſchis reſpondent Haſtaræ. 335

Libri Canonici. Quot apud Judæos. 332. Diviſio eorum. 333. & *ſeqq*. Authores. 339. & *ſeqq*. Quo tempore ſcripti. *ibid*. Non omnes eadem lingua. 348. Unde cuique libro ſua autoritas. 353. Authoritas Eccleſiæ circa Libros Canonicos. 351. Triplex ordo librorum Sacrorum. 354. Enumerantur ſinguli cujuſque ordinis. 355. Quo tempore conditus Canon librorum Sacrorum. 357. Libri Apocryphi. 359

Libra in quo differat libra Romana à Pariſienſi. 286

Lictores. Eorum munus. 249

Linum multiplex. 556

Lites. Quomodo peragebantur apud judices. 238. Tres Scribæ ſententias judicum ſcribebant. 239

Littera. Litteras in Græciam ex Phœnicia primus Cadmus intulit. 71. 364. Græcæ litteræ ab Hebræis facile deducuntur. *ibid*. & 372. In quo differant. *ibid*. Characteres Hebraici immutati tempore captivitatis. 365. Characteres Samaritani antiquiores. 366. Veterum verſionum diverſitas ab hodiernis fontibus petenda ex ſimilitudine litterarum Hebraicarum. 373. Alphabetum Hebraicum & Græcum. 373

Locuſta. Earum varia genera & nomina. 533. Inter illas plures mundæ ſunt, quibus in Oriente plerique populi veſcuntur. 535

Loth. Sodomam ſe recipit. 19. Abductus captivus liberatur ab Abraham. *ibid*. E peritura Sodoma educitur. 20. Pater Moab & Ammon. 21

Luctus. Quomodo ſe gererent Judæi occaſione mortis vel cujuſque rei luctuoſæ. 282

Luna. Lunæ curſus in quo differat à curſu ſolis. 103. Menſtrua tempora lunæ circuitu deſcribebant Judæi. 104. Initium menſium à prima lunæ phaſi, ſeu

ſeu viſione, ſumebant. 104. Vocatur Neomenia. *ibid.* & *ſeqq.* Duplex lunæ menſis. 105
Lupus. Animal rapax. 516
M*ACHABÆI*. V. *Judæi*.
Magiſtratus. V. *Judices*.
Malum. Quo ſenſu non eſt malum in civitate quod non fecerit Dominus. 613
Manna uſi ſunt Iſraelitæ in deſerto per annos quadraginta. 26. Origo hujus nominis. *ibid.* & 603. & *ſeqq.* Urna in qua Manna juxta Arcam appoſita. 91
Mare æneum. Situs ejus in Templo. 96. Quæ fuerit ejus forma. 303. *Mare Galilææ*. V. *Genezareth*. *Mare mortuum*. V. *Aſphaltites*. Hebræi nomen maris tribuunt cuique loco ubi eſt aquæ copia. 72
Margarita. 583
Maſſora quid? 386. Maſſoretarum diligentia. 387. A Maſſoretis puncta inventa. *ibid.* Præcipuæ Maſſoræ partes. 389
Mel. Cautum erat ne quid Mellis altari ſuperponeretur. 155
Melchiſedech. Abraham revertenti à cæde Codorlahomor benedicit, & ab eo decimas recipit. In ea re typus Chriſti. 19
Menſa. Uſus Hebræorum circa menſam & comeſtionem. 279
Menſa Panum Propoſitionis. Situs ejus in Tabernaculo & Templo. 91. 95
Menſis. Juxta lunæ curſum menſes primùm diſtributi 104. Initium menſium apud Judæos qua religione obſervatum & annuntiatum. 105. Quid menſis Periodici, & Menſis Synodici nomine intelligendum. 105. Menſium nomina apud Judæos. 106. Quis primus menſis anni Eccleſiaſtici 109. Menſis Embolimæus. *ibid.*
Menſura. Diſcrimen inter Menſuras Romanas & Pariſien.

ſiſienſes. 298. Alia etiam via ſcrutari poteſt. 298. Menſuræ cavæ Romanorum, Græcorum, & Hebræorum. 300. 305. Hebræarum reductio difficilis ad Romanas & Græcas. 301. Menſuræ longæ Romanorum Græcorum & Hebræorum. 307

Mercatura. Ad ea Judæi alieni. 281

Meſſias. Origo hujus nominis. 2. 16. 655. Omnibus quæ Patriarchis & Hebræis contigerunt adumbratus. 16. 314. Duos diſtinguunt Judæi. 211. Eorum, opinio de temporibus Meſſiæ. *ibid.* Quem futurum cogitabant Judæi carnales. *ibid.* V. *Jeſus Chriſtus*.

Meſſis. Primitiæ Meſſis offerebantur poſt magnam diem azymorum 134. Ex quo frumenti genere *ibid.* Falx non poterat mitti in Meſſem ante hanc oblationem 135. Ab hac die dies Pentecoſtes numerati. *ibid.*

Metallum. Metalla de quibus mentio fit in Scriptura. 593. Diſcrimen inter Auricalchum & Oricalchum. 594

Metempſychoſis credita à Phariſæis. 212

Mina. Quale pondus. 287. Mina aut Mna Hebræorum. *ibid.* Mina Attica. 288

Miſchna volumen magnitudine parvum, quo tempore ſcriptum. 268

Molendi ratio apud Judæos. 281 605

Mons. Urbs Jeruſalem in quatuor montibus. 85. Palæſtinæ Montes. 72. Lex data in Monte Sinai. 28. In excelſis & Montibus Dæmoniorum ſacra fiebant. 479. Mons Garizim in quo Templum extructum à Sannabalat. 99

Moria. In hoc monte Abraham paratus fuit immolare filium Iſaac. 22. 85. In eo poſtea Templum ædificatus. 95. Everſo Templo Salomonis aliud in eodem monte ædificavit Zorobabel. 99

Morbi. Homo innocens morbis non fuiſſet obnoxius.

xius. 612. Morbos plerumque immiſit Deus quibus peccata coercerentur. Morbi de quibus mentio fit in Scriptura. 615

Mortui. Judæorum fides de mortuis. 212. 284

Moyſes. Natus occultatur à parentibus ſuis. 25. Circumciditur. 3. & 434. Ex aquis eductus educatur in aula Regia. 25. Juſſus eſt à Deo populum liberare; *ibid.* Murmur populi in Moyſen. 26. Petram virga percutit. 27. Soceri conſilio ordines populi diſtribuit. 27. Cum Deo colloquitur, legem accipit *ibid.* Exploratores mittit. 29. Moritur in deſerto conſpectâ eminùs Terra promiſsa. 29

Mulieres. In Synagogis & in Templo à conſortio hominum remotæ. 97. & 100. Mulierem teſtem eſſe non licebat. 256

Muli. Cœperunt in uſu eſſe circa tempora Davidis. 511. Ana mulorum inventor ſecundùm Hebræos. *ibid.*

Mundus per Verbum & propter Verbum conditus. 15. Ipſi ethnici mundum incepiſſe fatentur. 15. Qua anni tempeſtate mundus conditus. 106

Muſca. Earum ſeptem ſpecies enumerantur. 535

N*ATHINÆI*. V. *Gabaonitæ*.

Nazaræi. Sanctioris vitæ genere diverſi à populo. 178. Leges Nazaræorum. *ibid.* Nazaræi nati, Nazaræi votivi. *ibid.* Votivi ad tempus conſecrabantur *ibid.* Nazaræatus votum non conceperat Paulus. (Act. 21.) Nazaræorum ſecta; 194. Chriſtiani per deſpectum dicti Nazaræi. 195

Neomenia. Quàm religiosè obſervata. 104 131

Nero. Claudium excipit, Chriſtianos multùm exagitat. Omnibus exoſus ſe interimit. 52

Nitrum. Res apta ſordibus abſtergendis. 596

Noe. Arca Noe Eccleſiæ typus. 17. A tribus filiis Noe orti omnes populi. 18

Nomen. Dum circumcidebatur puer, nomen ei imponeba-

nebatur. 270. Quædam notanda circa nominis impoſitionem. *ibid.*
Nox in quatuor partes diviſa apud Judæos. 102
Numen. V. *Idola*. *Idololatra*.
Nummi. Prodeſt non ignorare quæ fuerit ſpecies nummorum apud Græcos & Romanos. 285. Nummi & pondera primis temporibus non diſtinguendi, 287. Nummi Attici. Nummi Hebræi. 288. Qua via veteres nummi cum noſtratibus componantur. 289. Caracta quid? 291. Denarius quid? 291. Nummi ærei 293. Pondus nummorum aureorum & argenteorum quorum in Europa frequens uſus. 295
Nuptiæ quomodo contrahantur. 272. Leges circa nuptias & puerperas. 258. 272
O*BLATIO*. Diſcrimen inter oblationem & ſacrificium. 155. 162. Oblationum genus multiplex. 162
Octavianus. V. *Auguſtus*.
Odium Judæorum in reliquos homines. 211
Omer, primitiæ Meſſis. 134. V. *Meſſis*.
Onager Aſinus ſilveſtris. 517
Onocentaurus, Animal mixtum ex homine & Aſino 542
Oraculum. Conſulebatur Deus per Oraculum. 184. Eo nomine appellabatur pars illa Templi in qua Arca. 95. 184
Oralis Lex. V. *Lex*. *Traditio*.
Oratio. V. *Synagoga*.
Orichalchi & auricalchi differentia. 594
Ozee. Figura Chriſti 454. Vaticinium à ſe editum de ruina regni Iſrael impletum vidit. *ibid.*
P*ALÆSTINA*. Unde dicta 72. Limites ejus. 66. Idonea unde verbum Domini exiret in orbem Terrarum. 70. Nomina varia. 72. Incolæ ejus. 72. Montes, lacus, flumina, Torrentes. 72. Partitio

titio in duodecim Tribus. 73. Diverſi Principes. 77. Deſcriptio ejus. *ibid.* & *ſeqq.* V. *Terra promiſſa.*

Palma menſura. Diſcrimen inter Palmam & Palmum. 306

Palma arbor. Deſcriptio ejus. 560

Panes propoſitionis. Quadrati erant. 91. Unde dicti *ibid.* Inter eos diſpoſiti calami aurei fiſſi. *ibid.* Singulis Sabbatis renovandi. *ibid.*

Paradiſus terreſtris. In eo Adamus & Eva collocati. 16. Situs ejus. 56. & *ſeqq.*

Paraphraſis. Paraphraſum Chaldaicarum origo. 416 Triplices diſtinguuntur à Judæis. 417. Earum varii auctores. 417

Paraſceve. 164

Pardus. Animal Leoni ſimile. 515

Paſcha. Origo nominis. 132. 656. Quo tempore, quo ritu hoc feſtum celebrabant Judæi 131. & *ſeqq.* Dies celeberrima. 132. Qui legitimè impediti non potuerant primo menſe celebrare Paſcha, id facere tenebantur altero. 135. Incircumciſus aut pollutus non impunè Paſcha comediſſet. *ibid.* Nos chriſtiani Paſcha celebramus die Dominica poſt decimam quartam diem Lunæ, quam diem præcedit æquinoctium vernum. 671

Patriarchæ inter perſonas ſacras cenſendi. 181

Peccata. Agnoſcunt Judæi peccatum originis. 210. Peccata duplicis generis. 212. Canones pœnitentiales Judæorum. 212. Confeſſio Peccatorum neceſſaria. 212. Sacrificium pro peccato. 159. 212

Pecunia. V. *Nummi*.

Pentateuchus. Origo nominis. 315. Dicitur etiam Lex, cur? *ibid.* Autor. 318. 339. Quid ſentiendum de ultimis octo verſiculis. 318. 339. Solum Pentateuchum inter libros Sacros admittunt Samaritani. 202. 415. V. *Verſio*.

Pentecoſte. Quo tempore celebratum ſit Feſtum Pentecoſtes. 136. vocat Joſephus *conclusionem*. *ibid.* Chriſtianorum Pentecoſte. *ibid.* Lex data in monte Sinai die Pentecoſtes. 136. Sine octava Pentecoſte celebrabatur. 136. Placentæ ex novis frugibus & fermentatæ offerebantur. *ibid.*
Pes Pariſienſis major Romano. 299
Petri & *Pauli* Martyrium. 52
Phylacteria, quomodo Judæi dilatarent Phylacteria. 275
Piſcina probatica. Unde dicta. 85
Plumarium opus. 597
Piſcis. Nullum animal fecundius piſce. 509. Diſtinctio in piſces mundos & immundos. *ibid.* Piſces de quibus ſit mentio in Scripturis. 536
Planta. Seminis nomine intelligitur principium illud quo planta ex planta naſcitur. 543. Enumerantur ſimul & exponuntur diverſæ plantarum ſpecies de quibus in ſacro Codice ſit mentio. 544 & *ſeqq.*
Pœnæ. Corporeæ variæ 244. & *ſeqq.* Sontes virgis cædebantur, ſed non ultra quadraginta ictus. *ibid.* Quomodo fieret flagellatio. 244. Pœnæ capitales quadruplices. 245. Crucifixio non erat in uſu apud Judæos. *ibid.* Pœnæ non capitales. 249
Polymitæ veſtis. 597
Pondus. V. *Nummi*.
Potus. V. *Cibus*.
Preces. Judæorum variis nominibus diſtinctæ. 218. Bis quotidie fundendæ. *ibid.* Preces pro mortuis. 212. 284.
Primitiæ. Omnes Deo debebantur, tam de animalibus quam de fructibus. 163. Ante primitias oblatas omnia immunda 163. Etiam de Maſſa fermentata primitiæ debebantur. *ibid.* De hominibus & animalibus immundis primitiæ redimebantur. 163

Rechabitæ. Certo vitæ genere diſtincti à Judæis. 179
Redemptor. V. *Meſſias*.
Refugii urbes duplices generis. 74
Reptilia. V. *Serpens*.
Reſpublica Judæorum Theocratia fuit. 220. In monte Sinai nata & formata. 222. Dein Ariſtocratia & Monarchia. 223. Moyſes viros electos & ſtrenuos conſtituit Principes populi, &c. 227. Quædam notanda in adminiſtratione Reipublicæ Judæorum. 228
Reges Juda & *Iſrael* à diviſione regnorum ad eorum everſionem. 32. & *ſeqq*. autores Librorum Regum. 322
Roma condita. 38

S*ABBATUM*. Dies omnibus fere Gentibus ſacer. 16. Qua Religione apud Judæos. 102. 130. 215. Videtur cœpiſſe ab origine mundi. 102. Feſta omnia dicebantur Sabbata. 215. Quando inciperet, & quando deſineret Sabbatum. 101. Nugæ & ſuperſtitiones Rabbinorum circa Sabbati obſervationem. 215. Qua arte ſe liberant à Sabbati legibus. 216. Iter ſabbati. 130. 216. 308. Annus Sabbaticus. 110. 129
Sacerdotium. *Sacerdos*. Ad filios Aaronis Eleazarum & Ithamarum Sacerdotium pertinuit. 7. 166. A Sabbato ad Sabbatum vices ſuas obibant. 7. & 170. Ad dies ſolemnes nulla claſſis aberat. 170. Sacerdotum claſſes XXIV. 169. Delectus. 170. Vitia quibus affecti Sacerdotes revocabantur ab altari. 169. Summus Sacerdos aliis præfectus. 173. Summum Sacerdotium primitus ad primogenitum hæreditate perveniebat. *ibid*. Sagan ſummi Sacerdotis. 171. Leges poſitæ Sacerdotibus. 171. Sacerdotum veſtes communes. 172. Propriæ ſummo Sacerdoti. 172. & *ſeqq*. Sacerdotum omnium munera. 176. Pro-

prium ſummo Sacerdoti munus. 177. Levitæ Sacerdotum miniſtri. *ibid.*
Sacrificium. Definitio, & origo ſacrificiorum. 144. 153. Ritus. 148. Chriſti fides ſacrificiorum finis. 151. De ſacrificiis doctrina tradita ab Adamo ad Moyſen. 160. & *ſeqq.* Sacrificia figura Chriſti. 144. Sacrificii eſſentia 151. Ex quibus fierent ſacrificia. 153. Modus offerendi. 153. Modus jugulandi victimam. 154. Sacrificiorum miniſtri. 156. Loca ſacrificiis deſtinata ante collectos in populum Abrahæ poſteros. 87. A tempore Moyſis ante & poſt extructum Templum. 88. & 156. Tempus offerendi ſacrificii. 157. Sacrificiorum diverſæ ſpecies. 158. Holocauſtum unde dictum. *ibid.* Sacrificia Pacifica; Euchariſtia. 159. Sacrificium pro peccato. 159. Pro delicto. 160. Conſecrationis; emundationis expiationis. *ibid.* Sacrificia feſtis diebus propria. 160. Modus participandi ſacrificiis. 161. V. *Oblationes*.
Sal. In aſcenſu altaris ſaliebatur victima. 155
Salomon. Templum in monte Moria extruxit. 32. Falſas religiones mulierum quas duxerat amplectitur. 32. Regnum ejus ſciſſum ſub Roboam filio ejus. *ibid.*
Samaria. A quo condita. 78. Diruta ſæpius & reſtaurata & dicta *Sebaſta*. 79. Tempore quo degebat Chriſtus in terris dicta *Sichem*, & *Sichar* per opprobrium. 78. 81. Samaria nomen regionis. 81. Samaria plena idolis. *ibid.* A quibus habitata poſt abductas decem Tribus. 200
Samaritani. V. *Schiſma*.
Samſon. Auxilio ejus Iſraelitæ vindicati à Philiſtæis. 30. Privatus oculis Philiſtæos obruit, & ſuo ſepelitur triumpho. 31
Samuel. Judicat Hebræos. Ungit Saulem in Regem,

gem, & poſtea Davidem. 31
Sandalia. Sandalia more Capucinorum utebantur Judæi. 276
Saul. Ungitur in Regem. 31. Ejus in Davidem invidia. *Ibid.*
Schiſma. Samaritanorum ſchiſmatis origo. 199. Primum idololatræ. 200. Deinde ſchiſmatici. *ibid.* Eos inter & Judæos contentio de loco divino cultui deſtinato. 201. Odia inter eos. 201. Samaritanorum errores. 202. Schiſma Alexandrinorum. *ibidem*. Helleniſtarum. *ibid.* Karæorum. 203
Scenopegia ſeu *Feſtum Tabernaculorum*. Unde dictum illud feſtum Scenopegiæ. 139. Per dies octo celebrabatur. 141. Quo ritu. 139. Octava dies pariter ſolemnis. 141. In tribus feſtis Paſchæ, Pentecoſtes, & Tabernaculorum tenebantur viri omnes Jeroſolymam convenire. 141
Scriba. Origo nominis. Eorum munera. 187. Quando orti Scribæ. 188. Scribarum correctiones. 385
Scriptura ſacra. Preces ante lectionem Scripturarum. 214. Deus Autor Scripturarum. 311. Eorum ſunt libri quorum nomina præferunt. 312. Compendium & finis Scripturarum. 314. Dicuntur *Teſtamentum*. 314. Librorum ſacrorum nomina, Autores & hiſtoria brevis. 315. & *ſeqq.* 339. & *ſeqq.* Diviſio. 332. Diſtinctio in ſectiones majores & minores. 334. In capitula & verſiculos. 336. Qua lingua ſcripti libri ſacri. 339. & *ſeqq.* Quæ ſit cujuſque libri autoritas. 349. & *ſeqq.* Variantes lectiones non obſtant textuum integritati. 381. Quo ſenſu veteres Patres Judæos accuſarunt de textus Hebraici voluntaria corruptione. 382. Zelus Judæorum erga legis integritatem. 383. In

Sepultura. Uſus circa ſepulturam mortuorum. Condiebantur, non cremabantur cadavera divitum; pauperum condebantur in terra. 383

Serpens. Serpentum quorum mentio fit in Scripturis nomina & proprietates. 530. Erigitur ſerpens æneus à Moyſe, figura Chriſti crucifixi. 29. Serpentes igniti. 532

Servus. Servorum munera. 14. Servum teſtem eſſe non licebat. 256. Servis reſtituta libertas anno Jubilæo. 111. 129. Quando & quo ritu fieret illa manumiſſio. 129

Seſtertius quid? 287

Siclus. Pondus Hebræorum. 287. 288. Valor ejus. 288

Silurus. Piſcis irruit in Tobiam. 537

Sodoma. Ob nefarias incolarum libidines igne cæleſti conſumpta. 20

Sol. V. *Luna*. *Menſis*.

Sortium Feſtum à Judæis non à Lege inſtitutum. 142. Quando, & quomodo celebratum. *ibid.*

Superſtitio Judæorum in obſervanda Lege. 215. V. *Idola*. *Idololatra*. 215

Supplicium. Suppliciorum varia genera apud Romanos. 250. V. *Pœna*.

Synagoge. Earum origo & uſus. 100. In eadem civitate complures. 100. Iis uſus Deus ut J.C. nomen Gentibus innoteſceret. 101. Synagogarum miniſtri. 177. Eorum autoritas. 187. In iis Lex non legebatur niſi Hebraicè. 178. 213. Scholæ publicæ. 178. Synagogas ingredi mulieribus vetitum. 217

Synedrium. Synedria minora in ſingulis civitatibus. 231. Synedrium Majus antiquitùs à Moyſe inſtitutum. 232. Locus ejus 232. Poteſtas *ibid.* & 233. Non poterat alibi quàm in Templo collocari. 235.

In eo Chriſtus reus mortis judicatus. 235

TABERNACULUM. In medio caſtrorum Iſrael erectum. 88. Situs ejus in caſtris 88. Deſcriptio ejus. 89. Miracula in Tabernaculo patrata. 93. Templum ſuccedit loco Tabernaculi. 94

Tabernaculum Feſtum. V. *Scenopegia*.

Tabulæ Legis. Incluſæ in Arca. 91. Reparatæ à Moyſe qua die? 139

Talentum. Valor ejus. 289

Talmud. Quid? 268. Duplex eſt. 269

Templum. A Salomone extructum. 32. 94. Forma ejus. 95. Templum ſecundum à Zorobabele reſtauratum. 99. Ornamenta Templi Salomonis quibus caruit ſecundum. 99. Altare Templi. Atria Gentium, Iſraelitarum, Sacerdotum. 96. Templa in monte Garizim & in Ægypto ædificata. 99. Encænia, ſive Dedicationes Templi. 142. Miniſtri Templi. 166. & *ſeqq*. Magiſtratus Templi. 168. Uſus & conſuetudines circa Templum. 217. Everſio Templi & urbis Jeruſalem à Romanis Principibus. 52. Templum Ægypti demolitum. 53

Tempus, Quid? 101. Tempus anni à quo decimæ computabantur. 164

Teraphim. 505

Terra. Inſtar ſphæræ rotunda. 54. Diviſio ejus. *ibid.* Partes præcipuæ. 55

Terra promiſſa. Dimenſiones ejus. 66. Limites. 68. Incolæ. 74. Hanc ingrediuntur Iſraelitæ duce Joſue. 29. Miracula in expugnatione urbium facta. 30. Partitio ejus in duodecim Tribus. 74. & *ſeqq*. V. *Judæa*. *Palæſtina*.

Teſtamentum. V. *Biblia*, *Libri*. *Canonici*. Scriptura *ſacra*.

Teſtes. Adjurati per nomen Dei. 237. Eorum erat pri-

Digitized by Google

primum in reos lapidem mittere. 248. Mulierem aut ſervum teſtes eſſe non licebat. 257. teſti fides non habenda. *ibid.*
Tetrarchia. Nomen dignitatis infra regiam. 47
Thannin. 538
Theatrum quid? 627. Theatra ludis exercendis loca deſtinata. *ibid.* Nudi athletæ pugnabant. 629. Eorum temperantia. 631
Tiara ſummi Sacerdotis. Deſcriptio ejus. 172 176
Tiberius. Auguſti ſucceſſor. 49. Pilatum ad ſe navigare juſſit. 51. Moritur, huic ſuccedit Caligula. *ibid.*
Tobias. V. *Silurus*.
Torrens Ægypti. 69
Traditio. V. *Lex Oralis*.
Tribunal. Diverſa Tribunalium genera. 230. Tribunal in unaquaque civitate. 231. Synedrium magnum 231. Judicium pro pecuniis agebatur per tres judices. 232. Judicium animarum per viginti tres. 232. Majores cauſæ ad Synedrium referebantur. *ibid.* Minorum Tribunalium ſubſellia in portis civitatum. 234. Tribunal viginti trium in porta atrii Templi. 234. Synedrium magnum in Templo. 235. V. *Synedrium*.
Tribus. Diviſio populi per tribus duodecim. 7. Inter eas non numerabantur filii Levi. 7. Diviſio Terræ promiſſæ per duodecim Tribus 30. 74. & *ſeqq.* Decem Tribus abductæ captivæ. 39. 77. Tribus Juda ſeptuaginta annis captiva apud Babylonios 42. 77. Diſpoſitio duodecim Tribuum in caſtris. 88. Vexilla caſtrorum. *ibid.*
Trinitas Perſonarum in Deo uno. 15. Trinitatis divinæ mens humana præfert imaginem. 15
Tuba. Tubarum feſtum. 137. Quare ſic dictum. 137

Typus.

Uxor. Plures uxores habere licitum, præterquam ſummo Pontifici. 273. Libellus repudii ad duritiem cordis conceſſus. *ibid.* Ad menſtruatam aut gravidam accedere nefas. 273

Z*ELOTYPIA*. Aquæ Zelotypiæ. 258

Finis Indicum.

LL

Digitized by Google

LIBRI
NUOVAMENTE STAMPATI
DA
LORENZO BASEGGIO.

ALlen (J.) *Synopſis Univerſæ medicinæ practicæ*, ſive doctiſſimorum Virorum de Morbis, eorumque cauſis, ac remediis judicia. 8. tomi 2. 1732.

Bidermanni (Jacobi è Soc. Jeſu) Epigrammata 12. 1732.

Cabaſſutii (Jo.) Notitia Eccleſiaſtica Hiſtoriarum, Conciliorum, Canonum, & Eccleſiæ rituum. fol. 1729.

Iſtoria della Volgar Poeſia, Comentarj intorno alla medeſima, e altre Opere di Gio. Mario Creſcimbeni 4. tomi 6. fig. 1731.

Lettere del fu Signore di Chanteresme tradotte dal P. Aleſſandro Pompeo Berti 12. tomi 2. 1733.

Manuale Theologiæ Dogmaticæ ſive ad tritiſſimam in fidei controverſiis queſtionem *Ubi ſcriptum eſt?* Catholicorum vera, Acatholicorum falſa reſponſio a quodam Soc. Jeſu Theologo collecta 24. 1726.

Melchiori (Bart.) Omnium Homicidiorum examen 8. 1728.

Natalis Alexandri O. P. Inſtitutio Concionatorum cum ideis Concionum per totum annum 4. 1731.

Petavii (Dionyſii è Soc. Jeſu) Rationarium temporum cum appendice uſque ad annum 1732. 8. tomi 2. 1733.

Ragion Poetica, e della Tragedia di Vincenzo Gravina. 4. 1731.

Stradæ (Famiani è Soc. Jeſu) de Bello Belgico 8. tomi 2. cum fig. 1730.

Torti (Franciſci) Opera Medica 4. Editio nova aucta 1732.

FINIS.

005651011

Digitized by Google

Digitized by Google